



2 6 288









NOTÆ
SEXAGINTA QVATVOR
Morales, Censoriæ, Historicæ

Ad Inscriptionem, Epistolam ad Lectorem, Approbationem,
Et Capita Tredecim Introductionis

AD HISTORIAM CONCILII TRIDENTINI
P. SFORTIÆ PALLAVICINI E SOCIETATE IESV;

In quibus multa reponuntur cum multiplici eruditione
Ad vtramque Theologiam, Canonicam, Conciliaremque Scientiam potissimè spectantia,

STANISLAI FELIC COLONIENSIS
Opera Typis euulgatæ,

Et Selectis in ROMANA CVRIA Viris dicatæ.

His additus est Libellus continens
Discussionem Quatuor Iudiciorum iam impressorum
De eadem P. Pallauicini Historia,
Vnà cum Incommodis ab ea Romanæ Ecclesiæ illatis, ac inferendis, ac illius pariter Commodis;
Quam subsequitur
Exceptio contra Accusationem Historiæ Petri Soaue Polani, Eiusdemque Accusationis Confutatio.





COLONIÆ.

SVPERIORVM PERMISSV. 1664.

ANNOTATIONI.

Nel Lib 1. Cap. 1. num. 8. Scriue il P. Pallauicini; Vn'ingenuo Scrittore non dee permettere, ò che la lode si j pacificamente posseduta per fauor dell'Adulatione, e non per merito della virtù, ò che il biasimo rimanga impresso per ingiuria del liuore, e non per castigo del Vizio; perche l'vno, e l'altro egualmente snerua quell'efficacia, onde il rispetto della Fama fù armato dalla Natura per custodia dell'onesto.

Il medesimo nel Libro intitolato, Vindicationes Societatis Iesu &c. Cap. 48. pag. 378. così scriue. Sanè qui Scriptores in Societate magis regnant, hi de alienis HONORIFICENTIVS loquuntur. Instar omnium sint Suarius, ac Bellarminus, qui haud scio sapientiùsne, an ciuiliùs disputauerint. Si qui e nostris secus agunt, ij nobis ipsis inuisi, nec tantùm alienos, sed nostros licenter carpunt, omnia non tam extra Societatem, quam extra seipsos aspernati. Hi tamen & pauci sunt, & INFERIORIS NOTÆ.

Viris in Romana Curia selectis.

Stanislaus Felic Coloniensis. F. P.

MEA, conspicui in Romana Curia Viri ob Veram, Solidamque Pietatem, Prudentiam e Diuinis haustam Oraculis, Sinceritatem nemini prorsus assentantem, flagrans Catholicæ Religionis studium, acerrimum, sed non falsum fucatumque, in Romanam Ecclesiam amorem, Mea, inquam, singularis in ROMANVM PONTIFICEM obseruantia minimè patitur, vt illius argumentum Catholicæ, ac Romanæ Ecclesiæ aliquod exhibere diutiùs protraham. Vehementer dolui, cum in cap. 7. lib. 3. Assertionum Theologicarum a *P. Sfortia Pallauicino* e Societatis Iesu in Vrbe anno 1649. edito occurrit, *esse actus fidei humanæ, ac fallibilis primos actus*, quos eliciunt fideles circa veneratione Romani Pontificis recenter electi, & quod *Vniuersalis Ecclesiæ acceptantis consensus* requiratur, vt ille iam electus, & publico cultu habitus Pontifex, & a Cardinalibus, & a Clero, Populoque Romano, habeatur absq. vlla prorsus dubitatione, ac suspicione Legitimus, Verusque Christi Vicarius, ac S. Petri Successor; præterquam enim hæc sententia Sacris Canonibus, Decretisque Pontificijs dilucidè aduersari videtur; Quis non videt, quam ingentia inter Catholicos excitare potest Schismata, ac præsertim si haud sit nonnullis Principibus primarijs admodum gratus? At vehementiori animus pressus est dolore, cum in libro Vindicationum Societatis Iesu anno eodem Romæ pariter typis vulgato pag. 342. in fin. cap. 43. meo aspectui semet illa obtulerunt, vbi præmiserat P. Pallauicinus aliqua generatim de Monarchia, & Aristocratia, vtriusque præcipua commoda, atque incommoda enarrans: *Ex vtrisque hinc, & inde disputatis licet ita concludere. Si vnius regimen attemperari sic possit, vt semper hæc tria fixa sint. Primum, vt ille vnus multorum Optimorum consilijs vtatur. Alterum, vt nequeat per se magnum vulnus, aut imprudens, aut volens Reipublicæ infligere. Tertium, vt desit ei grauium delictorum impunitas. Si, inquam, tria hæc temperamenta ita in Monarcham conueniant, vt ab eius potestate violari, concutique non possint, hæc erit perfectima regiminis constitutio; quippe quæ vtriusque partis commoda complectetur. Perge porro, aio hæc omnia egregiè concurrere in Societatis gubernationem. Quod vt palam fiat, eiusdem gubernationis specimen, ac tanquam vultum paucis lineis ob oculos ponam.* Hoc autem ipse multis præstat cap. seq. a pag. 342. ad 354. Sic enim ego conclusi quoque: Ergo Monarchiæ Pontificiæ Constitutio iuxta communem sententiam non est perfectissima regiminis Constitutio: Nam Pontifex Romanus ipse est, qui pro arbitrio Cardinales Consiliarios eligit, & hos modò adhibet, modò illos, nec omnium simul tenetur consilium sequi, dissimilis Præposito Generali Societatis, cui perpetuos quinque Consiliarios in quacumque re grauiore assignat Congregatio Generalis Assistentes nuncupatos, qui habent decernendi potestatem circa Præpositi Victum, ac valetudinem, vel in cogenda etiam eius iniussu, vbi opus fuerit, Generali Congregatione &c. Romanus Pontifex latas etiam a Generalibus Concilijs leges abro-

rogare, ne dum derogare potest, nouasque ipsemet ferre: *At Præpositus Generalis Soc.* nequit Constitutionem vllam tollere, aut nouam inducere; hoc enim vni Generali Congregationi reseruatum, cui quoque obsequi tenetur. Romanus Pontifex excepta hæresi, & manifesta, & in qua admonitus persistere velit, quodcumque aliud crimen perpetrauerit, e Pontificali Solio deturbari non potest: At præter prauam doctrinam sunt plura capita in Constitutionibus Soc. definita, ob quæ Præp. Gen. exauctorandus est, ac etiam interdum e Societate dimittendus. Monarchia igitur Pontificia non erit perfectissima regiminis cōstitutio, cum minimè conueniant illi tria temperamenta ad illam a Pallauicino præscripta; vel certè talis non erit Societatis Monarchia. Hic certè Pallauicini sensus mirificè fauet Basileensibus Patribus, & omnibus illis, qui Conciliarem auctoritatem Pontificiæ præferunt; qui etiam asserent, se Monarchiam Pontificiam a Christo institutam non tollere, sed potiùs conseruare; Christus enim non potuit non velle, Ecclesiæ Monarchiam esse perfectissimam regiminis constitutionem. Dum verò legi cap. 28. eiusdem libri pag. 230. habere, *allucinari egregiè, qui putant melius agi negotium Catholicæ veritatis, si tyrones* (idem infra docet de omnibus planè contra Hæreticos agentibus) *pro ea pugnaturi APTIS Conciliorum, & Patrum testimonijs, quam si philosophicis rationibus instruantur*; non potui non exclamare, O Tempora, O Mores. Ausus est Pallauicinus huiusmodi pronunciato (præter alia, quæ mens illico animaduertit ex illo consequi, vt Theologiæ Christianorum propriæ relegationem &c.) Romani Pontificis Primatum a Catholica tollere Ecclesia? Vndenam enim illum nos Catholici habemus, & contra Sectarios tuemur, nisi e Christi verbis Matth. 16. ac Ioan. 21. adiuncta traditione Conciliorum, & Patrum perpetua? illum etiam propter hanc rationem admisisse Græcos in Florentino Concilio, ex illo notissimum est. Si Traditio adhibita fuerit, semper nos victores erimus de Sectarijs; si Philosophicis rationibus vsi fuerimus, vel solis, vel vt primarijs, sæpe poterunt Sectarij esse victores. Contra tres hasce opiniones latè decreueram scribere, nisi præmonitus fuissem, in Italia doctum, eruditumque virum parasse iam ad prælum Opuscula tria illas confutantia. Ideo cum in Historiæ Voluminibus promulgatis a Pallauicino complura ob oculos posita fuerint, quæ Catholicorum pietatem vehementer eneruant, fouentque prauos Hæreticorum sensus; de auctoritate Romani Pontificis in Generalium Conciliorum Conuocatione, atque Præsidentia, nonnulla, quæ initio primi Voluminis, ac potissimè in quatuor extremis capitibus Introductionis occurrerunt, typis mandanda decreui: Quæ si vobis, Selectissimi Viri, arriserint, labor meus gratior euadet, alacriorque reddar ad operam semper sedulioream adhibendam pro tuendis semper debitis omnino e Catholicorum vnanimi sensu Pontificis Romani prærogatiuis. Si ille non arriserit; spes tamen mihi fermè certa est, quod Deus cordis scrutator vnicus mercedem mihi, nec leuem, sit liberaliter elargiturus. Valete Optimi Viri, & ad aram B. PETRI Apostolorum Principis, vt mei memores sitis, vos supplex rogo. Coloniæ 15. Augusti 1664.

AD

AD LECTOREM.

Præmonitiones neceſsariæ.

NE 1. ſit harum Lector Notarum, qui in P. Sfortiam Pallauicinum ſit adeo propenſus, vt primas partes in doctrina ante cæteros Doctores, ac Scr ptores modò ei deferat, ac velut ſapientiæ Oraculum habeat, Phœnicemque Ingeniorum, vel etiam de illius Societatis hominibus tam magnificè ſentiat, vt ſolùm ab ijs ſanam, Catholicamque doctrinam tradi putet, alios verò Doctores, ac Scriptores, aut minùs doctos, aut minùs quoque Catholicos exiſtimet; Inuiſus ſiquidem illi erit, quicumque horum dicta, ac nominatim P. Pallauicini, reprobauerit: Ex hoc autem præoccupato iam Lectoris animo praua animi affectione in harum Auctorē Notarum fiet; vt in deteriorem accipiat partem quælibet in illis deſcripta; optando, & conditionaliter dicta, indicando, & abſolutè prolata interpretetur: dum vniuerſim loquitur, certos deſignari conclamet ad eorum iniuriam; quæ in quorumdam laudem exarata, & ſæpius, nullatenus obſeruet, & conſultò; nullas non obſeruet ſedulò voces, vt Auctorem carpendi, quin & accuſandi, occaſionem arripiat, & quædam ſeligat, prætermiſſis cæteris omnibus valde laudabilibus, vel præcedentibus, & ſubſequentibus, vel particulis additis (quod octo ab hinc annis in Italia contigiſſe perito cuidam viro notiſſimum eſt) e quibus ſe aliquod in re ſamiliari incommodum afferre, vel ſaltem aliquam ei inurere notam in fama poſſe arbitretur, patefacienda ad id Magnatibus &c. Hic etiam reprehendet in eo, quod in ſibi amiciſſimis commendabit; inter illegitimos cenſores, quin & detractores, illum reponet, ſi nociſſima quædam crimina fuerint ab eo generatim expoſita, & in horum patratores iniquum præferri animum aſſeret; immo forſan ad conſilia Deo reſeruata diiudicanda progredietur; & quidni etiam comminiſcatur quædam hiſce repugnantia Notis ad nonnullorum maleuolentiam in eumdem magis augēdam? Breuì, ad harum lectionem Notarum non accedat ille, qui expers ſit illius charitatis, cui qualitates quindecim Apoſtolus 1. Corinth. cap. 4. a verſ. 4. tribuit: ad quas ſi tanquam ad lydinm lapidem ſuam explorans charitatem, eam his denudatam agnouerit, ſciat ſe non eſſe ſolidè ſpiritualem, ac immeritò talem haberi. Non exigitur peculiaris amor in Notarum Auctorem. Excludatur odium. Satis eſt, ſi peculiarem quoque P. Pallauicini amorem remouerit. Si non remouerit, procul eſto. 2. In his, quæ quoquo modo ad fidē ſpectant, haud P. Pallauicini perſonam notare conſilium eſt. Potuit ille ex inſcitia, vel incuria in multis labi. Ille etiam non ſemper accuſatur in hiſce Notis, quin & quandoque laudatur: Si quæ acerbiùs dicta, quidni ex illius lectione librorum ea in Auctoris calamum irrepſerint? 3. In hiſce Notis haud ordo ſeruatur, quia nec illa, ad quæ conſcriptæ: Quibus & addita quædam menti occurrentia Auctoris, licet non adeò conſentientia iam ſcriptis. 4. Suſpendat iudicium Lector, donec omnes perlegerit Notas cum Libello, ſecus in plurimis ſenſum Auctoris verum non aſſecuturus; Quare etiam attentè voces, & quaſdam particulas non rarò perpendat.

NO-

NOTARVM INDEX.

ber.

ſibus

pag.34.& 90. num.79. dic 75. pag.95. ſeſſ.39. dic.41.

Ad

Ad Titulum, ſeu Inſcriptionem.

1 NIMIS longa videri poteſt hæc inſcriptio, *Hiſtoria del Concilio di Trento, ſcritta dal P. Sforza Pallauicino della Compagnia di Gieſù, Doue confutaſi con autoreuoli teſtimonianze vn' Iſtoria falſa nello ſteſſo argomento ſotto nome di Pietro Soaue Polano*. An non ſatis erat? *Hiſtoria vera del Concilio di Trento, ſcritta dal P. Sforza Pallauicino della Compagnia di Gieſù, contro la falſa, ſotto nome di Pietro Soaue Polano*. Longitudo iſta longitudinem, tum capitum frequentem vigintiquatuor librorum, quam (meritò, an immeritò viderint alij) *Auctor libelli de Tribus Hiſtoricis Conc. Trid. Antuerpiæ impreſſi an.* 1662. reprehendit, tum Hiſtoriæ voluminum duorum prænunciauit: Et hæc quidem ferè ab omnibus culpatur. Hinc beneficium illud publicum, quod *Pal.* dicitur intendiſſe in *Epiſt. ad Lectorem*, & alibi ipſemet profitetur, & quod profectò ſibi propoſuerunt Romani Pontifices in decernenda Reſponſione ad *Soaue* Hiſtoriam, ſeù Pſeudohiſtoriam, haud in Chriſtianam emanauit Rempublicam; non ſolùm enim e Proteſtantibus, ſeu Hæreticis, verùm etiam e Catholicis complures amborum amplitudinem Voluminum aſpicientes, ab illorum lectione retrahuntur; vt omittantur multæ in ijs coemendis expenſæ. Dumtaxat, præter amiciſſimos Auctoris, & Societatis Ieſu, ea integrè euoluunt, vel otioſiſſimi quidam, vel admodum curioſi, vel qui Politicas artes, & maximè à Principibus occaſione Tridẽtini Concilij adhibitas, addiſcere volunt, vel qui comparant hanc Hiſtoriam cum S. Hiſtoria, vt cognoſcant, quænam abſolutè præſtantior, & an in hac deprehendantur errores, quos Pal. proponit. Potuitne Pallau. eſſe immemor eorum, quæ ipſemet init. Epiſt. ad Eminent. Card. *Ioannem de Lugo*, quam præpoſuit *Libris quinque Aſſertionum Theologicarum* an. 1649. Romæ impreſſis, in commendationem breuitatis, ac nominatim in libris amplectendæ, ſcripſit? *Partium multitudo* (inter cætera ibi legitur) *ſiquidem neceſſaria ſit, præſtantiam eleuat operis; ſin & ſuperuacua, & laudem artificis*. Plurima huic Hiſtoriæ ſuperuacua, ne dum ad S. confutationem non neceſſaria, fuiſſe inſerta, nemo prorſus, niſi ſcientis, ac ſinceri ſit expers iudicij, inficiabitur. Quod ipſe in Epiſt. ad *F. Bonau. Clau. Epiſc. Potent.* ante lib. VI. *de Sacram.* Romæ impreſſũ an. 1650. non laudans profectò ſcripſit, *vt in cibis, ſic in libris, minimũ eſſe ſolet, quod nutrit, plurimum, quod excernitur*, contingit ſanè in hiſce ſuis Voluminibus, in quibus plurima eſſent excernenda; & cum minima eſſent, quæ nutrirent, modicum volumen ex ampliſſimis duobus conficiendum. Quorumdam enimuerò natura eſt ſermone profuſa; cui quandoque vim inferunt, graui cauſa impulſi (quæ poteſt etiam ambitionis eſſe, & gloriæ, quam ex hoc ipſo tacitè quærant) ſi verbis auari ſint: Quin etiam experientia comprobatur veriſſimum plerumque illud *Symmachi* lib. 1. ep. 70. relatum a *P. Theophilo Raynaudo* ex eadem cum P. Soc. Ieſu *de Mal. ac Bon. lib. in Oper. Clauſ.* n. 570. *Natura rerum eſt, vt qui balbutiunt, plus loquantur; affectant enim copiam pudore defectus*. Hanc loquelæ copiam expertus inter cæteros fuit (ſic a multis fertur) eruditus quidam Danus, qui cum paucis ab hinc annis Romæ ad Pal. acceſſiſſet de Religione diſſerturus, nunquam ab eo impetrare potuit, vt ſuas audiret rationes, ſed ſolùm longiſ-

ſimo Pal. ſermone detentus eſt vſque ad faſtidium, ac ſine vlla reſponſione, vt pote ipſo nullatenus interrogante, a Pal. conſpectu recedere coactus fuit. Prudens tamen id fuiſſe Pal. conſilium putant nonnulli; quòd cum nouiſſet, partim egregios quoſdam Proteſtátes verſatos eſſe in ſacra Scriptura, & Sanctis Patribus, atque quibuſdam antiquioribus monumentis, partim ſe, licet iam Theologiæ *in Romano Soc. Collegio* Profeſſorem, deditum potius fuiſſe Philoſophicis rationibus, quam locis Theologiæ proprijs (ex illis enim tradēdam eſſe in primis Theologiam c.28.*lib.Vindicationum Soc.Ieſu* a pag.230. ad 236. ipſemet docet) noluit ſeipſum illius Germani exponere irriſioni, dum non clarè oſtendiſſet, auctoritates prolatas eſſe prorſus inanes ad euertenda Catholicæ, ac Romanæ Fidei dogmata, & ad ſtabiliendam quamcumque Proteſtantium Sectam. Alij id aſcripſerunt Pal. genio, quod eſt alios docendi, non ab alijs diſcendi; ſic enim & ipſe ait c.7. *Introd. ad Hiſt. T.C.* aliquos *habere intellectum ad diſcendum, non ad docendum*; quemadmodum *Ariſtoteles* lib.1. Polit. c 3.& 4. tradit aliquos *natura eſſe ſeruos*, non liberos: Et inde illa pertinax conſtantia Pal. in ſuis opinionibus, & aſſertis, omnibus nota; cum tamen *Auguſtinus* (*quem cum nomino*, ait lib.x.c.5. de loc. Theolog. *Melchior Canus* mirificè ab eodem Pal. commendatus allato c.28. init. pag. 232. *Caue quemquam anteponas, nec enim doctior vir fuit Auguſtino, aut clarior*) ſcribat apertè Ep.75.ad *Auxil. Epiſc.* ac reponitur C.*ſi habes* 24. q.3. *Senex a iuuene, & Epiſcopus tot annorum a Collega, necdum anniculo, paratus ſum doceri*. Docentis munus exercere voluit Pal. cum nobili illo Germano, qui tamen nullum ex ea diſciplina retulit fructum, vt pote prolixo Pal. ſermone haud ſoluente obiectiones a ſe proponendas, ſi ille permiſiſſet. Iſtam quoque ſermonis affluentiam, & alios docēdi genium complures pariter animaduertunt in hiſce Voluminibus; dum & multa addit valde remota a T.C.Hiſt. ac effuſa oratione multa explicat, quæ conciſam potiùs breuitatem exigebant, vel conciſa breuitate comprehendi poterant, & multa contra S. congerit penitus omittenda, &c. atque dum veluti Moralis Philoſophiæ Doctorem ſemet exhibuit, frequentiſſimè Politicas animaduerſiones Lectori ſuggerens. Quidni tamen hæc Corporis Conſtitutioni condonanda? At ſi verum, quod fertur (nam fama ſæpiſſimè mendax in manifeſtis, mendacior in occultis, mendaciſſima, cum agitur de hominibus conſpicuis dignitate, ſapientia, &c.) Dixerit alius non ineptè prorſus: Sicut Pal. noluit cum illo diſſerere Germano forſan, ne temporis iacturam faceret, perſpectum habens, quoſdam e Proteſtantibus eſſe in ſuis ſenſibus pertinaciſſimos, & nunquam velle veritati etiā manifeſtæ palmam concedere; ita horum voluminum prolixitatem conſultò Pal. quæſiuit, vt omnes deterreret a ſcriptione contra illa, quando ipſe profitetur, vt cogatur refellere quaſcunque obiectiones, opus eſſe, vt ſcriptor ipſum confutet in ſingulis vigintiquatuor libris, eadem prorſus ratione, qua ipſe confutat S. de qua re ad *Not.* 7. Sagax politicum enimuerò inuentum a valde politico homine non alienum.

2 Haud veridica videri poteſt hæc inſcriptio; nam ſi attendantur illa, quæ ad T.C. verè ſpectant, vix vnum conficietur volumen. Aliqui cenſent, potiùs inſcriptionem ita conficiendam fuiſſe, *Satyrici Sermones P. Sfortiæ Pallauicini e Soc. Ieſu contra Petrum Soaue Hiſtoriæ, ſeu Pſeudohiſtoriæ Concilij Tridentini Scriptorem*; Alij ſic. *Politici Diſcurſus P.S.P. e S.I. de Rebus geſtis in in T.C. & alibi*, Quidam verò, *Commentarij P.S.P. e S.I in Hiſtoriam T.C. ſcriptam a P.S. Polano*. Oppidò cum non abhorruerit Pal. a prolixiori

lixiori

lixiori inſcriptione, illi addore poterat, *Doue ancora ſi narrano varij auuenimenti in molte parti del Mondo dal principio dell'Ereſia di Lutero, infino alla terminatione, e confermatione del medeſimo Concilio di Trento*; par enim eſt, vt Lector e libri fronte cognoſcat, quid in illo contineatur. Sic ſaltem idonea magis videri poſſet Inſcriptio.

3 Nec hæc duo Volumina videri poſſunt inſcribenda, *Hiſtoria del Concilio di Trento*; tum quia illorum ſcriptor ſæpiſſimè, ac longiſſimè ab hoc aberrat inſtituto; tum quia ſtylus haud exiſtimatur Hiſtoricus, vt oſtendit *Auctor Libelli* (de quo ſupra) *de Trib. Hiſt. C. T.* qui in hiſce duobus in primis præfert S. Hiſtoriam P. Hiſtoriæ; nec planè immeritò. Qui & pag. 16. ait hæc Volumina non Hiſtoriam, ſed *Variarum narrationum farragines, & Chaos confuſum repræſentare videri*; quod ille aſcribit P. iactantiæ, vt ſuam oſtenderet in Romana Curia auctoritatem &c. Suauiùs aſcribi poteſt illius naturali loquentiæ, ſeu eloquentiæ, quæ tamen vt laudabilis ſit, regi debet a prudentia, quæ dictat, ſemper id in oculis habendum cuique, *de quo quæritur, & quid voluerit efficere*, vt de altercante nominatim ſcribit lib. 5. c. 5. Inſtit. Orat. *Quintilianus* mirificè, ac iure optimo ſanè, laudatus ab eodem lib. *Vindic.* S. I. cap. 20. pag. 134. Nullatenus verò probatur, quod idem pagin. 49. addit, *iſta duo ſatis magna volumina Bubonibus ſatis rectè aſſimilari poſſe, qui magnæ quidem aues apparent, non membrorum, & carnis magnitudine, ſed inutilium pennarum ſuperfluitate*: nam licet multa contineant inutilia ad vnicum huius Apologeticæ Hiſtoriæ finem, immo & pernicioſa, & quædam interdum pernicioſiſſiſsima, multa tamen adhuc ibi leguntur ſcitu digniſſima, & quorum notitia expedit commodis Reipublicæ, tum Eccleſiaſticæ, tum Ciuilis.

4 Cum ſcribendi ratio P. confutatoria iam patuiſſet e *Vindicationum Soc. Ieſu libro* Romæ impreſso an. 1649. *In quo multorum accuſationes in S. I. Inſtitutum, Leges, Gymnaſia, Mores refellit*, aliena prorſus a Viro Morali, Chriſtiano, Catholico, Regulari, Socio Ieſu, ne dum nobili, ac præterea patruiſſet, Quàm odioſum fuerit Patribus S. I. nomen Auctoris Hiſtoriæ, ſeu Pſeudohiſtoriæ T. C. vulgò habiti, vt pote cuius conſilijs potiſſimè tributum, quinquaginta circiter annis a præſtantiſſima Catholica regione, licet reditum ſæpius flagitaſſent ſupplices, abfuiſſe: Illico prudentes Lectores ante oculos ſibi obuerſante huiuſmodi confutatore, ſuſpicari, dubitare, imò & opinari poterant, eamdem quoque, imò exactiùs, in hiſce voluminibus ſeruaſſe rationem, dùm eum refellit, quam in *Vindicat.* libro; vnàque poterant cenſere, haud fidem P. dictis habendam, niſi planiſſimè veritas aliunde conſtaret, in ijs præſertim quæ ad S. ſpectant. Ipſemet quidem P. lib. 2. ſuæ Hiſt. in fine cap. 2. hac etiam peculiari de cauſa Pontificum Romanorum obtrectatorem fuiſſe *Franciſcum Guicciardinum*, (de quo aliàs latè) in ſua Hiſtoria ſcribit, *perche egli riconoſceua da loro* (Pontefici Romani) *la perdita della libertà nella ſua Republica*; ideoque Guicciardini teſtimonium in malè geſtis à Romanis Põtificibus, vt non ſincerum, repelli vult; quem tamen *Iuſtus Lipſius*, optimus ſanè Catholicus, in notis ad c. 9. lib. 1. Polit. *veracem, & ab affectibus immunem* nuncupat; *ſi tamen ab odio*, ſubdit, *quod retegere mihi non ſemel videtur in Ducem Vrbinatem*. Quidni pariter multa, quæ contra S. congerit Pat. reijcienda meritò videri queant, vt ementita, vel falſa, quòd propoſita ab homine, qui cum ſuis putat, ſedulam a S. operam fuiſſe adhibitam, vt reditus Societati intercluderetur ad eas Ciuitates, in quibus *magno populi fauore, & frequentia* (ſic loquitur idem P. c. vlt. *lib. Vind.* in fine pag. 204.) *magnis, perpetuiſque*

tuisque liberalitatis officijs, ac muneribus fruebatur. An non etiam *Ioannis Baptistæ Adriani* e nobili genere, quemadmodum & *Guicciardinus*, Florentiæ orti, in ijs, quæ de *Paulo III.* scripsit, fidem eneruare contendit, eò quòd simultates quædam forent inter hunc Pontificem, & *Cosmum* Hetruriæ Ducam; ait siquidem de illo c.3.n.2.lib.5. *Questo Istorico tutto intento ad esaltare il Duca Cosmo suo Signore altretanto deprime Paolo III. col qual'hauea quel Prencipe vna somma contrarietà, e d'interesse, e d'affetto &c.* quod pariter repetit lib.6.c.15.n.3. vbi tamen iniquè, & contra Dialecticæ ipsius Regulas arguit, cum fuerit Adrianus Paulo III. iniquus (concedatur hoc, siue vt in Disputationibus assolet, *Transeat*) quod fuerit Pontificibus vniuersim iniquus. Cur ergo peculiare P. studium in suam Soc. cui peculiariter S. aduersum fuisse Patres S.I. arbitrantur, non æquè suaserit Lectori, vt omni saltem ex parte non credat esse vera, quæ P. de S. narrat, & quæ de illius assertis differit, si solummodò ipsius, aut infensorum S. testimonium afferatur. *Satis est*, inquit ipse P. *Introd.* c.6. n.3. ad inficiendum *veneno animum*, adeoque calamum, *iniuria non vera, sed existimata, seu opinata*, Equidem ad S. *Responsio* potiorem apud omnes fidem sibi conciliasset, si non ab homine Soc. nec a P. fuisset conscripta.

Ad Epistolam Ioannis Casone ad Lectorem.

5 HÆc sine vlla dubitatione est P. prorsus. Licet ergo alijs quoque alieno nomine Epistolas imprimere. Profectò *Emanuel Sà* e S.I. etiam correctus verb. *Nomen* sic ait. *Nomen sibi quemcunque posse mutare, excepto seruo, modò fiat sine fraude, & alterius præiudicio, quidam aiunt. Ego ad tempus, & ex causa posse puto; alioqui acceptum in Baptismo non posse, nisi fortè in Confirmatione*; Nec non *Rayn.* de Mal. ac Bon. lib. Partit.1. Erot.19. a n.396. ad 408. agitata quæstione, *An libri nullo, vel gratis confitto Auctoris nomine editi sint confingendi*; cum SS. Patres nonnulli, vel suppresserint nomen suum, sicuti & Apostolus in Epist. ad Hebræos, vel alienum adhibuerint, concludit id licere, si subsit idonea suppressionis, vel mutationis causa, maioribus probata; sed & absolutè negat, cuiusque libri euulgationem, tacito Auctoris nomine, sordere mortalis peccati labe in *Hoploth.* impressa Lugduni ann. 1654. sect. 2. ser.2. in fine c.12. Animaduertunt autem nonnulli, in Trid. sess.4. Decr. de *Edit. & Vs. sacrorum librorum* vetari duntaxat horum impressionem, si nullum Auctoris nomen præponatur; Ac in *Instruct.* sub *Pio IV.* de *Impres. libr.* in fine *Præfat.* idem prohiberi circa omnes planè libros; sed non eos, quorum Auctoris nomen fingitur; alij enim, vt idem *Rayn.* distinguit, ex libris sunt *anepigraphi*, alij *pseudopigraphi*. Eadem tamen ratio videri potest vrgere in vtrisque; adeoque cum *Trid.* iubet, & *Instruc.* exigit nominis impressionem, existimandum est prorsus velle, vt imprimatur Verum nomen. At nec modò id sufficit; Nam in *Instruc.* sub

Clem.

Clem. VIII. §. 5. de Impres. libr. requiritur vt & cognomen, & patriam Auctoris præferat liber. De cognomine iam fermè certum erat, cum plurimi idem sortiantur nomen; de patria non ita certum. Hoc quidem Trid. Decretum, in quo innouatur quoque Lateranensis Concilij Decretum sub *Leone X.* sess. 10. haud fuisse receptum significat *Nauar.* c. 27. Man. nam n. 148. de illo loquens, *Quod nescimus*, inquit, *an sit receptum*, vel *an recipietur*. In Romana ipsamet Vrbe ad illam diem nõ fuisse receptum, patet ex ipsius Manualis impressione, quæ contigit post 1580. sicut & ex libris *Iacobi Simancæ Episc. Pac.* de *Catholic. Instit.* & aliorum, quibus nec vlla penitus approbatio præfigitur; quod sanè maioris est ponderis, quam appositio nominis, & veri. Post autem Trid. plurimi sunt a Patribus S I. impressi libri sine vero nomine, aut ficto &c. vt patet ex Cathalogo Scriptorum S. I. accuratissimè confecto a *P. Philippo Alegambe*, ac edito Antuerpiæ an. 1642. in quo syllabus valde prolixus legitur pag. 446. aliquorũ librorum a Soc. hominibus scriptorum, *Quorum Auctores incomperti sunt*; pag. 447. 8. 9. & 50. *Qui tacitis Auctorũ nominib. excusi sunt*, quorum sane Auctores comperti sunt; pag. 451. *Quibus* præfixum est nomen, vel anagrammaticum, vel symbolicum, vel immutatum, vel certè solis initialibus suorum nominum elementis expressum; cui subiungitur eorum, qui habent suppositìtia nomina hactenus incomperta. Hos sanè, cum plusquam tercenti sint, non sine rationabili causa a Patribus S. I. fas est existimare impressos fuisse. Si autem vera est *Pauli Layman* ex eadem Soc. sententia *lib. 3. Theol. Mor. tr. 3.* p. 2. c. 6. n. 3. in fin. vbi loquens de Contumelia, quæ fit scripto, & approbans, tanquam non improbabile, assertum a Glos. in *§. Iniuria*, verb. *fieret* Instit. lib. 4. de *Iniur.* a lege Ciuili decretis propter famosum libellum pœnis haud esse obnoxium, *si aliquis verum crimen obyciat, de quo publicè accusare liceat, & quod puniri Reipublicæ intersit*, mox subiungit. *Imò in hoc casu nihil culpæ admitti videtur, si talis rerum status sit in Communitate, vt alius modus publicum scandalum, vel detrimentum tollendi non suppetat*; æquiùs admitti poterit, sine culpa Ciuili, ac Theologica edi posse librum ficto Auctoris nomine, quo nonnulla euulgentur crimina valde noxia Catholicæ Ecclesiæ commodis, & Christianæ Reipublicæ tranqnillitati, & potissimè, si non in omnium, licet multorum, oculis posita, multorum animos infectura sint prauis sensibus, ac moribus, etsi Maiores Politicis e causis eum imprimendi facultatem non præberent: A qua pariter culpa immunis erit, si quis aliter legitimè suam tueri famam nequiret, cum potiores sint partes naturalis veri iuris, quam cuiuslibet positiui. Priùs tamen id cum omnibus adiunctis diligentissimè perpendendum, & examinandum, præcipuè ad Quatuor Regulas, quas *circa Electionẽ* proponit *S. Ignatius* prudentissimus S.I. Fundator *in Hebdom. 2. Exercit. spirit.* Non est certè P. vertendum vitio, quòd ipse sub aliena persona Lectorem alloquatur in hac Epistola, maximè cum nec a Pal. vocatus fuerit in crimen S. quod in Hist. T.C. titulo suum occultauerit nomen sub Anagrammate, quod c. 1. Intr. n. 1. (id omittere forsan prudentius erat) inquit, comprehendere verum nomen, veramque Patriam Scriptoris.

6 Experientia rerum magistra c. *quam sit* de Elect. in VI. luculenter testatur, haud æqua prorsus fuisse suscepta a Pal. media, cùm ad S. confutationem, tum ad Hist. T.C. scriptionem; nam & hæretici communiter ex illa pertinaciores in suis euaserunt sensibus, & Catholici complures, qui hæc duo Volumina euoluerunt, aut in ijs exposita audierunt, minùs alacriter, quam

antea,

antea, T.C. decreta tueutur; & nō pauci ab eorum lectione abstinuerint iam inchoata, vel eam penitus omiserint, metuentes, ne inde darent locum suspicioni de peculiari Sancti Spiritus assistentia in hoc Concilio; nec non quidā in S. propensi, vel magis propensi redditi fuerint, legentes, aut scientes, nimis vehementer, acerbè, & asperè Pal. inuectum fuisse in S. Aptiora fuere selecta a *Scipione Henrico* in Academia Messanensi Doctore Theologo, & a *Philippo Quorlio* Romani Cleri Decano. Minori suæ ascribat Pal. sagacitati, quod *locutionem, stylum, ac methodum* adhibuerit sæpe magis opportunè ad fulciēdam S. Historiam; de qua re optimi, & sapientes e Catholicis multi, nec leuiter, conqueruntur.

7 Ineptum omnino est velle, vt duo alia conficiantur volumina, quibus a se scripta in amplissimis suis voluminibus reijciātur, sicut ipse S. Historiam integrè vigintiquatuor libris reijcit, ad hoc vt ipse teneatur cum hoc Scriptore in arenam descendere. Politicum hoc enimuerò est Commentum ad retrahendos parum prudentes, ac perspicaces ab illis voluminibus redarguendis. Quis enim e Catholicis in hoc Pal. imitabitur, & maximè cum opus foret, hæc duo iterum imprimere volumina, vt planè lector fieret certior, an confutatio vera, & idonea foret; vnde & reprehenditur Pal. quod S. Historiam, seu Pseudohistoriā caractere saltem minutiori non curauerit suę adiungendam Historiæ. Solumne, & SS. Patres, & alij in subsequentibus sæculis, ac nostris quoque, Catholicā fidē propugnarunt contra hæreticos Scriptores, qui omnia ferè nostræ fidei dogmata oppugnarunt? An non satis fuit, quod vel vnicum oppugnarent? Pro vnica opinione, quod oua, & laticinia sub peccato veniali e Canonica lege tantùm in Quadragesima vetentur, quę Romanæ non placuit Curiæ in tom. *de 5. Præcept. Eccl. P. Facundez* e S. I. Præc. 4. lib. 1. c. 2 n. 12. nonne Apologiam ipsemet edidit? Quot Apologiæ Patrum S. I. pro aliquibus, vel etiam vnica re in ipsius Instituto, aut legibus reprehensa, aut moribus? Earum Scriptores apud *Alegambe*, de quo paulò ante, in Catal. ad id confecto legūtur. Ipse Pall. c. 36. 37. 38. 39. *lib. Vind.* a pag. 281. ad 216. impendit in refellendo (quandoq. etiam vituperando, & irridendo) neoterico quodam P. D. Z. P. C. R. qui vt probabile docuerat cum alijs, irritum esse Votum quintum simplex, quod post Professionem emittunt P. Iesuitæ: Quam acriter insurrexit contra Abbatem *Constantinum* Caietanum, *P. Ioannes Rhò* pro nomine S. Ignatij, eiusque libello Exercitiorum spiritualium? Quot responsiones ad P. D. *Castaldum* C. R. qui e traditione antiqua suorum, imitatus P. I. qui ex eadem plurima ediderunt in Vitis priscorum Soc. Patrum, quos secuti sunt Scriptores Historiarum eiusdem Soc. in Vita B. *Caietani Tienæi* C. R. Fundatoris primò ediderat (id contigisse Venetijs an. 1536. confirmat ex eadem traditione P. D. *Ioseph Silos* ad an. 1531. p. 1. lib. 4. Hist. Cler. Regul. Romæ an. 1650. impressæ pag. 136.) *S. Ignatium* petijsse a B. Caietano, vt inter alumnos suæ iam a Clem. VII. an. 1525. Sept. 14. approbatæ Religionis connumeraret, eiusque petitioni noluisse *B. Caietanū* post mùltas preces acquiescere, illi prænunciando, quod Ordinem aliū esset ipse institurus magis actiuæ vitæ operibus deditum; vt euenit cum singulari profectò Catholicæ Ecclesiæ emolumento. Ne vel vnica Romæ damnetur opinio Soc. cuiuslibet Scriptoris, vel etiam damnatio reuocetur, licet in alijs sit probatissimus, quantum in Vrbe elaborant P. I. satagentes etiam, vt extra Soc. ipsam multos habeant eiusdem sententiæ approbatores! liquet id inter cætera (vt consultò omittantur gesta pro P. Poza &c.) *tum* in causa *P. Molinæ* de efficacitate Diuini Auxi-

lij,

lij,pro cuius opinione celebrium quorumdam Doctorum extra Soc.cum ea agitaretur sub Clem. VIII. habuerunt suffragium, ideoque hoc etiam nomine non reprobata a Summo Pontifice, licet alijs videretur ea penitus aduersari doctrinæ, tum S.Th. tum S.Aug. cuius placita in materia *de Gratia* Ecclesia ad illum vsque diem suspexerat semper, ac venerata fuerat : *tum* in causa *P.Sà*, & *Henriquez* ; inter quos ille in plurimis Romæ correctus fuerat, isti verò aditus non liber permittebatur ad aliorum oculos, vel manus; attamen P.I. contenderunt, vt Hispanica, & Lusitanica Inquisitio *Henriquez* planè declararet nitentem, ac purum, in *Sà* verò duos tantùm Aphorismos expungi voluerit, vnum de absolutione per litteras,alterum quoad materiam sacramenti Extremæ Vnctionis,vt refert *Rayn.de Mal. ac Bon. lib.* Partit 3. Erot. 3. in fine n.337. *tum* in causa *P.Facundez* in cuius Apol c.3.proponuntur Doctores Acad. Conimb. Eborens. Complut.Salmat. sententiæ illius subscribentes; *tum* in causa eiusdem *P. Rayn.* cuius Liber inscriptus, *De Martyrio per pestem ad Martyrium impoprium, & proprium vulgare comparatio* vnà cum alio, *De Communione pro mortuis Discursus*, cum Romæ ann.1647.Mart.xi. inter tot eius libros Romæ non improbatos vetitus fuisset; *Thomas Hurtad.* Cler.Regul.Min. in Salmatic. Complut. ac Rom. S.T. publicus Professor, ac deinde in Hispalensi Primarius Moderator &c. refert Resol. 6. de *Ver. Martyr.Fid.* Hispanos S.I. Patres, quamuis *Rayn.* non foret Hispanus, sed Italus, & ortus Sospelli, quod est oppidulum in Diæcesi Vintimiliensi, e vulgari familia (ideoque parum æquus in nobilem quemdam)operam dedisse, vt illius sententiæ de vero per pestem Martyrio probationem assequerentur a cunctis Doctoribus Ciuitatis, ac Vniuersitatis Hispalensis &c. Sic vnionem (de qua nullatenus per se vituperandi) inter se præferentes P.I. quam maximam, accuratiores, adeoque difficiliores reddunt Romanos Iudices ad cuiuslibet e suis Scriptoribus vllam opinionem reijciendam. Alienum ergo est a more,& SS.Patrum,& aliorum, etiam Soc. qui contra alios vel in materia fidei, vel in quæstionibus ad fidem non spectantibus rescripserunt, nolle penitus rescribere,nisi illi scribendo vniuersum aggrediantur librum,eumque falsitatis redarguant &c. Equidem pertinet, tum ad fidei Catholicæ integritatem ostendere, quod nulla, vel leuis, falsitas illi possit meritò opponi; tum ad Scriptorum quorumlibet laudem summam, manifestare, vel vnicum grauem errorem ab illis haud verè admissum, & si quis error ipsi opponatur grauis, planum facere, immeritò oppositum : Silentium enim in his argumentum est falsi erroris, & nominatim in Historico, in quo præcipuè commendatur veridica narratio. Quid si multi, & graues, illi obiectentur ? Præterea quis Historici fidem eneruare volens significauit, omnia planè ab eo scripta veritatem haud retinere ? Sic enim ille Poeta, aut fabularum scriptor fuisset. Sufficit, si quis in plerisque, aut plurimis, ab illa aberrasse declaret. Si taceatur, ex hoc testimonium ferè certum sumetur ementitæ in his Historiæ; quin etiam in alijs, quæ narrat, veracis existimationem imminuet. Incongruè igitur P. postulat, vt singuli vigintiquatuor suæ Historiæ libri mendacij, vel falsitatis incusentur, statuens hanc sibi legem, secus eximendi se ipsum a qualibet responsione: Quam postea non æquam, ac Historiæ celebris potissimùm dignitati detrahere conspiciens, cum pro *Paulo IV. Franciscus Vellius* contra ipsum scripsisset, ipsemet rescripsit, nec breui Epistola,ad Illustriss. *Ioannem Durattum* Genuensem Patritium 2. Mart. 1658. Verum quidem est, cum iterum latiùs, & clariùs idem *Vellius* hoc rescriptum explosisset, & Pal. eius-

que

que amicissimi cognoscerent, vlteriorem congruam Responsionem afferri nō posse, curatum fuisse sagaciter, vt vulgatus iam bis *Vellij* pro *Paulo IV.* libellus, vnàque Pal. Epistola, Romæ proscriberentur. Ea fuit Pal. auctoritas, vt nec a priscis in Historia, nec a recentioribus in Epistola calumnijs Sanctissimum re ipsa Pontificem, & quem capitali odio hæretici cũ primis prosequuntur, tueri permissum fuerit, & illius causę Apostolicæ Sedi profectò decoræ aduocato silentium fuerit publicè indictum. Hi quidem duo pro *Paulo IV.* oblati libelli nullum prorsus legitimum præbuere scandalum, sed potius Historia, & Epistola Pal. cui etiam non iniurià tunc obiectum, quòd non steterit promissis in fine Historiæ; nec instar Ephemeræ in obliuionem abierunt; quinetiam memoriam in omne æuum pollicentur.

8 Cum probandum planè sit illud S. Aug. ep. 131. *Historia sanè, cuius Scriptores fidem se præcipuè narrationibus suis debere profitentur, fortassis habeat aliquid cognitione dignum, cum siue bona, siue mala hominum, tamen vera, narrantur; Quamuis in eis cognoscendis, qui a Spiritu sancto non adiuti sunt, rumoresque colligere ipsa humanæ infirmitatis conditione compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur, omnino non video: Est tamen in eis aliqua propinquitas libertatis, si voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, nisi cum ab hominibus humana infirmitate falluntur:* Meritò Pal. in hanc scribendo Historiam Canonici Scriptoris infallibilitatem sibi non ascribit, sicuti nec sibi S. Vterque igitur errare potuit, nec ex erroribus quibusdam vt sic vtrique Historiæ (multoque minùs *Guicciardini*, & *Adriani* Historijs) fides prorsus adimenda. In plurimis autem S. haud errasse, dilucidè habetur e *Scipione Henrico*, qui ex illo *Historiam Tridentini Concilij* breui collegit, atque *Philippo Quorlio*, qui e S. assertionibus ipsius Historiam confutat, multaque ipsemet Pal. approbat, adeò vt S. Commentator, & Amplificator a nonnullis etiam in Vrbe nuncupatus fuerit, ac nuncupetur. At concedatur plerumque mendacem fuisse S. in sua Historia (quod tamen videri potest repugnare Pal. asserto c. 39. n. 2. lib. 2. *del Bene* Romæ editi an. 1644. mendacem quemcunque vt plurimum verum dicere) cum Pal. certum reddat Lectorem, quod attentis, præter suæ intentionis rectitudinem, exquisitis notitijs, ac diligentijs accuratissimis, errores non sit inuenturus in suæ Voluminibus Historiæ, nec voluntarios, nec multos, nec graues, & quibus causæ Summa nitatur; *Si* Pal. lapsus fuerit in errores, etiam in sola *Introductione*, non leues plusquam ter; cum tamen dictio, *Multi*, apud *Barb.* Dict. 204. in duobus, vel tribus e communi sententia verificetur: *Si* in nonnullis, in quibus scribit a S. erratum, ipse potiùs errauit; Lector proculdubio putabit, Pal. aut non eo pollere ingenio, quod a multis in ipso celebratur, aut voluisse sibi illudere, & suæ auctoritatem Historię mendaci hac promissione sagaciter vindicare; quod sanè non esset laudabile in Historico, maximè Religioso. *Si* præterea *Spiritus Veritatis* Ioan. 14. 15. & 16. præsentiam a T. C. remotam fuisse homines, nisi sine valdè pij, ac docti, ac peculiariter materiæ Conciliorum periti, colligere ex hisce Voluminibus queant: *Si* narrans quinque Romanorum Pontificum Vitia, & duorum ex illis planè religiosissimorum, vberrimè exponens, apud Catholicos Romanorum Pontificum obseruantiam minuit, cōtemptum verò apud hæreticos auxit; An non palmaris hic error, & grauior, quam in S. existimandus, ac præferendus alijs erroribus in S. Historia deprehensis? Nonne in his Summa rei est contra S.?

Ad Probationem, & Priuilegia.

9 HÆc Historia probatur a Reuerendiss. *P. Ioanne Nikcel* Germano Soc. Iesu Præposito Generali Decimo præeunte aliquot Societ. Theologorum recognitione. Hi certè non compararunt Historiam P. cum S. Historia, nec mànuscripta, aliaque viderunt, è quibus inquit Pal. plurimorum exquisitam hausisse notitiam; & cum ex altera parte nouissent, non facilè P. suos deserere sensus, ex altera verò gratissimum esse Summo Pontifici *Alex. VII.* qui etiam aliquam huius Historiæ partem legerat, vel audierat, dissimulare potuerunt multa, vtpote homines humanitus peccantes, quæ cæteroqui delenda, vel immutanda esse censuissent. Quid si alijs recognoscenda fuisset tradita hæc Historia Soc. Theologis, & non Censoribus librorum Generalibus, qui Romæ communibus Prouinciarum Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Lusitaniæ sumptibus aluntur? An non hi faciliùs quoque hęc volumina approbare potuerunt, beneuolentiam P. hinc sibi conciliantes? Quid si hi antea in ipsum valde beneuoli, ac vltrò ab eodem quæsiti? Equidem cum in fin. Reg. 6. Censorum Generalium S.I. librorum habeatur; *In vniuersum loquendo, non solùm admitti nihil debet, quod fidei, pietatique Christianę non penitus congruat, sed neque aliud quidpiam, quod alios meritò offendere, vel leuiter existimationem, religiosamque circumspectionem dedecere videatur*; nec non in Reg. 7. *Prouidebunt, ne quid libri nostrorũ contineant, quod vel ad Iura Principum, Immunitates, Iurisdictionem, & Priuilegia, vel materiam status, ac vocant, pertineat, vel alia quacunque ratione Nationum, Prouinciarumque res, aut personas sic attingat, vt iusta sequi possit offensio; In ijs porro, qui contra hæreticos scribunt, obseruabunt præcipuè, vt cũ doctrinæ soliditate stylum ita moderentur, ne plus æquo acerbitatis habere, aut alia ratione leuior meritò cuiquam videri possit*: An hæc seruata fuerint in recognitione huius Historiæ, vel in editione post recognitionem plurima ex eadem deleri censentem, quicumque Lector, etiam rudis, obseruare poterit. Præterea *P. Mutius Vitellescus* S.I. sextus Generalis Præpositus de sententia quoque P. Assistentium Soc. Romæ an. 1632. Sep. 18. decretũ condidit, transmisitque ad omnes Soc. Prouinciales, in quo, *proposita religione præcepti sanctæ obedientiæ, ac pœna excommunicationis*, vetuit, *Ne quis Societatis quocunque obtentu, siue directè, siuè indirectè, suo, aut alieno nomine, aut alio quocumque modo scribat, aut scriptum typis excudendum tradat, aut ab alijs tradi sinat, in quo aut ex instituto, aut ex occasione tantum, & obiter quidquam sit, quod offensionem* *creare posit*: *Neque etiam Præfationes, Epistolas dedicatorias, etiam breuissimas, & quæ subinde paucis versibus Lectori admonendo libris præponi solent, & quibus aliquod simile periculum timeri posit, in lucem proferri sinat &c.* Obtemperatumne fuit huic Decreto, cum hæc Historia creet offensionem, & Pontificum, & Maximorum Principum, præcipuarum quarumdam Familiarum, Nationum, &c. Dispensare quidem potuit in hisce legibus *P. Ioannes* Nikcel Præpos. Gen. (quod fecisse haud est probabile) at non concedere potuit Pal. vt eleuaret famam aliorum, ac præsertim præcipuorum Ecclesiæ Præsidum, ac Patronorum; incongruè Tridentini Concilij causam contra S. vel Protestantes tueretur &c.

10 Hanc subsequitur approbatio Reuerendiss. & Vicesgerentis, & P. Magistri Sacri Palatij. Hi excusari queunt, quod Pal. Historiæ subscripserint, vel coacti, vel arbitrantes in hisce Voluminibus contenta priùs sedulò examinata a Soc. Theologis fuisse, vel perpendentes facilè Pal. potuisse vlcisci iniuriam, quam grauem ex illius genio agnoscebant futurum fuisse, vt putaret sibi illatam, si ab approbatione abstinuissent, vel aliqua voluissent demendam, cum ille summa apud *ALEX. VII.* frueretur auctoritate: Qui etiam potuit P.M.S.P. approbationem horum impressionis Voluminum (quod tamen non constat) imperare sine vlla recognitione, potissimùm cum ipse iam aliquam huius Historiæ partem legisset, vel audijsset, vt supra significatum est. Quam pauci reperiuntur similes *Antonio de Monte S. Sabini* Sacr. Rom. Rot. Auditori, qui quò minùs quamdam ferret sententiam, a vehementissimis, iteratisque *Iulij II.* precibus se allici non est passus; qui tamen paulò post purpuram ab eodem *Iul.* teste Pal. lib 1 Hist. c. 1. n. 2. est consecutus; vel illis Rotæ pariter Romanæ Auditoribus, quos refert *Melchior Loter.* n. 139. in App. lib. *de Re Beneficiaria* Romæ impressi an. 1629. noluisse *Sixto IV.* obtemperare iubenti, fulminanti, ac vincula minitanti, si vt Collegam noluissent admittere quemdam Antonium de Parma, non præmissa inquisitione ex more, ac lege, de admittendi vita, moribus, natalibus, &c. Etenim illi deserto Auditorio clam se proripuerunt in fugam; Qua constantia fracto, *Loter.* inquit *Sixti impetu, Antonius suo temerario desiderio frustratus est.* Illa fuit in P. obseruantia P.F.M. *Raymundi Capizucchij* Socij Reuerendiss. P. F. M. *Vincentij Candidi* tunc Sac. Pal. Ap. Mag. vt imprimendi facultatem illi elargitus fuerit. *Primò* in lib. 3. *Theolog. Assert.* Romæ euulgato an. 1649 c. 7. *de Fide* a n. 141. Non esse fidei Diuinæ, ac infallibilis, sed *humanæ, ac fallibilis*, *illos primos actus, quibus fideles agnoscunt nouum electum Pontificem*; sed tantummodò esse indubitatum planè, electum Pontificem esse legitimum Christi Vicarium, verumque Petri successorem, *cum Vniuersalis Ecclesiæ acceptantis consensus accesserit:* Quæ opinio, præterquam videtur expresse damnata in Sacris Canonibus, & a Summis Pontificibus, Schismatica est, ingentiaque inter Catholicos Schismata excitare potest, nuncio de noui Pontificis electione accepto. *Secundò* In lib. *Vindicat. Soc. Iesu.* TVM quod Scholastica Theologia, etiam contra Sectarios nominatim, sit potiùs tradenda, atque stabilienda e *Philosophicis Rationibus*, quam e sacra Scriptura, & Conciliorum, Patrumque testimonijs, licet *aptis* c. 28. a pag. 230 ad 236. TVM quod Soc. Monarchia in Præposito Generali residens sit Pontificiæ Monarchiæ a Christo institutæ præferenda, vt colligitur e Pal. illationibus in fin. c. 43. cum subsequenti c. a pag. 342. Quapropter non mirandum, quod priùs cap. 27. p. 221. in fin. ac init. p. 222. asseruerit, quicquid tradiderunt *Vasq. Suar. Val. Molin. Sanch. Less. Bellarm. Lug. alijque consimiles Soc. Scriptores*, (& tamen multa ab his tradita, vtpote Ecclesiasticis iuribus non planè conformia, vt alia prætereantur, haud Romæ probantur, vt facilè demonstrari potest, ac eruditi nouerunt &c.) esse penitus probabile, etiamsi nulla ratio ab ijs proponatur; cum tamen id falsum esse apertè pronunciet de primarijs Dominicanæ, ac Franciscanæ Familiæ Theologis, & horum quoque Principibus, immemor huiusmodi comparationes, & in doctrina hoc c. 27. & in pietate etiam c. 14. init. pag. 78. *non esse*, vt ipsemet scitè priùs scripserat cap. 5. p. 16. *e re Catholicæ Ecclesiæ*; *omnis enim comparatio*, *quas partes in victoriæ spem vocat*, *eas interim quasi certantes committit*; *cum tamen quotquot Christo militant*, *concordissimi inter se contra*

tra dæmones tantùm, ac vitia concertare debeant; iſta verò præterea inter domeſticos fidei certamina cum graui detrimento, ac dedecore acerbiora euadere, quam cum Fidei Catholicæ hoſtibus, obſeruat idem Pal.n.1. cap.4.lib.1. Hiſt. Et priùs haſce contentiones, quæ ex comparationibus præſertim ortæ fuerunt inter quoſdam Regulares Ordines, dilucidè teſtatur *Silu. Mag. Sac. Pal.* celebris etiam apud Pal.lib.1.Hiſt.c.6.n.3.& c.21.n.5.*impediuiſſe correctionem totius Chriſtianitatis* verb. *Contentio* n.3.in fin. admonens prudētiſſimè, *omnes iſtos eſſe exterminandos, qui diſcordias haſce inter Religioſos ſeminant, & nutriunt*. Ex his autem c.43.& c.28. Aſſertionibus, non tantùm derogatur Pontificatui Romano, prout a Chriſto, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*, Coloſ.2. v.3. e communi Theologorum ſententia inſtituto, ac mirificè confirmātur, quæ voluerūt Baſileenſes Patres, ac validiſſimū additur ſuffragium opinioni Romanum Pontificem ſubijcienti Generalis Concilij Patribus, vt quiſque, ſi vel leuiter ingenioſus, animaduertit; verùm etiam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ fundamenta, ne dū parietes, euertuntur. Etenim vnde tandem *Romani Pontificis Primatus*, tum *Dignitatis*, tum *Iuriſdictionis*, euincitur, quàm e Chriſti verbis Matth.16. v.17.& 18. Ioan.21.v.15. 16.17.18. perpetuaque Patrum, & Conciliorum traditione? Hæc duo ſi tollas, vel ſi minùs quoque efficacia dixeris, quam Philoſophicas rationes, Theologi (ſi tamen Theologi ſunt dicendi, qui ſuas concluſiones tantummodo, vel primariò probarent e Philoſophicis rationibus, quas inter *aduentitios*, ſeu *aſcriptitios*, non *germanos, proprioſque*, ac præcipuos Theologiæ locos collocandas eſſe nemo ignorat, niſi qui prima Theologiæ elementa ignorat) nulli efficaciter ſuadebunt, Romanum Pontificatum in Eccleſia concedendum, præcipuè dum illa poteſtate, quam Catholici omnes admittunt. Omittitur, quod illud aſſertum leuibus quibuſdam, & inanibus argumentis a Pal. probatum Theologiam Chriſtianorum propriam pariter funditus euertit &c. Quam ſcitè P. c.2. lib.Vind.p.7. *Nulla veritas tam dilucida, quam eloquium ingenioſe maleuolum*, Vel ingenio abutens, *Sophiſmatum laruis nō inobſcuret*.

Hinc patet 1. Quam multum Pal. debeat Reuerendiſs.P.F.M. *Raym.Capiz.* modò S.P.A.M. ſed an 1649. Socio Reuerendiſs.P.F.M. *Vinc. Cand.* qui contentus forſan recognitione, ſeu probatione Emin. *Card. de Lugo* pro quinque *Aſſert.Theol.* lib. quorum non *Lectorem modò, ſed probatorem illum habuiſſe* ſignificat idem Pal. in fin. Epiſt. ad eumdem Cardinalem; ac Fratris *Ambroſij Viola* Ord. Præd. Epiſc. Laquedon. (qui reuera non peritū, non ſuo Ordini beneuolum, ſed Violam ſuauè ad P. aures ſonantem dilucidè ſemet exhibuit, dum ſummis laudibus *lib. Vindic.* effert, ac digniſſimum typis mandari cenſuit &c.) tanti faciens Pal. doctrinam, poteſtatem fecit hoſce imprimend. Romæ libros, in quibus inter alia reponuntur nonnulla, quæ tantummodò Romani Pontificis Primatus hoſtes, vel ij, quibus odioſa eſt Romani Pontificis electi, Eccleſiamque regentis auctoritas, ac poteſtas, extra ipſammet Romanam Vrbem typis mandare potuiſſent.

2 Non quæcunque vel probantur a Cenſoribus Theologis Soc. Ieſu, vel etiam Romæ impreſſa cum Superiorum permiſſu, aut facultate, probabilia eſſe cenſenda; cum ex incuria, vel ex alicuius, nec leuis, mali timore, vel ex nimia Scriptoris æſtimatione, vel ex relatione alicuius, cui recognoſcendus liber eſt traditus, in Auctorem maximè propenſi, & quem ſæpè Auctor ipſe Recognitorem poſtulare potuerit &c. ab ijs probentur interdum, quæ reprobanda penitus forent etiam tanquam Schiſmatica, Erronea &c.

3 Complures non immeritò conqueri, illam esse quorumdam in Vrbe auctoritatem, vt licet in alijs multa vituperentur, & acerrimè illorum lectio librorum interdicatur, laudentur tamen eadem, vel alia etiã longè noxiora, ab ijs edita, vel impressa etiam Romæ omnium oculis exponantur. Notissima est opera Romæ impressa, vt libri, licet Veterum Scriptorum, & Catholicorum, qui aliquot sæculis absque fidei, & pietatis dispendio (nam alioquin illud auertissent Romani Pontifices) obuij omnibus erant, eò quòd in illis legerentur aliquot indecora, & Romanis Pontificibus, & Romanæ Curiæ &c. aut prohiberentur omnino, vel saltem non omnino integri iterum imprimerentur, quod non semel in *Platina, Sigeberti Chronico, Reuelationibus S. Birgittæ &c.* factum esse plurimis exploratissimum est, vt nouerunt illi nominatim, qui horum exemplaria, & superiori, & nostro hoc sæculo edita habent, vel illa comparant inuicem; ne scilicet hæretici hisce sæculis Romanis Pontificibus infensissimi inde ampliorem ansam in illos inuehendi arriperent, Catholicique minus prouidi offensionem: Et nihilominus Pal. in Vrbe commoranti, ac Romanorum Pontificum, præter esse S.I. Religiosum, seruitio peculiariter mancipato, adeoque firmiorem suis fidem facienti dictis concessum fuit, vt præter illa, de quibus modò, & alia, de quibus aliàs, complurium Romanorum Pontificum, & inter hos quorumdam maximè venerabilium propter maximam ipsorum pietatem, vitam exposuerit vitijs, indignisque, & valde Romanis Pontificibus incongruis actionibus refertam, dignissimis quoque, ac religiosissimis penitus omissis. Quantum excanduit Roma (haud vnquam sermo est de doctissimis, pijssimis, ac prudentissimis Viris in sancta Ciuitate commorantibus, cum mentio fit Romæ, vel Romanæ Curiæ &c.) & qualem adhibuit operam, vt valde grauia, tum in fama, tum in re familiari subiret incommoda nonnullus, qui paucis ab hinc annis propositiones aliquot inter Catholicos, & optimos, & sapientissimos controuersas de Romani Pontificis potestate in quibusdam, vt tales, typis vulgauit, cum cæteroqui ipse pro fauentibus Summo Pontifici staret, nec quicquam Catholicæ Religioni, nisi per malignam omnino interprecationem, edidisset; Et tamen Roma tacuit, obmutuit, & hinc etiam tacitè probauit (præter claram approbationem Theologorum Societ, cum suo Generali, ac Reuerendiss. P.F. Mag. Sac. Pal.) quę contra Romanorum Pontificum mox electorum auctoritatem, imperandique rationem, & contra ipsummet S. Petri Primatum latè scripsit Pal. vt sileantur ea, quæ contra eorumdem famam. Non prorsus ineptè, ex alia occasione tamen, Auctor libelli de Trib. Hist. C.T. §. *Qua ratione P. sit Petri S. amplificator, & interpres, ac Protestantibus faueat* pag. 54. init. *Hæc si in Petro Soaue continerentur, obstreperent omnes; sed pro Pallauacino omnia valent.* Atqui post hæc impressa purpuram *Pallauicino* Roma detulit, huiusmodi Volumina iam impressa cumulatissimè approbans. Obseruata sunt sincerè alia P. merita, ac existimata verè singularia, cum ipsius operæ in primis, ac beneficio debeat Ecclesia ALEXANDRVM VII. P.O.M. Præterea sapientissimis etiam viris multa latent vulgo quoque nota; *vel quia* sublimioribus suas mentes perpetuò detinent curis; *vel quia* animum ad vulgaria admouere quasi indignantur; *vel quia* cum ad vulgaria, & non vulgaria attendere nequeant, in hæc potiùs animum intendunt; *vel quia* ad superbiam eorum profligandam Deus vulgarium inscitiã illis inesse permittit, aut etiam quandoque vult, ne in illam labantur homines cætera pijssimi, ac doctissimi. *Adde*; quod *Cæca amantium iudicia*, vt e sæculi literis haberi ipsis ait *S. Hieronym.*

ronym. epist.ad Pamm. contr. err. Ioan. Hier. Amor enimuerò cuidam Vitro persimilis, quod deformissimam verè faciem pulcherrimam respicienti offert. Hinc *amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorũ premit amor,* inquit *Quintil.*c.2.lib.2. Orat. Instit. Quin etiam efficit (nam *expers iudicij est amor, non rationem habet, non sanitatem,* teste *Calpur.Flac.*Decl.1.) vt solùm laudabilia attendantur diligentissimè, illaudabilia verò solùm leuiter, aut in transitu percurrantur; imò interdum laude digna censeantur a viris cæteroqui laudatissimis, sed *pia,* vt aiunt, *affectione* in aliquem imbutis. Ebrietas ipsa, quæ hominẽ reddit bestijs ipsis viliorem, vt clarissimè ostendunt *S.Aug.* ser.231.de Temp. *S.Basil.* Homil. de Ebriet. *S.Chrysost.* Hom.58. in Matth. *in Catone* visa est Virtus Senecę ipsi in eumdem propensissimo; & hinc illa in lib. *de Tranquil. An.* fine. *Catoni ebrietas obiecta est; at facilius efficiet quisquis obiecerit, hoc crimen honestum esse, quam turpem Catonem.* Constans sanè est Theologorum sententia omnium, in ijs, quæ de facto sunt, posse, & Romanum Pontificem, & Conciliorum Generalium Patres errare; solùmque, ne ab his erretur in Decretis Fidei, ac Morum Vniuersali saltem Ecclesiæ propositis, peculiaris ijsdem conceditur S.Spiritus assistentia. Si autem insipientes planè, ac superstitiosi sunt, qui omnes Bullas (imò & Leges, vt ipsemet significat quoq. Pal.lib.17.c.12.n.10.)e Romana Curia prodeũtes e Cęlo lapsas arbitrantur, & illis venerationem, vt a S. Spiritu dictatis, deferunt; quæ tamen nunquam a fidelibus contemnendæ, &, nisi quid clarè obstet, multi æstimandæ, illisque parendum, si quidquam iubeant ad animarum salutem &c. Ita multò magis falluntur, qui quascunque Romanorum Pontificum actiones, vt optimas, vel bonas etiam commendant, seu quælibet eorum iudicia, seu priuata, seu publica ab omni errore immunia censent; quibus sanè non ea discussio anteire solet, quæ Bullis, ac Legibus. Neque hoc asserere quisquam existimet id esse Pontificibus iniuriosum, quia non solùm ipsi hoc perspectissimum habent, sæpe etiam reuocantes Bullas ipsasmet, ac leges a Pontificibus antecessoribus, & quandoque a se ipsis editas, vt patet Bullarium ipsum nominatim legentibus; verùm etiam in sacris Canonibus ijdem quoque cunctis Ecclesiæ filijs id notum fieri iusserunt, ne illorum animi perturbentur e quibusdam Ecclesiasticis iudicijs, seu priuatis, seu publicis. Sic *Innoc. III.* Pontifex omnium consensu doctissimus c.A *nobis* 28. de sent. excom. *Iudicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; Iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, propter quam fallere sæpe contingit, & falli.* Et excusandi quidem sunt a nobis Romani Pontifices, si quidquam agant perperam. 1. QVIA homines sunt, humanis, vt filij Adam, suppositi miserijs, animique perturbationibus. Volumus, vt Pontifices nostris compatiantur infirmitatibus, & ad hoc adducimus potissimè illud e d.50.c.*Considerandum* cum S.Greg.Hom.21. in Euang. ideò permisisse Deum, vt Petrus, qui iam designatus erat Princeps Religionis, ter peccaret, & grauiter, contra externam fidei ipsius confessionem, vt *ex sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliena infirma toleraret*; & nos subditi nihil fermè Superioribus nostris condonare volumus, cum tamen sæpe illi soleant minus peccare, quam nos; & dum *trabem in oculo nostro* non videmus, vel etiam visum a Præpositis nostris, qui tamen *peruigilare* debent, *quasi rationem pro animabus nostris reddituri* Hebr.13.v.17. dissimulari volumus, vel quærimus non amoueri; *festucam in ipsorum oculi videmus,* & non raro quasi trabem exaggeramus Matth.7.v.3.& 4. 2. QVIA quibusdam opinionibus imbuti nobis suademus

demus quædam a Pontificibus facta esse penitus reprobanda, quæ tamen probanda, vt ore saltem probabili Doctorum sententię innixa. Sic *Sot.*lib.7. de Iust. q.4. art. 2. loquens de dispensatione in voto solemni castitatis religiosæ contra *Sil. Mag. Sac. Pal.* verb. *Votum* 4.n.5.in fin. Magis imperiti, ac minùs prudentes, aut in vno, vel altero versati Auctore, vel in certum propensissimi Auctorem, vel pertinaciter vni Scholæ addicti, quæcumque dicta, vel gesta horum repugnantia doctrinæ reijcere solent, vt falsa, temeraria, improbabilia &c. cum tamen sapientiores, ac prudentiores, quando vident aliquid gestum ab homine, qui habeatur probus, ac valde doctus, aut qui non soleat quædam, toti maximè mundo vulganda, agere sine piorum, doctorumque virorum consilio, iudicium saltem suspendant, nec illa damnare audeant; norunt enim quādā esse doctrinas eruditorū vulgo ignotas, atq. interdum esse homines nō scriptores scriptoribus, & non solùm multis Rescriptoribus, quorum Ingens copia est, sapientiores. 3. QVIA prout varijs propensionibus, & cupiditatibus afficimur, variè de nostris Superioribus iudicamus; vnde nunquam illi omnibus, & in omnibus placere possunt. Sic *Clem. Alex.* Strom. 2. *Ijs, qui sunt remissi, & imbecilli, id quod est moderatū, videtur nimis intensum, & id quod est æquum, videtur esse nimium ius; ij veritatem existimant esse molestiam, & seueritatem sæuitiam &c.* Sic *Sydon. Apollin.* Ep.7. ad Monachos de quodam Præsule querulos. *Quis non exardescat, cum videat sordidari virtutum sinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abiectus; si proferimus erectum, superbire censetur; si minùs institutum, propter imperitiam creditur irridendus; si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatus; si seuerum, tanquam crudelis horretur; si indulgentem, facilitate culpatur; si simplicem, despicitur vt brutus; si acrem, vitatur vt callidus; si diligentem, superstitiosus decernitur; si remissum, negligens iudicatur; si solertem, cupidus; si quietum, pronunciatur ignauus; si abstemium producimus, auarus accipitur; Si eum, qui prandendo pascat, edacitatis impetitur; Si eum, qui pascendo ieiunet, vanitatis arguitur; Libertatem pro Improbitate condemnant; Verecundiam pro Rusticitate fastidiunt; Rigidos ob austeritatem non habent caros; Blandi apud eos communione vilescunt: At si vtrolibet genere viuatur, semper hic tamen bonarum partium mores, pungentibus linguis maledicorum, veluti bicipitibus hamis, inuncabuntur.* Hæc quis non videt æquiùs accommodari Summis Pontificibus potissimè, quos velut cereos cupimus nostris obsecundantes placitis; quod fieri non potest, cum non solùm illa sæpe sint rectæ dissentanea rationi, verùm & inuicem pugnantia fermè in hominibus. 4. QVIA plurimis detenti negotijs, & temporalibus, & spiritualibus supra cæteros Principes, ad singula quæque mētem adhibere nequeunt pro illorum exigentia. 5. QVIA cum soleant infici, teste *S. Ber.* in fin. lib. de Consid. ad Eugen. Papam, *Facilitate Credulitatis*, ex hoc vitio *pro nihilo iræ multæ* (inquit) *Innocentium frequens addictio, ac præiudicia in absentes*; nec non in presentes beneficia. 6. QVIA calliditas domesticorum, seu aulicorum, ac inprimis adulatorum, vt inquiunt nouem Præsules, inter quos quatuor e primarijs Cardinalibus, & pietate, & doctrina, initio *Consilij*, quod anno 1537. præbuerunt *Paulo III.* illud petenti pro Reformatione Ecclesiæ, efficit, *vt difficillimus fuerit semper aditus veritatis ad aures Principum*; & cum e *S. Bern.* ser. 4. de Ascens. Dom. *Potentibus omnes adulentur*, vix fieri potest, *vt plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret*, quemadmodum loquitur *Sen.* lib.6. de benef. c.33. Qui prius c.31. animaduerterat, solummodò Demaratum

Lace-

Lacedæmonium inter tot Xerxis Regis aulicos, familiaresque ausum fuisse eidem significare, ne exercitum, quem habebat copiosissimum (hunc terrestrem, ac maritimum e tribus constitisse millionibus, vt vulgò dicitur, militum Diodorus, & quinque, & ampliùs Herodotus narrat; de quo legatur Salian. ad an. Mundi 3573. n.7. & seq.) in Græciam transmitteret, cladem illi prænuncians, cum tamen cæteri omnes citissimam, & gloriosissimam ab eo reportandam victoriam Regi plaudentes significarent: Quibus eleganter subdit, *Quã miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi, nisi qui non dicebat sibi*; nimirum Demaratus, qui Lacedæmonius, adeoque Græcus, ac externus fuit vnicus non adulator inter domesticos quoque ipsius Xerxis; qui tamen ex hoc ipso omnibus miserabilior sibi subditis. Verùm hic aditus veritatis adhuc difficilior est ad aures Romanorum Pontificum propter frequentiam adulatorum in Romana Curia, e causa non temerè significata a *Ioan. Mai.* in fin. Disput de Auct. Eccl. quem virum appellat *Nauar*. c. penult. d. 6. de Pænit. n. 28. & q. 1. de Red. Eccl. Mon. 49. n. 5. *eruditum, & acutissimum*; quem etiam *eximium* Doctorem insipienter planè a Philippo Mornæo Caluinista primario Romani Pontificis potestati aduersante afferri *Leonardus Coquæus* (de quo sæpe infra) tom. 2. contra eumdem in Antid. contra Opposit. 65. p. 333. probat. 7. QVIA licet *nemo dubitare debeat, sanctum esse eum, quem apex tantæ dignitatis attollit, aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat* d. 40. c. *Non nos*; Cum tamen plurimas delinquendi, & grauiter, occasiones tantæ dignitatis apex ad illum erectis subministret, has vitare omnes, summæ profectò sanctitatis est. 8. QVIA cum iuxta *S. Th.* quolib. 10. ar. 15. in Corp. aliqua sint ex obiecto mala, quæ tamen ex aliqua circumstantia euadere bona queunt; & circumstantiæ, cum quibus Summi Pontifices inter cæteros Principes aliqua agunt, vel decernunt, possint esse paucis, vel etiam solis Pontificibus ipsis notæ; Nos subditi tenemur non vituperare illorum actiones, quibus illæ sunt ignotæ, ac sæpissimè non possunt, ac sæpe non debent manifestari. Non laudandi quidem; SI factis demonstrarent se *pascere oues* sibi commissas Ioan. 21. non sicut Christi, sed sicut suas, *in eis quærentes gloriam suam, dominium suum, lucra sua, non Christi*; hoc enim ipso *conuincerentur amare se, non Christum, ac esse inter eos, quos Apostolus gemit* Phil. 2. v. 21. sua quærere, non quæ Iesu Christi, *ac esse in eorum societate*, qui pertinent ad tempora periculosa seipsos amantes 2. Thim. cap. 3. v. 1. & 2. vt ait *S. Aug.* tr. 23. in S. Ioan. cuius præclara sanè verba refert *Mald.* ad fin. v. 15. 16. 17. c. 21. Ioan. Qui etiam ad c. 10. v. 7. in eumdem Ioan. animaduertit, eos qui quærunt solùm, quæ sua sunt, non quæ ouium salutem, ibi a Christo *fures* appellari, quos etiam Ezech. cap. 34. v. 2. 3. describit, ac *Mercenarios* v. 13. 14. e *S. Greg.* Hom. 14. in Euãg. qui principaliter propter temporales mercedes oues Dominicas pascunt; fur autem & mercenarius non est bonus pastor, nec verus similis Christo, cuius imitatores in primis debent esse illius in terris Vicarij: SI non sedulò perscrutantes *In qua Orbis parte Christiana Religio vexetur a Turcis, Saracenis, Tartaris, & alijs Infidelibus, In qua regione vigeat hæresis schisma, vel quælibet superstitionis species, In quibus Prouincijs mores, & Diuinorũ obseruantia mandatorũ, rectaq. viuendi forma, tam in statu Ecclesiastico, quã Sæculari dilabũtur, Vbi etiam Libertas Ecclesiastica conculcatur, Inter quos Reges, Principesque, & Populos vigeant odia, vel bella, vel bellorum metus; non vbique sicut pij Patres cum Fratribus suis Cardinalibus remedijs opportunis diligenter prouidere studerent*, vt monuerunt Patres Concil. Basil.

sess. 23.

seſſ.23.ann.1436. Mart.25. Romanos Pontifices, illis antea in mentem reuocantes, *quid B. Petrus, aliique ſuccedentes Pontifices fecerunt, qui nihil aliud cogitabant, niſi honorem Dei, propagationem fidei, ſalutemque, & vtilitatem filiorum ſuorum*: SI *quam ſollicitudinem vniuerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debent, eam hic potiſsimùm non impenderent, vt lectiſſimos tantùm Cardinales ſibi aſciſcerent, & bonos maximè, atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſijs præficerent, idque eò magis, quòd ouium Chriſti ſanguinem, quæ ex malo negligentium, & ſui officij immemorum Paſtorum regimine peribũt, D.N. Ieſus Chriſtus de manibus eorum ſit requiſiturus*, vt apertè S. Synodi Tridentinæ Patres in fin.c.1.ſeſs.24. Quæ inquit, *tot grauiſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non potuit non commemorare* id, *vt nihil magis Eccleſiæ Dei neceſſarium*: SI *ſuæ ſalutis immemores, ac negligentes quoque ſibi in ſpiritualibus ſubditorum ſalute curanda ſemet exhiberent*, totos ferme negotijs ſæcularibus implicantes, & de propagando Eccleſiæ, vel Suorum in primis temporali patrimonio ſolliciti, parum laborantes, quod Ciuitates, aut Prouinciæ, vel hæreſum veneno inficerentur, vel Turcicis legibus parere cogerentur, & Chriſti loco in Catholicis iam Templis Mahometes ſubrogaretur cap. *Si Papa* d.40. & cap. *Quamuis* de Reg.Iur.in 5. potiùs Philoſophicis, vel Rhetoricis dediti ſtudijs, quam Sacræ Scripturæ, & præſertim Epiſtolarum S. Petri, & Pauli ad Timot. ac Tit. ſacriſque earum interpretibus, vel lectioni librorum quinque *S. Bern.* de Conſideratione ad Eugen. Papam, ac Epiſtolarum ad eumdem, ac Innocentiũ II. Paſtoralique *S. Greg. &c.* NON laudandi, inquam, etiamſi in alijs virtutibus excellerent ad munus primarium Paſtorale non ſpectantibus; huiuſmodi enim laudes, ac præcipuè ſi a viris aliqua auctoritate præditis proferantur, allicere poſſent reliquos Pontifices ad horum, non ad aliorum ſanctiſſimorum reipſa Pontificum, veſtigijs inſiſtendum: At vituperandi prorſus, ſi palam exercerent actiones intrinſecè, & in qualibet circumſtantia malas. Quamobrem ſicut arguendi, qui de conſilijs, factiſque Chriſti Vicariorum, ad alios præſertim pertinentibus, iudicare volunt c. *Nemini eſt* 17. q.4. debemus enim imitari Chriſti Diſcipulos, qui aſſueti erant, & ab illo inſtructi, ne eius facta dijudicarent, vt e *Chryſ. Theoph. ac Euth.* docet *Mald.* ad Ioan. 4. v.27. Ita pariter arguendi, qui *nimia pietate, ac iuſtitiæ inimica benignitate* d.50.c.*Si quis* omnia facta, dictaque Summorum Pontificum eximere a culpa ſatagunt, ſimiles illis, qui *pio affectu erga Apoſtolum Petrum*, vt ait *S. Hier.* in c.26.Matth.v.75. aiunt ambiguè locutum, *non Deum negaſſe, ſed hominem*; ſic enim *illum defendunt*, vt *Deum mendacij reum faciant*. Hæc obiter dicta ſint ad excuſationem, ſi quæ minùs laudabilia cenſeantur in Romana Curia circa Pal. geſta, quamuis in ſupra allatis, ac infra afferendis Romano Pontificatui infenſiſſimum prorſus ſemet exhibuerit.

4 Quam meritò complures prudentia, ſapientiaque illuſtres viri Catholici, ac Romanæ Eccleſiæ ſtudioſiſſimi optauerint, vt antequam in publicum emitteretur Pal. Hiſtoria, priùs recognita fuiſſet ab hominibus in Italia, Hiſpania, Gallia, ac Germania quoque doctrina, eruditione, ac rerum vſu præſtantiſſimis, qui in hiſce Prouincijs non deſunt, valde etiam in Romanam Eccleſiam propenſi: cum enim in illius editione, quam triginta, & amplius annorum ſpatio Romana Curia eſt meditata, de Romanæ Eccleſiæ ageretur dignitate, maximè cum in Catholicis ipſiſmet Prouincijs ſingularem plauſum Hiſtoria S. apud non paucos obtinuiſſet, ac obtineret; par erat, vt plurimorum exquirerentur vota, & non ſatis foret Pal. iudicium, & quorumdam

Soc.

Soc. Theologorum dilucida probatio. Et illorum quidem animaduersiones Romam mittendæ in peculiari prudentum in Curia Virorum selecto Cœtu fuissent examinandæ; Sic enim, cum demenda absque dubitatione multa fuissent, multa quoque immutanda &c. fructum oppidò illum in animabus, quem certè intenderunt Romani Pontificis in idonea Responsione ad S. Historiam, reportasset hęc Pal. Historia: Imò non solùm T.C. auctoritas, ac veneratio magis propagata fuisset; verùm & ampliorem ipsemet Pal. fuisset honorem consecutus. Ipsis Ecclesiæ commodis o quam sæpe noxia est nimis alta de alicuius, vel aliquorum sapientia existimatio! Periculosũ esse obseruat *Mald.* ex *Orig. in Ioan.* Si auditores maiorem, quam veritas ferat, opinionem habeat de Concionatoribus, vel Magistris; indeq. nonnullas hæreses ortas esse, quod nonnullis exemplis probat etiam *Origenes*, apud quem Lector ea videre poterit.

11 Priuilegium ALEX. VII. pro Impressione 20. Iun. 1656. quod subsecutum fuit approbationem Præp. Gener. S. I. die 30. eiusdem mens. nihil plane conducit ad huius Historiæ auctoritatem cõfirmandam, aut veritatis laudem eidem conciliandam; & prouidè quidem, ac sapientissimè Summus Pontifex nec breuem illius commendationem ibi attingit. Etiam *Macchiauelli* Historia, cuius describendæ ipsi prouinciam demandauit Clem. VII. aliaque Politica, quæ postquam ab eodem Romam delata, & ad Pontificis pedes an. 1525. deposita, eius auctoritate edenda, vel supprimenda, Romæ sexennio lecta, ann. 1531. cum diplomate, ac Priuilegio Pontificio fuere impressa, eorumque librorum impressiones iteratæ, non dissentientibus subsecutis Pontificibus *Paulo III. Iulio III. Marcello II.* primò (errat manifestè *Vasq.* d. 20. in 1. p. init. n. 2. inquiens hunc Macchiauelli librum *statim* ac editus fuit, *publico edicto Inquisitorum interdictum fuisse*) interdicta sub *Paulo IV.* tam seuerè postea a cõsecutis Pontificibus interdicta fuere, vt tum *Macchiauellus* inter Auctores Primæ Classis in *lib. Prohib. Ind.* fuerit collocatus, tum licet quibusdam concedatur facultas habendi, & legendi libros Prohibitos, ac etiam hæreticos, excipiatur fermè semper *Macchiauelli Politica* &c. Quod meritò factum propter experientiam ingentium, quæ illorum lectio attulit, & afferre potest, animabus incommodorum. Quamuis enim Macchiauelli doctrina conformis esset doctrinæ *Aristotelis* 5. Polit. c. 11. ibique S. Th. ac *Seneca* ep. 29. de *Marcellino*, quin etiam *S. Greg.* p. 3. Pastor. Admonit. 32. verbis, *Admonendi sunt, vt si esse mali non metuunt, erubescant saltem videri quod sunt; plerumque enim culpa dum absconditur, effugatur* (idest vitia sua dissimulare studens ijs liberatur) *quia dum mens erubescit videri, quod tamen esse non metuit, erubescit quandoque esse, quod fugit videri. Cum verò prauus quisque impudenter innotescit, quò liberiùs omne facinus perpetrat, eò etiam licitum putat, & quod licitum suspicatur, in hoc proculdubio multipliciùs mergitur* (de qua re tamen in præsentia haud ineunda disputatio) Cùm tamen communiter homines ijs libris abusi fuerint, & abuti in posterum possint, iure optimo sanè illorum lectio vetatur. Quinam, quæso, per se sanctiores, ac vtiliores libri, quam Sacri Codices, quorum scriptionem dictauit Diuinus Veritatis Spiritus, & quos SS. Patres priscis hortabantur sæculis fideles, vt frequentissimè manibus versarent, ac peculiariter Patresfamilias hortabantur omnes ad eorum lectionem coram filijs, ac seruis, alijsque domesticis? Et nihilominus *cum experimento comprobatum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam vtilitatis*

oriri, vt habetur Reg.4. Instruct.pro Impres.lib. sub Pio IV, *Mandato, & vsu sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis sublata fuit Episcopis Inquisitoribus, ac Superioribus Regularium faculta* (quæ a Pio IV. videbatur fuisse concessa) *concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, aut alias sacræ Scripturæ, tam noui, quam veteris Testamenti partes quauis vulgari lingua editas*, vt legitur in Obseru. circa Reg.4. sub Clem. VIII. Est verum quidem, quod istud detrimentum ex libris sedulò perpendendum est, ac sine animi affectione; potest enim sæpe a maleuolis, inuidis &c. istud iudicari, vel amplificari &c. Nullusque liber adeo vtilis esse potest plurimis, quin alijs possit esse noxius. Sacramentis ipsismet a Christo institutis, causisque sanctificantis gratiæ, siue moralibus, siue physicis, quot abutuntur? *Quidam enimuerò*; vt ait nobilissimus Scriptor loquens de libris, eorumque interdicto, *hisce diebus propriarum opinionum adeo tenaces sunt, vt quicquid ipsi illicitum esse semel apud se statuerunt, illico ab omnibus, etiam cum maximo ipsorum incommodo corporali, tanquam illicitum, condemnandum esse vellent; & si ab illis ratio exigitur, qua moueantur ad talem actionem, vt illicitam, tam ardenter condemnandam, cum alij contra sentientes eam nulla lege naturali, vel Diuina, Ecclesiastica, vel Ciuili prohibitam esse opinentur, continuò* ad scandalum, *si alia ratio illis non suppetat, confugere solent*, & scandalum scandalum *conclamare solent*. Et licet in explicanda *scandali* definitione 2.2. q.43.ar.3. & 6. in corp. sit inter aliquos dissensio; omnes tamen consentiunt, Actionem nullam, quæ lege naturali, vel positiua, saltem Diuina, præcipitur (quod egregiè inter cæteros probat ex eodem S.Th. quoque *Vasq.* in 1. 2. disp. 162. a n.17. *Theologus, dum viueret, ingenio, ac eruditione nulli secundus*, vt Pal. ipsemet c.27. Vindic.pag.224. inquit) veram ruinæ spiritualis occasionem præbere posse; quam si quis inde arripiat, non *datum*, sed *acceptum* esse *scandalum*, quod contemnendum omnino est (cum censeatur tunc *Pharisaicum*) iuxta Christi verba Matth. 15. v.14. quæ accuratè ponderat *Innoc.III.* c. *nisi* de Renunc. qui & c. *Cum ex iniuncto* de Nou. Op. Nunc. illa clarè vniuersim pronunciat, *Opera illa, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo omittenda; nec ea debent pro vitando scandalo admitti, quæ sine mortali peccato omitti non possunt*. Ostendere profectò nunquam licebit P. sibi non licuisse, sine peccato mortali prætermittere plurima, quæ ad actiones Pontificum, Principum, & Patrum quoque T.C. spectabant, & alia etiam plura, quæ haud T.C. Historiæ erant adnata. Ostendi potiùs poterit plurima obligatum fuisse Pal. silentio præterire, vtpote non congrua Responsioni Historiæ S. sed potiùs mirificè illi fauentia, ac illegitimum de T.C. sensum apud Protestantes fouentia. Non poterat forsan sine scandalo omitti Responsio ad S. vt scandalum in multorum mentibus ex illa ortum tolleretur: Verùm hæc Pal. non ad id opportuna, cùm potiùs illud idem confirmet, videtur Sapientissimis viris, qui singulari amore, ac veneratione Romanam prosequuntur Ecclesiam, & Sectariorum sensus nollent à nobis ipsis corroborari. *Hactenus de his*, vt significetur, non obstare ALEX.VII. Priuilegium posse, sicuti nec obstitit Macchiauelli libris simile *Clem. VII.* Priuilegium, quò minùs Pal. Voluminum lectio interdici queat, si experimento cõprobatum fuerit, vel comprobetur, dum illa, præsertim Italico idiomate conscripta, passim permittantur sine discrimine, non ob *hominum* solam *temeritatem*, vt de sacris Codicibus lingua vulgari editis dicitur, siue ob hominum fragilitatem, vel inscitiam, sed verè ex se apta esse ad nõ æquos, vel prauos sen-

ſus fidelium animis inſerendos, magiſque hæreticos in ſuis opinionibus, maximè de Tridentino, corroborandos, adeoque eſſe *ſcandaloſa actiuè* certò. *Preterea*; cum Romani Pontifices in *Inſtruct.* Romæ promulgata ann. 1595. die 17. Octob. de *Correct. libr.* ſtatuerint, *delenda eſſe in libris* (nec exceperunt in hoc Romæ editos, vel edendos, imò hanc legem, vtpote naturali, ac diuino iuri conformem, Romæ exactiùs ſeruandam nemo Pontifex, vel ſapiens non cenſuerit) *quæ famæ proximorum, & præſertim Eccleſiaſticorum, & Principum detrahunt, boniſque moribus, & Chriſtianæ diſciplinæ ſunt contraria*; nec non *facetias, aut dicteria in perniciem, aut præiudicium famæ, & exiſtimationis aliorum iactata eſſe repudianda*: An hoc etiam nomine expurgationem, tum *liber Vindicationum*, tum hæc *Hiſtoria* repoſcant neceſſariò, viderint alij. Illi aliquot dementur folia; huius vix vnum volumen ſupererit.

12 Facilè Priuilegium aliud a *Genuenſi Republica* 25. Dec. 1655. obtinere potuit Pall. ne quis in ſua ditione imprimeret hanc Hiſtoriam, vel alibi impreſſam venderet; etenim, præterquam multos Genuæ ſibi amiciſſimos habebat, multi e Genuenſibus Patritijs ſunt in S.I. admiſſi, & aliquorum e Soc. in Conſilijs ſenſum exquirunt primores iſtius Reipublicæ; peculiariter *Genuenſis Reſpublica* petitioni conſentire potuit, eò quod peculiariter in ea *Petrus Soaue* oppugnaretur vehementer &c. Tale Priuilegium, quod faueret huic Hiſtoriæ, non conceſſiſſet Magnus Hetruriæ Dux, nec ProRex Neapolitanus, vel Senatus Mediolanenſis, imò conceſſum reuocaſſet, cum in ea notentur acerbiſſimè ex Medicea Familia Florentina *Leo X.* & *Clem. VII. Carolus V.* cum *Philippo* Hiſpaniarum Rege &c.

Ad Cap. I. Introductionis.

13 CVM Pal. apertè ſcribat, nullum Concilium magis, quam Tridentinū, fuiſſe ab amicis commendatum, & ab inimicis vituperatum; procul dubio abſtinendum ei fuit a quamplurimis in hac Hiſtoria, ne Catholici minùs in poſterum forent illud commendaturi, ac Hæretici magis illud vituperaturi: ſed & iſtud Pal. pronunciatum a veritate alienum deprehendet, qui priſcorum ſcripta, Annaleſque Eccleſiaſticos euoluens legerit ſubſecuta potiſſimè *Nicænum*, & *Chalcedonenſe* Concilium; Quot enim aduerſus illa Epiſcopi conuenere, & horum etiam quot Prouincialia Concilia, re ipſa verè Conciliabula? Quot Imperatores etiam Chriſtiani, eorumque Miniſtri, ea oppugnare ſtuduerunt? Quot viri ſanctitate, & doctrina inſignes eadem propugnarunt? Quot pro illorum tuitione Martyrium ſubiere, quorum nonnulli etiam in Romano Martyrologio recenſentur? Hæ laudes tribui nequeunt T.C. Habet quidem alias, & ſummas profectò.

14 Etiam falſum eſt, quod hoc Concilium ampliori durauerit tempore quam quodlibet aliud, niſi impropriè Concilij duratio ſumatur: Etenim, vt omittatur *Baſileenſe*, in quo Patres perſtiterunt a 7. Decemb. an.1431. vſque ad 16. Maij 1448. & mox Lauſannæ ad Menſem Iun. 1449. quo tempore ad Schiſma tollendum ſe Pontificatu, ſeu honore, quem illi detulerant Conc.

Basil. Patres 17. Nou. 1439. se abdicauit circa Mensis Maij finem *Amedeus*, olim Sabaudiæ Dux, in sua Obedientia dictus Fœlix V. & mox Lausanenses Patres, vt legitimum Christi Vicarium, agnouerunt *Nicolaum V.* electum iam Pontificem 6. Maij 1447. post obitum *Eugenij IV.* die 12. Febr. *Lateranensis* Concilij, quod est postremum ante Trindentinum, Patres Romæ coacti permanserunt ibi a die 3. Maij 1512. vsque ad 16. Martij 1517. cum tamen Patres Tridenti in celebrandis Sessionibus laborauerint solummodo quatuor annis, ac tribus circiter mensibus; quibus tamen addi queunt alij quinque menses, quibus Bononiæ Legati Pontificij cum plerisque Patribus commorati sunt, nihil tamen statuentes, a 21. Apr. 1547. ad 14. Sept. Similiter *Florentinum*, quod immediatè præcessit *Lateranense*, teste ipsomet P. lib. 6. c. 11. n. 12 cum perstiterit ad ann. 1445. translatum Florentia Romam 26. April. 1442. atque inchoata fuerit illius *Prima* sessio Ferrariæ 1438. Octob. 8. fit, vt septennium fuerit celebrationis illius Concilij, quod absolutè Florentinum dicitur, tempus. Florentiæ quidem e vigintiquinque Sessionibus, quæ numerari solent Flor. Concil. solùm Nouem habitæ fuerunt a 26. Feb. an. 1439. ad diem 24 Martij.

15 Quãuis exactissimè in T. C. examinatæ fuerint quæstiones, de quibus exponẽda Catholica doctrina, & Canones cõtra Hæreticos promulgandi; nihilominus asserere, quod exactiùs, quàm in cæteris Concilijs, fuerint illę quęstiones discussæ, videtur minùs prudenter dictum; Nam cũ in *Septem* Generalibus Concilijs in Oriente celebratis, & a Romanis Pontificibus approbatis (haud mentio fit *Octaui*, quod peculiariter in Phocij causa est habitum) vnum, vel alterum Dogma fuerit expensum, & Quatuor primis potissimè Concilijs adfuerint Episcopi sanè doctissimi, Patrumque diligentia, antequã aliquid definirent, ex ipsis Conciliorum Tomis pateat, haud par fuit in hoc Tridentinum illis præferre. Satis commendatur, si parem, ac illis, nos Catholici tribuamus auctoritatem T. in quo tot Dogmata fuere definita.

16 Indicat Pal. parum Christianæ Reipublicæ Primores laborasse de Catholica Fide integra, illibataque conseruanda, quòd tot impedimenta ipsi attulerint, quò minùs T.C. conuocaretur, inciperet, progrederetur, & conficeretur; cum tamen Lutheranæ hæreses, quibus infectæ sunt innumerorum, iam Catholicorum animæ, breui potuissent extingui. Non est omnimoda Fidei Catholicæ integritas restituta ab ann. 1517. die vlt. Octob. (hac die Pal. lib. 1. c. 4. n. 4. & c. 5. n. 1. *Lutherus* in 97. Thesibus publicè propositis Vvitembergæ *Nouatoris* nomen sibi asciuit) vsque ad an. 1564. Ian. 26. quando T. fuit a *Pio IV.* confirmatum; Etenim antea in non paucis ipsorum animi Catholicorum ancipites erant. Politicas huius dilationis causas fusissimè Pal. explicat; quæ an præferendæ fuerint Fidei Catholicæ conseruationi in Christiana Republica quadraginta sex circiter annorum spatio, examinent alij. De illis siluisse quid ni opportunius? Dum autem hic, & alibi tradit Pal. Concilium nullum ampliores edidisse leges, vnàque efficaciores, ad Reformationem spectantes, significat deformatam vehementissimè Christianam Rempublicam fuisse ante T.C. imò nunquam magis deformatam: in quo accusantur Pontifices Summi anteriores cuncti post *Martinum V.* in Concilio *Constantiensi* electum an. 1417. Nouembris 11. qui morum huiusmodi deformitates e summa in proprio munere incuria permiserunt, negocijs alijs a Pastorali alienis Cura in primis distenti.

Ad

Ad Cap. II. Introductionis.

17 NON tradit Pal. e quonam Regulari Ordine prodierit *Marcus Antonius de Dominis* Archiepiscopus Spalatrensis, qui par Luthero, si non in multitudine, certè in veneno hæreticorum dogmatum hoc sæculo euulgatorum a nonnullo censetur, cum tamen dilucidè explicet Ordines alios Regulares, quos professi fuerant alij insignes hæretici: excusari tamen aliquatenus potest, cum ignotum fuerit ipsi, an hæreticus euaserit ille, dum adhuc in S.I. foret, an vbi Archiepiscopatum Spalatrensem obtinuit, a Soc dimissus, licet in Soc. præbuisset argumenta animi in hæreses propensi: At non videtur excusandus, quod cum oblata fuerit hoc in loco ipsi occasio, plurima, quæ in S. Historia leguntur, tribuendi huic homini eo an. 1619. quo edendam curauit illam Londini, dicauitque Iacobo Britanniæ Regi, Romanæ Ecclesiæ infensissimo, eam tamen, licet opportunam, respuit, vniuersam Satyrici genij vim in S. effundens, omisso homine, qui complures annos egit in Societate. Quin etiam renuit scribere, vbi primùm S. percepit eam Historiam fuisse excusam, vehementer indoluisse, ac præsertim de titulo, ac dedicatoria, & acerbissimè conquestum fuisse de *M. Antonio de Dominis*: Quod tamen *Auctor libelli de Trib. Hist. C.T.* init. pag, 46. silentio non obuoluit. Et quemnam testem, nedum fidelem, affert Pal. quod S. Historiam illam tradiderit huic Archiepiscopo, & Londini imprimendam? An eam potiùs ab alijs accepit, penes quos erat Historiæ exemplar, qui præter S. Consilium illam publici iuris esse voluerunt? An forsan descripta clam (vt certè contigit *Vitæ ipsius S.* furtim sublatæ) a quodam in Angliam fuit delata, & M. Antonio tradita? Illud quidem vulgatum est alicubi, cum fictis typis lucem aspexisset quorumdam opera libellus nonnullis ingratissimus; hos, vt par pari rependerent, alium curasse scribendum, qui non minùs illis ingratus foret, ad publicum bonum id spectare existimantes, vt sic auerterentur nonnulli ab aliorum concitanda ira, dum eorum supra cæteros in aliquibus præstantiæ fundamenta penitus euertere moliebantur. Horum impulsu dicitur S. Historiæ T.C. fuisse aggressus scriptionẽ, quam æmulis fore molestissimam existimabat. Si hæc fama verax est, de huiusmodi scriptione nullatenus est S. vel quicumque fuerit, laudandus. Aliqualem tamen excusationem illius, vt sic scriptio, ac editio habet ex occasione libelli iam indicati aliorum iura, ac laudes grauissimè lædentis; quem præter alios, confutauit *Scipio Henricus*, de quo supra, libello an. 1650. Messanæ impresso, eum falsitatis redarguens in multis &c.

18 Si ex vna parte *Scriptor Vitæ Petri S.* qui a Pal. quoque dicitur fuisse maximo vsu familiaritatis, ac educationis ei coniunctissimus, tradit S. linguam zelo arsisse pro Romana Fide; & ex alia notissimum est compluribus, etiam Romanæ Ecclesiæ studiosissimis, in Moralibus ipsis Virtutibus excelluisse, ac peculiariter in paupertate, humilitate, erga proximos charitate, ac facilitate præsertim ad graues quoque iniurias illatas sibi condonandas; patuitque illis, quorum fuit sua tueri iura quindecim, & ampliùs annorum spatio, quæ legitima censuit Romanæ Ecclesiæ iura, S. semper defendisse ac in dubio plerumque etiam pro illis consilium prębuisse; An non contra S.

mentem

mentem plurima in illius Historiæ libro scripta, amplificataq. fuisse, ferè moraliter certum homo non maleuolus, nec malignus existimauerit? Et quis ignorat fingi litteras, & caracterem facilè ab infensis S. potuisse, vt magis Romanæ Curiæ iram contra illum inflammarent; haberentque illius aduersarij (non defuerunt hi e domesticis ipsis, nedum e ciuibus) occasionem omni opera contendendi, vt a quodam remoueretur munere, scientes, quam Catholicus foret Princeps ille, cuius Minister erat. Indiscretus quorumdam zelus, cuius meminit etiam Pal. c.6. *Introd.* a vocibus quorumdam excitatus de prauis S. sensibus, nonne impellere eos potuit, vt id reipsa contingeret, ad hæc, aliaq. excogitanda illos confirmantia, maximè cum alijs, a quibus ampla expectare poterant munera, ea fore gratissima arbitrarentur? Sub Religionis specie quot miracula, quot reuelationes confinguntur post Trid. nominatim Conc.? Nota est multis in Vrbe causa, propterquā conditum ab *Vrbano VIII.* decretum de nullo in Sanctorum numerum referendo, nisi elapsis centum annis ab illius obitu. Etiam Bullæ Pontificiæ Iubilei promulgatrices a quibusdam fictę nonnullis ab hinc fuere annis, vt clarè tradit *Lucas Assarinus* in lib. cui Titulus, *Reuolutioni di Catalogna*, edito Bononiæ ann. 1648. pag.169. lib.2. *Publicum bonum*, *Catholicæ Religionis incrementum*, *Dei gloriam, grande illud vocabulum*, *nullis non criminibus patrocinari*, docet apertissimè Pal. ipse c.51. lib. Vind. init. pag.397. Exploratissimum est, aliquos eas struere calumnias cōtra homines virtutibus, ac scientijs conspicuos quandoq. & præsertim si hi sint minùs alicui Magnati, vel aliquibus auctoritate pollētibus grati, vt oppositas opiniones illis, quas typis etiam vulgarunt, tanquam typis ab ijsdem vulgatas exponant; & hinc interdum isti grauia subire incommoda cogantur; ad quæ tamen resarcienda se teneri postea non putant, experientia teste: Et hi forsan aptiùs inter Atheistas reponendi essent, quam S. a Pal. fuerit repositus. De Calumnijs in omni fermè Vitiorum genere integerrimis planè viris iam illatis eruditum *Rayn.* e nobilissima S.I. impressit lib. Lugduni an.1654. de quo supra, cū inscriptione, *Hoplotheca Contra Ictum Calumniæ Robur*; cui aliæ possent addi, ac peculiariter an.1648. & 1649. in lib. *Iud. Post.* atque *Vindicat.* notissimæ, & quæ illius impressionem consecutæ. Cum *Innoc.III.* in Concil. Later. an.1215. decernat, vt quæ ibi statuta fuere circa inquisitionem, ac punitionem delictorum, *diligentius*, *quam in subditis, sint obseruanda in Prælatis*, cum hi sint præ illis expositi *falsis, malignisque calumnijs* c. qualiter, & quando de Accus. etiam idem agendum cum fama emanat non bona de aliquibus Principum Ministris, qui *quasi in signum*, vt ibidem dicitur de Prælatis, *positi sunt ad sagittam*; facilè siquidem *a maleuolis, & maledicis* oriri illam posse innuit *Innoc.* ac præsertim in maledica Ciuitate; nequeunt enim non *multorum incurrere odium &c.*

19 Si ea, quæ audierat, ac legerat de T.C. esse vera, ac fidelia existimasset S. atque ex ignorantia inuincibili responsionum ad plurima ex illis, putauisset, haud illud fuisse legitimum, vel saltem de hoc dubitasset, cum id falsissimum sit, errauisset quidem ille materialiter manifestè; at in hoc ipso permanens errore, donec T. sibi suaderet fuisse legitimum, adhuc Catholicus in foro interiori foret, si paratus subijcere iudicium suum iudicio Ecclesiæ, quando illud, vt legitimum, proponeret; nomine autem *Ecclesiæ* intelligeret non Romanos Pontifices, quorum auctoritatē extra Generale Concilium, vel nisi Vniuersalis Ecclesiæ consensus accedat, in condendis Fidei, vel Morum decretis minimè infallibilem esse, sciebat doctos etiam Doctores asseruisse, &

asserere

Terere, nec illorum opinionem adhuc authenticè damnatam fuisse nouerat, sed Vniuersalis Concilij Patres post T. celebrandi. Sapientissimos etiam Viros in manifestis interdum caligasse, & quosdam ex ipsismet SS. Patribus doctissimos quandoque interpretationes adhibuisse contra fermè clarissima Euangeliorum verba, eruditis hominibus est perspectissimum. Quidni illa, quæ contra T. stabant, consultò S. proposuerit, vt si responsio data fuisset idonea, a falsarijs scilicet, & malignis hominibus solùm fuisse prolata, aut esse leuissima euincens, opinionem de T. suam commutaret, aut dubium deponeret? Cum autem ipse viuens librum nullum suam refellentē Historiam viderit, nedum legerit, licet, vbi impressa Londini, Romam statim fuerit missa, & complura sciret haberi illius exemplaria in Vrbe, & primariorum, nec paucorum ibi virorum (præter ea, quæ in Catholicis omnibus Prouincijs apud viros valde conspicuos erant) manibus versari, ac præterea illustres Romæ sapientia homines Responsionem ad illam conficere omnino detrectasse, si hac falsissima opinione imbutus, quòd haud legitimum fuerit T.C. hic homo, ceterà pius, alijsque Catholicæ, ac Romanæ certis dogmatibus adhærēs, an inter hæreticos coram Deo est collocandus? Profectò Martyr etiam propriè, licet non Catholicus, nec Laureola dignus, est, qui pro falso dogmate, quod ex ignorantia inuincibili putat esse a Deo reuelatum, sanguinem profundit, vt inter alios tradit *Th. Hurtad. de Ver. Martyr. Fid.* Resol. 25. §. 3 An si putasset, deceptus a Sathana transfigurante se in Angelum lucis (a quo decepti sunt sæpe sanctissimi etiam viri) e re Catholicæ Fidei esse, illum, quem existimabat errorem communiter apud Catholicos, hoc est, existimationem de T.C. legitimitate, ab illorum mentibus depellere, ante Deum reprehensibilis? Quamobrem cum legitur in Vita Soaue (quæ fuisset accuratior, & prolixior, si scriptor de editione cogitasset) illum fuisse Romanæ fidei studiosissimum, id explicandum est de illa fide, quam vsque ad *Basileense* Concilium putauit in Romana viguisse Ecclesia, non quæ *Constantiensi* Concilio 16. Nouemb. 1414. inchoato fine imposito 1418. Apr. 22. vigebat apud complures e Romana Curia, illique adhærentes, non innixa Pontificijs definitionibus e Cathedra, vel Conciliatibus: Nam *Florentinum* probare forsan noluit cum Parisiensibus Theologis, illisque Præsulibus Gallis, qui vnà cum Cardinali Lotharingio adfuerunt T. C. quemadmodum testatur ipsemet Pal. (vt infra ad c. 10. dicetur) Quia celebratum, dum permaneret (ex ipsorum sententia) *Basileense*; duo autem Generalia simpliciter, & Oecumenica Concilia tempore eodem celebrari nequeunt. *Hæc dicta sint* e multorum sensu ad abolendam S. inustam a Pal. notam Atheistæ, & ab alijs promiscuè Hæretici, cum in foro interiori haud hæresis crimen subijsse putent (nam pauci quidam in exteriori quoque) dum censeretur Historiam fermè totam, quæ legitur, a S. fuisse scriptam. Licet ista adhuc non penitus probanda sint; illud tamen probant, in hanc hæresis, ac hæretici etiam in foro exteriori notam nimis complures esse propensos; de quo conquesti sunt, & iure sanè optimo, superiori sæculo *Ludouicus Viues* lib. 1. de Caus. Corrupt. Art. & *Alphonsus Castrensis* init. c. 9. lib. 1. adu. Hæt. ac nostro inter cæteros *Rayn.* de Mal. ac Bon. lib. Partit. 3. Erot. 3. num. 304. arbitrantes, quæ suis placitis, hoc est, Scholæ, suorumue Doctorum, seu Scriptorum doctrinæ aduersantur, *pro eadem Catholicam sumentes*, vt loquitur Pal. c. 28. Vind. pag. 237. *ac suam*, vel communiori quoque Theologorum opinioni (quorum etiam sæpe multi numerū addunt, non pondus, multi ex priuatis affectionibus loquuntur, ac scribunt) repu-

gnant, hæreses esse, aut errores in fide &c. adeoque eas docentes sententias esse suspectos, & non rarò etiam vehementer, de fide; cum tamen potiùs inter hereticos essent reponendi, qui opiniones adhuc ab Ecclesia non definitas, seu a legitimis fidei Controuersiarum Iudicibus, qui soli sunt Romani Pontifices e Cathedra, & Generalium legitimorum Conciliorum Patres, nullatenus damnatas, tanquam Catholicæ fidei articulos habent, & vt tales fidelibus proponunt voce, aut scriptis, aut libris: de qua re legatur idem *Castr.* de Iust. Hæret. Punit. c.6. Dub.4. (hic summa cum laude interfuit T. e P. lib.6. Hist. c.5. n.5. lib.13. c.10. n.21.) cuius de hac re iudicium probat *Vasq.* tom.2. in 3. p. disp.117. n.25. (huius meritò elogium legitur apud eumdem P. in lib. Vind. c.27. pag.224. & c.28. pag.228.) & cuius argumenta esse insolubilia confirmat Hispanos inter Theologos valde celebris *Th. Hurtad.* Resol.25. de Ver. Martyr. Fid. HINC diligenter distinguendum inter Ecclesiam *Definientem*, & Ecclesiam *Opinantem*; huic enim non solùm non Catholicam præstare fidem nullum prorsus crimen est, sed & præstare mortale crimen est, exhibẽdo idem nostri intellectus obsequium Ecclesiæ *Opinanti*, quod *Definienti*, nostrumq. iudicium præponendo Ecclesiæ, quæ talem opinionem permittit, vel proponit, vt *Opinabilem*; adeoque nec fides Catholica ad assensum illius supernaturalem inclinare potest: Quin etiam, qui contrariæ opinionis Sectatores non Catholicos, aut minùs Catholicos, aut non pios, aut impios appellaret, præter mortale crimen contra Charitatem, & contra Iustitiam, ad Famæ restitutionem certò obligans, etiam grauissimis quãdoque in foro exteriori decretis pænis redderetur obnoxius, quas inflixerunt olim Summi Pontifices in Bullis nominatim de *Concept. B.V.* & grauiores subire voluit sapientissimè ALEX. VII. in Bulla Romæ promulgata an.1661. die 11. Decemb. quàm contrafacientes sui illi Constitutioni. Non dubitandum tamen, quin S. hæreticorum pœnæ iam in vtroque foro statutæ potuissent imponi adhuc viuenti, si fassus fuisset, Historiam Londini, & alibi impressam, vt iacet, esse suam, seu integrè omninò a se scriptam, ac renuisset aliqua reuocare, aliqua declarare, suum detrectans iudicium posthabere iudicio Ecclesiæ, maximè vbi animaduertisset, eam sentire, inania prorsus esse omnia, quæ afferuntur, vel afferri queunt, quod T.C. fuerit tantùm Politicus quidam Confessus &c. A qua pertinacia, quæ sola hominem constituit hæreticum in vtroque foro, S. animum longè abfuisse, eiusdem præclaræ animi dotes indicant: Ad illam autem in foro interiori non satis esse Ignorantiam quoque *Affectatam* (nisi sit ex falsa opinione contra Ecclesiam, existimando v. g. parui esse momenti illa, quæ ab Ecclesia proponuntur credenda) nedum *Supinam*, & *Crassam*, putant ex ipsa S. I. *Val. Becan. Vasq. Azor. Suar. Coninc.* quos sequitur *Castr. Pal.* (hunc inter Soc. Scriptores clarissimos numerat Pal. c.36. lib. Vindic. pag. 288.) in tom. 1. tr.4. d.3. p.2. n.3. nec non *Santarel.* tract. de Hæres. c.1. dub.5. n. 23. Qui etiam dub.4. n.18. in fin. post *Arag.* in 2.2. q.11. ar.1. concl.2. (& fauet *Tann.* 2.2. d.1. q.8. dub.5. n.91. & 94.) arbitratur, vt in foro exteriori quis hæreticus censeatur, debere priùs esse præmonitum, secus haud esse habendum a Iudice pertinacem; liber autem *Santarelli* editus est Romæ ann. 1625. Quæ admonitio cum S. post editam T.C. Historiam facta non fuerit, immo sciuerit illam fuisse a pluribus Catholicis etiam viris (sed verè parum versatis in materia Fidei, & Conciliorum) non leuiter commendatam; nec esset S. in hoc foro censendus planè hæreticus, cum non esset pertinax iuxta hanc sententiã; quæ in primis niti potest cap. *Qui in Ecclesia* 24. q.3. collecto ex *S. Aug.* cap.51.

lib.8.

lib. 8. de Ciuit. init. non e *S. Aug. contra Manichæos*, vt habetur in Gratiani Decreto etiam sub Greg. XIII. correcto: Verùm cum hæc sententia a plerisque reijciatur, nec dicatur admittenda in Tribunali S. Inquisitionis, nisi in valde rudi, & simplici, vel in sagaci, & docto, quando relaxandus foret brachio sæculari, vt legitur apud *Dian.* p.3. tr.7. Resol. 36. in foro exteriori simpliciter, & absolutè censeretur hæreticus S. ac in primis a parùm ipsi propitijs, sed non iniquè.

20 Quamuis certum foret S. auctorem penitus fuisse Historiæ an. 1619. editæ, adhuc tamen maleuolus Pal. in S. animus luculenter patet, quod non obseruauerit plurima, quæ pro T.C. in illa leguntur; quæ tamen alij, licet in S. non beneuoli, animaduerterunt. Equidem *Auctor libelli de Trib. Histor.* c.7. clarissimè pag.95. ait, *Qui attentè Petri Soaue Historiam legerit, cognoscet profectò, Historiam illam vulnera simul, & medicamenta apposuisse*; nec non *Philippus Quorlius* quatuor libris eamdem confutat ex assertionibus tantùm ab huiusmodi Historia collectis. Opinio inserta compluribus de prauis S. sensibus propter quædam Consilia ab eo data, atque confirmata a liuore, odioque nonnullorum etiam e primarijs inter suos, qui ab eo se læsos arbitrabantur (& S. quidem in certo constitutus munere non potuit omnium obsecundare voluntati, præsertim cum esset homo sincerus, fidelis suo Principi, iustitiæ amans &c.) & ab horum amicis latissimè propagata, effecit, vt plurimi in deteriorem partem quælibet dicta, factaque S. interpretarentur, ac aliorum quoque oculi euadant cæci ad perspicienda, quæ pro T. atque Romanis Pontificibus suæ inseruit Historiæ. Nihil enimuero Scriptori accidere potest noxius, & magis lugubre, quàm incurrere in Lectorem, qui odio in ipsum inficiatur: Nam *Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit*, vt scribit *S. Hieron. ad Pam.* nec non, *Qui disceptantes habent inimicitias, non iudicant veritatem*, vt inquit *S. Chrysost.* Hom.4. ad Eph. *Quo modo enim in libra plumbum additum totum trahit; sic etiam pondus inimicitiarum, cum sit plumbo grauius*. Pluribus, & e SS. Patribus *Rayn.* de Mal. ac Bon. lib. Partit.3. Erot.3. a n.484. probat, hanc odij affectionem relegandam esse a librorum Censoribus. Explicat quidem S. & non raró quædam ab hæreticis asserta, illaque exaggerat: Verùm deinde illorum inanitatem declarat, paucisque periodis in fine Historiæ, relata *Pij IV.* Responsione ad litteras *Ferdinandi* Imperatoris, omnia fermè, quæ antea fuere aduersus T.C. proposita, quod non fuerit liberum, adeoque nec legitimum, eneruat; Quod obseruauit idem *Auctor libelli de Trib. Hist.* pag.94. Sic multi ingeniosè faciunt, in Disputationibus nominatim permittentes, vt arguentes videantur iam Thesim propositam penitus oppugnasse, & pluribus argumentis, quæ sua deinde breuissima responsione inania ostendunt cum peritorum plausu auditorum. Ars tamen ista non nisi a perspicacibus, & non penitus maleuolis attendi potuit in S. Historia: Quæ tamen non omninò laudabilis, cum illam voluit, aut existimauit omnium oculis exponendam, cum plerique Lectorum parum cauti ad hæreticorum sensus essent inclinaturi, & vulgo non possit istius Auctor Historiæ non videri oppugnator in compluribus Catholicorum dogmatum, & propugnator hereticorum. Ingenium quidem P. perspicax, quia prorsus maleuolum, hanc artem in S. non obseruauit. Acerrimum in aliquos odium nihil laudabile in Hostibus prædicat, etsi multa sint in illis laudabilia. Non tamen sic ingenui hostes, imitati inter Ethnicos Cæsarem, & Pompeium.

Ad Cap. III. Introductionis.

21 NON duntaxat verum eſt, quod cuiuslibet ſectæ homini, qui inuincibiliter Catholicæ Fidei dogmata ignoret, ſi ea, quæ naturalis eſſe legis nouerit, ſeruet, Deum tandem eam ſupernaturalem cognitionem illius intellectui ſit impertiturus, quæ ſatis ſit ad æternæ felicitatis conſecutionem, adeoq. tunc Eccleſiæ filius euadat, quamuis pleraque in Apoſtolico ipſomet Symbolo contenta, & alia ignoraret, quæ cæteroqui per ſe fideles explicitè tenerentur credere; Vnde qui eſt quælibet firmiter paratus credere, ſi a Deo ſibi reuelentur, vel ab alijs fide dignis, quibus fidem habere teneatur, eſſe a Deo reuelata nouerit, hic certè iam virtualiter, ſeu implicitè Catholicus eſt (fidem autem implicitam ad ſalutem ſufficere interdum animaduertit *Mald.* inter cæteros ad v.6.c.5. Ioan. e c.10. etiam ad Rom. v.14.) licet materialiter ex ignorantia inuincibili eſſet infidelis, vel hæreticus; in quo ſolo ſenſu poteſt eſſe verum, *Quod quicunque in ſua ſecta*, ſi cæteroqui abſtineat ab ijs, quæ ſciuerit eſſe contra rectam rationem, & a ſuperiori aliqua poteſtate vetita, *ſalutem æternam adipiſci poteſt*; nam alioqui *nemo poteſt ſaluus eſſe, qui non tenet Catholicam Fidem*: Sed etiā veriſſimū eſt, quod Catholicæ Fidei aliqua ſint *Fundamenta*, aliqua verò *Ornamenta*, ſeu *Parerga*, vt quidam vocant. ILLA ſunt, quibus quiſque Fidelis tenetur, ſi eorum habeat notitiam, ac exiſtimet eſſe a Deo verè reuelata, & vt talia ab Eccleſia propoſita, eum præbere aſſenſum, vt firmiùs illis aſſentiatur, quam quibuslibet obiectis Mathematicè, vel Metaphyſicè euidentibus, nec non pro illorum veritate tuenda, ſi quando opus erit, vitam ſit ipſimet morti vltro expoſiturus; hæc enim duo Catholica Fides in aſſenſu ſuo a fidelibus exigit, vt firmus omnino ſit. Eiuſmodi ſunt, quæ continentur in Sacris Litteris, Diuiniſque Traditionibus, & a Romano Pontifice e Cathedra, vel ab vniuerſali Eccleſia, quæ in Concilijs Generalibus eſt repræſentatiuè, fidelibus cunctis indicuntur credenda, vel vt certa omnino de fide a cunctis fidelibus vnanimiter prorſus habentur. Ex his aliqua ſaltem per ſe ad iuſtificationem videntur neceſſaria, vt cognitio ſupernaturalis, *quod Deus ſit, & Remunerator ſit*, Hæbr. 11. v.6. quemadmodum declarauit Trid. c.6.7.8. Nam alioqui nec talis cognitio ſimpliciter, & in omni caſu a quibuſdam ad æternam ſalutem exigitur; de quo *Ioan. Caram.* in Apol. pro Opin. Probab. afferens pro illa pag. 68. 69. præter *Acacium Manc de Velaſco*, quem ſummopere commendat, e S.I. *Arriag.* 2.2. d.12. ſect. 4. n.27. *Gran.* contr. 8. de Grat. tr. 9. d.3. n.2. quibus addit *Ripal.* de Fid. d.12. ſect. 13. n.208. & ſect. 14. n.229. ac 233. nec non *Leandr.* p.3. tr.2. d.2. q.6. At quibus Catholicus, & inter Catholicos educatus nō tenetur ſupernaturalis Fidei aſſenſum præſtare, imò nec poteſt etiam conari talem elicere aſſenſum (alioquin eſſet Fidei Catholicæ ipſi iniurioſus, ac hæretici potiùs notæ foret obnoxius, vt *Not.* 19. ſignificatū eſt) ſunt QVÆ inter Catholicos controuerſia eſt, an ſint de Fide, ſolùmque probabilia, vel probabiliora de fide exiſtimantur, euaſura prorſus de fide certa, ſi vt talia proponantur poſtea ab Eccleſia, ſiue contraria opinio, tanquam hæretica, vel erronea in fide damnetur &c. atque hæc *Ornamenta Fidei* meritò dicuntur; ad quorum aſſenſum inclinat habitus diſtinctus ab habitu Fidei Catholicæ;

multa

multaque huiusmodi sunt, vt peritis Theologis compertum est; licet sit sæpe inter illos dissensio, an aliqua sint dicenda fidei ornamenta; nam negant esse talia, qui aliquas opiniones negant simpliciter esse Diuino Verbo conformes, aut probabilius putant repugnare eidem, SS. Patribus &c. Non sunt oppidò *Fidei Ornamenta* in T. C. iam definita, sed inter *Fundamenta* enimuero collocanda; per ea enim, vbi maximè accessit Romani Pontificis confirmatio 26. Ian. 1564. aperta distinctio inducta inter Catholicos, ac Lutheranos, Caluinistas, similiumque Sectarum homines. Si quis tamen putans ex inuincibili ignorantia illa, quæ de facto in T.C. definita sunt, haud fuisse definita, aut existimans T.C. non fuisse legitimum ex assertionibus virorum, quibus hìc, & nunc fidem habere posset, vel deberet, vel suspicans, aut dubitans, aut etiam opinans de hoc, a sinceris, doctisque hominibus de Veritate non posset fieri certior, illis assensum cohiberet, ex hoc præcisè a Cælorum Regno non excluderetur, sicuti nec qui ex eadem inuincibili ignorantia censeret falsas esse T.C. definitiones, vel probabiliorem arbitraretur Protestantium Sectam eas reijcientem; si vera est doctrina *Sanch.* lib. 2. Moral. cap. 1. n. 4. (cuius nomen tantùm, clarè Pal. asserit c. 28. lib. Vind. pag. 222. init. sufficere ad tribuendam suis dictis probabilitatem) ac *Laym.* lib. 2. tr. 5. c. 10. atque 12. cum quibus sentiens *Herman. Busemb.* (hi tres sunt e S.I.) lib. 2. Med. Theol. Mor. tr. 1. c. 2. non tantùm docet, *Hæreticum, quamdiu suam sectam iudicat esse credibiliorem, vel æquè credibilem, non teneri credere, quia nondum fides est illi sufficienter proposita, ageretque imprudenter*; Verùm etiam; *Quando ijs, qui in hæresi nutriti sunt, persuasum est a puero nos* (idest Catholicos Romanos) *abijcere, & persequi verbum Dei, esse idololatras, pestilentes deceptores, ideoque tanquam pestes fugiendos, non posse stante hac persuasione salua conscientia nos audire, & laborare ignorantia inuincibili, cum non dubitent, se esse in bona via*: Quibus addi potest; Cum his in Baptismo Catholicę Fidei habitus fuerit infusus, coram Deo verè sunt Catholici; nec vnquam desinent esse tales, quousque scientes aliquod dogma repugnare *Fidei Catholicæ Romanæ*, illud scienter amplectantur; quod non potest contingere, nisi adhæreant Fidei, quam *Catholica Romana* profitetur *Ecclesia*; dum autem existimant hanc esse omnino falsam, nec a Deo reuelatam, suam autem esse veram, & a Deo reuelatam, Catholicæ Fidei habitum iam in Baptismo acceptum nunquam amittent, qui per solum crimen verum infidelitatis amittitur iuxta Tridentini definitionem sess. 6. c. 15. & can. 27. Quis enim ex his vniuersim traditis nō colligit dilucidè, idem prorsus asserendum, si quis iudicasset, vel iudicaret, esse probabilius, vel probabile, T.C. haud fuisse legitimum ex motiuis, licet verè apparentibus, sibi tamen id non leuiter suadentibus, & quasi assensum extorquentibus, vel si quis motiua solùm haberet, vel audijsset id suadentia, putaretque irrationabilem penitus esse quamcumque dubitationem, vel suspicionem de hoc, sicuti nos Catholici expulsa penitus omni dubitatione, ac suspicione credimus certò illud fuisse legitimum? hic enim non solùm non teneretur fidem habere Tridentinis definitionibus, sed nec tuta posset conscientia, & dum esset verè baptizatus, verè coram Deo esset Catholicus. Si quis tamen rationabilem suspicionem, vel dubitationem putaret se habere de hoc, tenetur vlterius inquirere veritatem a viris, quos existimat doctos, ac ingenuos, seu liberè Veritatem loqui; quorum auctoritate si adhuc suspicio, vel dubitatio ab ipsius mente non fuerit repulsa, licet tunc non teneatur adhibere fidē definitionibus T.C. debet tamē a Deo lumen petere feruentibus, assiduis-

que precibus; quæ vt à Deo exorēt Veritatis consecutionem, præmisso dolore congruo de suis peccatis, ab eodem veniam illorum petat, ac in bonis operibus semet exerceat; fieri enim moraliter non potest, quin tandem Deus misericors eum voti compotem reddat: Quod cum non efficiant plurimi de Sectarum suarum veritate dubitantes, vel non leuiter suspicantes, non mirum est, quod in erroribus suis detineantur, propter quos excusabiles non erunt, vtpote media non adhibentes opportuna, vel necessaria (si hæc illis occurrerint, nec possunt non occurrere moralem prorsus vitam agentibus) ad veritatem Catholicorum dogmatum, quæ Romana custodit Ecclesia, indagandam. Vitijs, quibus se contaminant infideles, ac hæretici, ascribenda est occæcatio, & obduratio eorum in suis erroribus; datur siquidem *Ignorantia Inuincibilis, etiam Culpabilis*, hoc est, nullatenus excusans multorum ignorantiam, peccataque ab eadem orta, adeoque etiam peccata infidelitatis, vel hæresis; quapropter aliqua inuincibilis ignorantia simul potest esse causa, & effectus peccati: Equidem si quis abstineat ab ijs, quæ nouit esse crimina, quis putet a Deo auxilia non fore suppeditanda, siue interiora, siue etiam exteriora, quibus opus sit ad cælestem patriam adeundam? Errauit igitur apertè, & *Marcus Antonius de Dominis* in absoluto sensu de salute hominis cuiuslibet in sua secta, & S. si definita in T. C. non inter *Fundamenta* Catholicæ Religionis reposuisset, nisi ex ignorantia inuincibili errasset, quæ tamen in foro exteriori haud admitteretur &c.

22 Si S. ingenium inter illustria huius ætatis collocandum est; an non perspexit, se in suæ libris Historiæ contradictiones adeo frequentes reposuisse, *vt Libri Quatuor* ex iisdem confici potuerint a *Quorlio* ipsammet falsitatis redarguente in his omnibus, quæ censetur S. opposuisse T. C.? Si accuratum, ac diuturnum in ea scribenda S. adhibuit studium, tot contradictiones potuit non obseruare? Ex hoc Pal. de S. asserto apertè colligi potest, plurima fuisse a *M. Antonio de Dominis* addita, vel ab alio, dum Londini primò imprimebatur S. Historia.

23 Si reprehenditur S. quod in politicis versatissimus fuit; certè multò magis hanc meretur reprehensionem Pal. qui hisce Voluminibus tot ad Politicam attinentia, vt a nonnullis non Historia, sed *Discursus Politici &c.* sicut *Not.*2. indicatum est, censeantur fuisse inscribenda. Profectò integer liber continens Politicas animaduersiones ex hisce tomis collectus, iam impressus dicitur. *Præterea* si reprehenditur S, quod in eius Historia non legātur pij quidam affectus erga Deum, non appareant flammulę deuotionis (deuotio autem e 2.2.q 82.ar.1.ad 3. & ar.3. in corp *est actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum*) præter quam hæc sunt aliena ab Historiæ instituto, cuius tantum est veritatem dictorum, factorumque narrare &c. certè nec eadem in P. Historia animaduertuntur.

24 Mordax, & Satyricus zelus notatur in S. Mordax, & Satyricus stylus notatur in Pal. Cum Adulatores abundent in Curijs, *Magnarum Aularum magna pestis*, inquit *Less.* lib.2.c.47.n.51. ac nominatim in Romana Curia, testibus nouem Præsulibus in Consilio, quod an.1537. præbuerunt *Paulo III.* ex ratione, quam affert *Ioan.Mai.* de quo *Not.*10.n.3. Si laudantur illa *Senecæ* verba lib.6. de benef.c.30. *Monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quod omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum vindicet a consensu, concentuque falsorum. Non*

vides

vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed ADVLANDI certamen est, & vnum omnium amicorum officium, vna contentio, QVIS BLANDISSIME FALLAT? Multò magis comprobanda, dum agitur de Romanis Pontificibus, cum nullus fermè Princeps præ illis ampliora possit in alios sine sui dispendio conferre beneficia. Si verum protulisse censetur *Curt.* lib.8. *Regum opes assentationem* (quam ibi vocat *perpetuum malum Regum*, ac *Principes, velut vmbram corpus, sequi*, tradiderunt allati Præsules *Paulum III.* alloquentes) *sæpius, quam hostes euertisse*; non est tanquam omnino alienum a veritate reijciendum, quod peritissimi quidam Catholici aiunt, NON MINVS sæpe quosdam e Catholicis Adulatores Doctores, atque Scriptores nocuisse temporalibus etiam, Romanæ commodis Ecclesiæ, nedum Pontificio Spirituali Regno, quam complures hæreticos, illos in nimis amplificanda in quibusdam Pontificia potestate, hos in nimis, & contra ipsum quoque diuinum ius, eadem minuenda. Nulli sanè erudito latet, quod hæresibus quibusdam occasionem præbuerint nonnullæ Theologorum, & Canonistarum opiniones in praxim a Pontificibus deductæ. Dicitur quidem *Tragædia* ad hoc præcipuè inuenta, vt Magnatum superbiam deprimeret, dum sibi similium exitiales audirent exitus; *Satyra* verò ad vitia quædam, maximè publica, & quorumdam inter cæteros potentia, vel auctoritate præstantium auertenda, quæ cæteroqui aliter, vel difficillimè auerti non poterant. Quidni igitur S. quædam Romanorum Pontificum gesta non sanè laudabilia exposuerit, quæ Historici etiam quidam Adulatores, licet notissima, silerent, vt consecuti Pontifices ea cauerent, ne perpetuo apud Historicos simili se exponerent dedecori? Hæc sanè vnica est pæna, quam subire solent, vel possunt supremi Principes, ac potissimùm Romani Pontifices, qui nullum penitus agnoscunt superiorem e frequentiori, receptaque in Vrbe, in Italia, in Hispania modo fermè tota opinione &c. Quod si Historicis non cōcederetur, aut ab hoc se abstinerent illi, ne aliquorum indignationem incurrentes grauia subire incommoda cogerentur (hoc autem si accidat, nunquam alij deerunt Historici illa malè gesta narrantes simul cum incommodis eorum narratoribus illatis, & ampliori peccantium dedecore, vt *Tac.* indicat lib.4.) pessimè actum esset cum humano genere; etenim inde Principes, nisi fuerint verè admodum pij, licere sibi existimarent, quidquid libuerit, & ante cæteros Summi Pontifices, sicut significat ad 2.2.q 39.ar.2. *Caietanus*, quem cæteroqui *validissimum Pontificiæ potestatis assertorem* meritò appellat Pal. lib. Vind.c.27.pag.219. Qui quoque lib.4. *del Bene* p.2.c.56.a n.4. hanc ipsi tributam *Maledicentiæ* laudem a *Matthæo Pellegrino*, quem doctissimum nuncupat, iure sanè optimo asserens cum addat, *Ch'essendo si necessario al publico il ritirare i Principi dalla maluagità, e non soggiacendosi essi al rigor delle leggi, conuenne, che l'Vniuersità degli huomini fosse vn tribunale costituito dalla natura per condannarli, e castigarli ad vn tempo col biasimo, e che a questo tribunale, quantunque tal ora in.quo, fu di mestiere lasciar pienissima libertà.* post quæ explicat l.vnic.c.*Si quis Imp. mal.* Fit, vt cum non vera sit maledicentia publicorum narratio quælibet criminum, multò minùs criminosa sit Historica eorumdem narratio, præsertim cum maximorum Principum, ac præcipuè Romanorū Pontificum (nam nec Episcoporū crimina vnquam esse occulta scribit *S.Chrys.* Hom.4. in Act.Ap.) nunquā ferè queant nō publica esse. Verùm si adhuc detractionis vitio dicitur infici sæpissimè S. Historia a

Pal.

Pal. multò magis eodem Pal. Historiam infici asserendum est; nam plurima addit male gesta a Romanis Pontificibus ipsis, nedum a Cardinalibus, & Patribus, qui T. ipsimet Concilio interfuere, quæ tacet S. ac in primis a *Paul.IV.* vt omittatur *Adrianus VI.* cuius laudes sanè mirum in modum extenuat, dum summis eum effert S. laudibus. Et ab his quidem abstinendum fuit Pal. dum refellere statuit S. acriter in Summorum Pontificum actiones inuehentem, vt ipse non semel inquit; Quare modò Pal. interpres, & amplificator S. in hoc ipso maximè, nec iniuriâ dicitur, illique tribuitur nota, quam ipse cap. I. lib. I. n. 5. inurit *Guicciardino*, appellans illum *Magnum*, seu *Rigidum Censorem Magnatum*. De hoc Pal. vitio infra quoque. Oppidò si probanda Pal. vel pro Pal. sit excusatio, quod non fuerit mordax, satyricus, ac detractorius eiusdem stylus contra Romanos Pontifices, & quosdam peculiariter, sed potiùs sit ipse laudandus, quod non assentatorem more communi aulicorum, & scriptorum quorumdam, qui solùm præclarè gesta a Principibus, & Pontificibus narrant, prædicant, ac euulgant, sed sincerum Religiosum, nec non publicæ vtilitatis studiosum semet ostenderit, dum quædam illorum facinora, licet non omnibus nota, edidit; Cur non similis prorsus excusatio pro S. admittenda? Sicuti autem non excusandæ exteriùs in Pal. calumniæ, & præsertim Pontificum; ita nec in S. deprehensæ.

Ad Cap. IV. Introductionis.

25 QVamuis multa S. collegerit suæ inserenda Historiæ e *Sleidano*, & quædam ex alijs Romanæ Ecclesiæ infensis, nō eo ipso quæcumque prorsus falsa sunt habenda; neque enim omnia, quæ de nobis hæretici narrant, a veritate aliena (quod vtinam foret semper) sicut nec in omnibus Catholicæ Fidei articulis a nobis dissentiũt (secus enim potiùs essent Apostatæ a fide) imò etiam in plerisque, & e primarijs in Apostolico Symbolo, conuenire solent, licet hæc fide naturali, ac humana credant e communi Theologorum sententia. Est verum quidem, allatum ab hostibus testimonium in Iudicijs haud idoneum censeri iuxta Ciuiles etiam, Canonicasque leges, nisi accedant aliæ probationes, vt ex fama, non quidem orta ab ipsis hostibus, siue *maleuolis*, sed *a prouidis, & honestis*, vt dicitur *c. qualiter*, *& quando* de Accus. 28. de quo supra, vel alijs idem testantibus &c. Quare nec *Sleidano*, nec similibus Romanę Ecclesię hostib⁹ in ijs, quæ de T.C. scripserunt, fides per se præstanda: Si tamen eadem confirmata, vel asserta fuerint a Catholico Scriptore communiter habito, in illis nec *Sleidani*, nec aliorum R.E. hostium, vt fallax, falsumque poterit vt sic excludi testimonium. *Animaduertendum tamen est*; si nulla prorsus fides adhibenda est narrationibus, quæ de nobis Catholicis leguntur in hæreticorum libris, nec ab illis fidem vllam adhibendam narrationibus, quæ de hæreticis leguntur in Catholicorum libris; Quare nec vllam adhibebunt ijs, quæ de Protestantium vitijs, alijsque eorum gestis latissimè in suis voluminibus Pal. scribit. Quæ ergo vtilitas ex illis in hæreticos emanabit? Nisi falsitas deprehendatur, vel ex euidentia facti, vel ex euidentia propositionis Ecclesiæ, qualia sunt definita

nita de fide, presertim in Concilijs Generalibus, vel habita vnanimiter vt certa a fidelibus cunctis; haud omnia, quæ hæreticorum libri de nobis habent, falsa prorsus sunt dicenda. Opportunius quandoque foret, nostros magis cōponere mores, ne de nobis hæretici obloquerentur. Nouerunt quoque sinceri Protestantes, quæ a nobis dicuntur, & scribuntur de ipsorum vitijs, sæpissime vera esse, & dum finxerunt quidam se a nobis recedere propter crimina nostra, in multò grauiora, præter fidei supernaturalis iacturā, lapsos fuisse &c. Sanè Pal. ipse pro suarum asseueratione narrationum affert interdū Epistolas *Lutheri* ipsius, ne dum *Melanthonis*, ac *Buceri* insignium hæreticorum.

26 Complura, quæ leguntur in S. Historia, legi quoque possunt ante S. Historiam in aliorum Catholicorum Manuscriptis (vt quoque animaduertit Pal. ac nominatim lib.5.c.9.n.1.) nec non libris; atque, vt taceatur de alijs, qui possent, licet immeritò reijci, tanquam suspectæ fidei, qualis esset inter cæteros *Thuanus*; quem tamen fuisse reuera Catholicum satis ostenditur, quod in celebri Collatione Fontanablensi coram *Henrico IV.* an. 1600. Iudex ex parte Catholicorum fuerit electus, dum ibi falsariū planè Card. *Perronius*, tunc Episc. *Ebroicensis* dumtaxat, *Philippum Mornæum* præsentem ostendit in libro, quem ediderat præcipuè contra Eucharistiæ Sacramentum; vnàque viuentem, ac morientem se prorsus Catholicum ostendisse affirmat *Barthol. Garam.* in Histor. ab excessu *Henrici IV.* lib.8. qui tamen malè audijt apud aliquos, eò quòd in quibusdā ipsis nō faueret &c. Inter hos est *Io Bapt. Adriani* Nobilis Florentini (de quo *Not.4.*) *Historia*, qui a Pal. ipso in Epist. ad *Illustriss. Durat.* 2. Mart.1658. (de qua *Not.7.*) bis vocatur *Vnicus, ac Celebris inter Italos Scriptor eorum, quæ in Italia acciderunt*, adeoq. T. etiam C. tempore; nam suam orditur Historiam ab an.1536. cui finem imponit in 22.lib. ad an. 1573. Hic narrat lib. 16. cum an. 1560. *Cosmus Hetruriæ Dux* Romam adiuit, vehementissimè hortatum fuisse *Pium IV.* ad T. C. celebrationem, ac perficienda tandem, quæ sub *Paulo III.* ac *Iulio III.* fuerant Tridenti inchoata, ibique morante *Cosmo* 29. Nouembris promulgasse Bullam celebrationis C. T. ac præterea ibi honorificentissimè *Cosmum* a *Pio* exceptum, multaque inter vtrumque singularis beneuolentiæ argumenta semper intercessisse; erat autem *Pius* e Medicea Familia, licet Mediolanensi. Hinc duo contra P. colliguntur. 1. Eum sibimet aduersari (obliuionis vitium, vt Historico indignum, ipsimet obijcit S. lib.13.c.4.n.1.) dum lib.1.c.3.n.2. ait, *Adrianum nullam habuisse negotiorum extra Hetruriam cognitionem, ac errasse in multis etiam notissimis*, quod et iamsi verum esset (nam certum est *Cosmum* exquisitam curasse notitiā omniū, quæ gerebantur in Italia, Gallia, Germania &c. vtpote ad sui status conseruationem, & amplificationem necessariam, sicut patet legenti Historiā *Adriani*, qui e *Cosmi* Tabulario, ipsomet teste initio lib.1. eam in primis descripsit) simile vitium in alijs cæteroqui commendatissimis Historicis animaduerti potest. 2. Si *Adrianus* in obsecundando Principi *Cosmo* totus est, non potuit esse *Pio IV.* infensus, sed potiùs fuit in illum valde propensus; non ergo Pontificibus vniuersim iniquus, quod tamen Pal. sæpe repetit; de qua illatione priùs in fin. eiusdem *Not.* 4. Libellus quidem ex hoc Historico, qui T.C. valde commendat, præsertim initio lib.18. confici posset plurima, & grauis ponderis continens ad T.C. spectantia, & maximè dum habitum, & confectum fuit sub *Pio IV.* Hæc *Adriani* Historia post Florentiæ an.1583. editionem edita fuit Venetijs ann.1587. triginta, & amplius annis, quam S. Historia fuerit Londini impressa.

27 Cum

27 Cum ſæpe haud tutò ſcriptis, aut libris committi queant multa, quæ omnino vera ſunt, & aliquibus indubitata; accidere poteſt, nec rarò, vt a ſe ſcripta veridicè quis alicui viro fideli tradat, poſtquam obierit, edenda, vel etiam narret geſta a ſe, vel coram ſe, vel quorum exactam habuerit, ſeu acquiſierit notitiam, quæ alius deinde ſcriptis conſignet omnibus euulganda, prout occaſio tulerit. Viuente S. viuebant adhuc nonnulii, qui T. interfuere C. & qui faciliorem, & exactiorem habere poterant in eodem C. vtpote ſuo tempore, vel paulò poſt habito, geſtorum cognitionem; a quibus, ſi fide dignis, multa S. diſcere potuit ore, multa etiam ab illis habere manuſcripta, e quibus vnà cum alijs iam editis ab alijs Hiſtoricis S. ſuã ſcribere Hiſtoriã licuit: Quod equidem Pal. contingere non potuit, qui ab anno 88. poſt T. C. finem hanc ſcribendi Hiſtoriam munus ſuſcepit. Præterquam probabiliſſimum compluribus videtur, & quibuſdam omnino certum, quod pleraque (ſi excipiantur quædam Fidei dogmata, quæ potiùs videntur aſcribenda *M. Antonio de Dominis*, vel ſimili) e Principum quorumdam virorum tabularijs deſumpſerit; adfuerunt enim T.C. ſub *Pio IV.* præſertim, primarij fermè omnes Catholici Principes per Oratores ſuos, quorum teſtimonium per ſe pluris videri poteſt multis æſtimandum, quam quorumdam, cum Sæcularium Principum partes lõgè minores eſſent in eo C. quam Eccleſiaſticorum. Quis enim credat, voluiſſe S. in re tam ſeria, graui, ac nota tot fingere, quot illi P. obijcit? Non minùs Hiſtoriæ leges calluit profectò S. quam Pall. cui in ſtylo, & inſtituto præfertur a plurimis S.

28 Exiſtimat cum *Sorboniea Theologicæ Facultatis Doctoribus Pariſienſis Academia*, opiniones quaſdam circa Romani Pontificis auctoritatem a Theologis, & Canoniſtis modò pleriſque vulgatas non eſſe Diuino Verbo, nec Diuinis Traditionibus, nec SS. Patribus conformes &c. Quamobrem fermè ſemper reiecit illas, QVÆ Pontificiam auctoritatem præferunt Conciliari, præſertim poſt *Conſtantienſe*, & *Baſileenſe* Concilium; quæ ambo in hoc nominatim recipit illa communiter: QVÆ infallibilitatem omninodam tribuunt definitioni Pontiſiciæ de Fide, Boniſque Moribus extra Generale Concilium, vel niſi eidem Vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus, ſeu approbatio acceſſerit; Verùm licet aſſerat, neminem teneri interiorem Fidei Catholicæ aſſenſum huiuſmodi adhibere definitioni, addit tamen cum *Gerſone in lib. An lic. in Cauſ. Fid. appell. a Sum. Pontif. prop. 4.* ac *in lib. de Examinat. Doctr. p. 1. Conſid. 2.* non eſſe contra illam dogmatizandum, niſi planè veritas contraria euidens foret, ac poſſe Romanum Pontificem aduerſus illam locutionem publicam, priuatamque vitare, adeoque non obſequentes, & multò magis hanc contemnentes definitionem puniri poſſe, ac debere &c. QVÆ concedunt licere Romano Pontifici Chriſtianiſſimum Regem, adeoque Principes alios etiam ſupremos in temporalibus, priuare Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus &c. Quas opiniones, vt vulgò quoque notum eſt, anno pariter ſuperiori confirmarunt Pariſienſes Theologi, & coram LVDOVICO XIV. Rege Chriſtianiſſimo, & Catholicæ Religioni ſtudioſiſſimo tuendas ſuſcepit *D. D. de Rodes*; Quin etiam *Sorbonica Facultas* per Syndicum, ac ſeptem e Senioribus Doctores, quibus adnumerabatur Decanus, ſententias de his opinionibus ſuas tranſmiſerunt ad *Pariſienſem Curiam* e Regiſtris prædictæ Facultatis deſumptas, & a Bidello ſubſcriptas; quibus viſis Curia Decretum quoddam ad Regni Vniuerſitates tranſmiſit 30. Maij 1663. Et nihilominus hæc *Facultas*, & *Academia* hæreticas opiniones ſemper deteſtata fuit; quod patuit etiam

ſupe-

ſuperiori ſæculo; nam an.1519. damnauit centũquatuor Lutheranas propoſitiones; iterumque in ſolemni conuentu an.1521. die 15. Apr.(vtriuſque damnationis meminit Pal.lib.1.c.16.n.18.& c.25.n.2.vbi docet, cur aliquæ propoſitiones Lutheranæ de Sũmi Pontificis Poteſtate non fuerint a Pariſienſi Academia damnatæ) condidit contra illius hæreſim vigintiquinque articulos; nec non an. 1543. ijdem Pariſienſes Theologi, Meldunum Regis iuſſu conuenientes, in ijdem Lutheranis hæreſibus condemnandis fuere conſtantiſſimi; ac teſtatur *Vaſq.* licet e S.I. Hiſpanus, p.1.d.3. n.3. *Pariſienſem Scholam cæterarum matrem inter hæreſum procellas Ciuitatẽ illam, & maximam Galliarum partem ſeruaſſe incolumem*. Hinc *Melch.Can.* pariter Hiſpanus lib.12. de loc. Theol. c.11. circa finem, *Pariſienſis Academiæ de Fide, & Religione fixa, conſtantiaque Decreta ſemper Chriſti Eccleſia ſuſpexit*; notiſſimumque eſt, a Patribus Dominicanis ſedulam fuiſſe operam impenſam, vt cum plurimi S.Thom. doctrinæ articuli a pleriſque huius Academiæ Doctoribus (inter quos fuit *Henr.Gandau.* dictus *Solemnis Doctor* ex illuſtri Ordine Seruorum B.V.vt ipſe ſcribit Quodlib.2.ar.9.) damnati fuerint an.1277. tribus annis poſt ſanctiſſimum eius obitum, cenſuræ illæ ab eadem Academia reuocarentur; Quod conſecuti ſunt an. 1325. vbi *Angelicus Doctor* inter cælites relatus fuit a *Ioan.* 22.an.1323. præcedenti. Poſt *Can.* an.1575.edidit in Vrbe *Comment. in Rubr. de Iudic.* & *Relect. in c.Nouit* Martinus natione, & cognomine ſibi aſcito *Nauarrus*; qui Notabil.3. in idem c. in fin.n.42. diſcutiens quæſtionem *de Poteſtate Papæ in temporalibus*, inter cæteras rationes, quas affert, quod quædam opinio haud ſit hæretica, hanc addit; *Quia Pariſienſis Schola nullatenus eſſet paſſa, vt ſui Doctores hanc partem libellis editis defenderent, ſi putaſſent illam hæreticam; quod tamen non ſolùm paſſa eſt, & patitur quotidie, ſed etiam videtur eã comprobare*. Etiam illa leguntur apud *Leonardum Coquæum*, Virum ſanè doctiſſimum, ac eruditiſſimum e celebri Heremitarum S. Auguſtini Ordine (cui propter duos contra *Philippi Mornæi Myſterium Iniquitatis* editos ann. 1616. Mediolani tomos idem honos debebatur ſub *Paulo V.* qui delatus fuit a *Pio IV.* an. 1561. die 26. Febr. *Hieronymo Seripando* ex eodem Ordine) In *Antid. contr. Prog. Morn.* 48. pag.86. tom.2. *Cum Sorbona Mornæo, & Nouatoribus nihil commune*; in Antid. *cont. Oppoſit.* 62. pag.278. *Vt Fidei Catholicæ, ita poteſtatis Pontificiæ Facultatem Theologicam Pariſienſem ſemper vindicem fuiſſe* monet; atque ſubdit, *ſi Mornæus de Papa, & cæteris Fidei dogmatibus cum Facultate Pariſienſi ſentiret, non hæreticus, ſed Catholicus eſſet*: In Antid.cont. *Opp.* 65. pag.333. inquit de Mornæo pro ſe afferente *Ioannem Maiorem* Lutetiæ præclarum Theologiæ Profeſſorem d.24. q.3. in 4. vbi de Regali, & Pontificia poteſtate diſſerit, *Si in omnibus acquieſceret iſte ſententiæ Ioannis Maioris, eſſet haud dubiè Catholicus, & cum Catholicis ſentiret de poteſtate Romani Pontificis*: & pag.ſubſeq 344. *Hæc eadem Vniuerſitas Pariſienſis eſt, quæ Fidem Catholicam aduerſus omnes hæreſes, præſertim noſtri huiuſce ſæculi, Lutheranorum, Caluiniſtarum, & cæterarũ huiuſmodi peſtium conſtantiſſimè defendit, & fortiſsimè propugnauit; vt nonniſi per ſummam iniuriam celeberrimæ illius Vniuerſitatis auctoritatem Romani Pontificis primatui, & poteſtati opponere voluerit aduerſarius*. Sed & priùs in Antid.*Cont.Opp.* 61.p.256.in fine,& 57.init. *Quæ fuerit olim, vel nunc ſit Facultatis Theologicæ Pariſienſis doctrina, Bubo iſte de Bubone nuper fabulam ex ſuo Nicolao de Clemengis referens, luſciniæ, vt eſt in prouerbio, canit. Quemadmodum Eccleſia vna, & eadem eſt, eandemque doctrinam Catholicam profite-*

tur, quæ ſuperiores hæreticos iampridem damnauit, & præſentes damnat: ita eadem facultas Theologica Pariſienſis eamdem doctrinam Orthodoxam eſt profeſſa, quæ ſuperiores hereſes, ac tum temporis, cum Gerſon ſcriberet, Vuiclefi, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga damnauit articulos, & nuper, vbi primùm prodijt Myſterium Iniquitatis Philippi Mornæi, *id cum Auctore ipſo damnauit, & flammis adiudicauit*. Legi poteſt Cenſura, cuius mentionem modò *Coqu.* facit, Sacræ Facul. Theol. Pariſ. contra *impium* (vt habetur in ipſomet Cenſuræ titulo) *& execrabilem librum* inſcriptum *Myſterium Iniquitatis, ſiue Hiſtoria Papatus*, repoſita poſt Præfat. init. tom. 1. quæ fuit lata ann. 1611. die 1. Aug. Equidem acerrima, ſed iure optimo ſanè. Iſta ſatis; quæ non ſanè illo ſcripta ſunt conſilio, vt hæ Pariſienſium Theologorum, ſeu Academiæ Pariſienſis opiniones approbentur, vel approbandæ ſint, tanquam probabiliores, cum communior modò præſertim ſententia ijs refragetur, multòque minùs, vt laudentur Cenſuræ eorum aduerſus opiniones oppoſitas, vel vt hæ æſtimari debeant, tanquam opiniones ad *Fidem*, quam aliqui vocant *Politicam* pertinentes; ſed vt ſi quando S. in ſua Hiſtoria, aut aliàs adhæreat nonnullis opinionibus, quæ minuere Pontificiam poteſtatem videntur, & tamen illas tuetur Sorbonica Facultas Pariſienſis (idem dicitur de quolibet earum ſectatore) animaduertatur, ac intelligatur, atrocem eidem fieri iniuriam, & iniuſtitiæ crimen admitti cum onere prorſus Famæ Reſtitutionis, Si ex hoc appelletur hæreticus, vel hæreticam opinionem proferens, vel ſuſpectus de hæreſi &c. cum poſſit eſſe Catholicus etiam magis, quam alij quidam præſtantiores ſe cæteris Catholicis putantes, ſeu potiùs ſomniantes, ac ſe ſolos Catholicam tradere, & ſcribere doctrinam arbitrantes. Ignorant hi, vel ſimulant ſe ignorare; *Quid ſit Catholica fides; Quid hæreſis; Quis hæreticus, vel ſuſpectus de hæreſi &c.* ad fines ſuos, qui licet ex obiecto poſſint etiam eſſe ſuper naturales, haud tamen ad illos mala, ac iniuſta ſunt aſſumenda media. Egregiè Pal. cenſetur illam c. 27. *lib. Vind.* pag. 219. ſoluiſſe Obiectionem, quod Soc. Theologi *non D. Thomam ſequantur, illum germanum, qui ſcripſit ſed ementitum, & qualem ad libidinem ſibi effingunt*, ſic inquiens, *Age verò: repetam exemplum, quod indicaui* (pag. 216.) *Quemadmodum vbi communis Catholicorum conſenſio Diuinis verbis vnam, eamdemque ſententiam attribuit, ſi repugno, Diuinæ auctoritati repugno; at vbi præclari interpretes diſcrepant, cuicumque adhæſerim, Deo me adhærere iure profiteor; ita planè, quidni ego germanus Thomiſta fuero, ſi vel Ferrarienſem, vel Caietanum, vel Sotum, vel Medinam, vel alium eiuſmodi ducem habeo, quem ſequar?* Quidni pariter, quando Catholici Theologi, qui ſunt etiam Diuinorum librorum interpretes, ac ex ijs primariò ſuas deducunt concluſiones, diſcrepant in his, & maximè, ſi celebres ſint, quibuſcumque aliquis adhæſerit, fidem Deo non violauerit, aut non violet, ſiue Deo adhæſerit, ac ſe adherere iure profiteatur? Si Deo hic adhæret; ergo iure non minùs vir Catholicus, piuſque erit dicendus, qui præclaros quoſdam Theologos, tanquam Duces, ſequitur, quam qui alios. Hinc non laudantur Cenſuræ quædam Facultatis ipſius Sorbonicæ, multòque minùs aliorum priuatorum Doctorum iam nonnullis opinionibus circa auctoritatem Pontificiam appoſitæ, quæ videri poſſunt *Scandaloſæ, Iniurioſæ, Seditioſæ &c.* propter quas tantùm, non propter opiniones ſecundum ſe, damnatæ fuerunt multæ e 79. Propoſitionibus *Michaelis Bay* a *Pio V.* an. 1567. & a *Greg. XIII.* an. 1579. vt obſeruat inter cæteros *Vaſq.* 1.2. diſp. 190. c. 18. n. 175. ac meritò id fieri cum alijs docet *Card. de Lugo* d. 20. de

Fide

Fide n.105. CIRCA autem has id attendendum est in primis, quod *Melch. Can.* in *Aureo Volumine*, vt appellat ipsemet etiam Pal. in lib. V ind. c. 28. pag. 232. lib. 6. hist. c. 18. n. 2. lib. 12. c. 1. n. 6 *de Locis Theologicis* ait in fin. lib. 5. *Non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget*, vnáque quod eius discipulus *Bagn.* 2. 2. q. 1. ar. 10. *Dubitatur secundò* in fin. §. *Respondetur ergo*, scribit loquens de quadam *Alberti Pighij* opinione, *Nihil est pium, nisi quod idem verum est*. Putatur autem adulatoria commentitia, ac nugatoria Opinio tribuens R.P. *dominium directum temporale totius Orbis*, multòque magis *omnium Christianę Reipublicæ temporalium bonorum*. Sic apertè *Vict. Relect.* 1. *de potest. Eccl. sect. n. 2. & 3. iterumque Relect. 5. de Indis n. 3. Dom. Sot. in 4. dist. 21. q. 2. ar. 1. Bagn. 2. 2. q. 62. in Preamb. Dubitatur secundò in fin.* addens, *Neque Sedes Apostolica indiget nostro mendacio, quę vera, & propria potestate abundat ad omnia, quæ ad spiritualem finem necessaria sunt: Nam qui volunt assentatione quadam S. P. dominium temporale directè, & formaliter tribuere supra totum Orbem, odiosam Regibus terræ fidelibus, & infidelibus Sedem Apostolicam efficiunt*: Eam nihilominus opinionem eam adhuc tueri sunt conati *Petr. Andr. Canther. in 7. Hippocr. Aphoris. a p. 138. Thom. Bos. lib. 4. de statu Italiæ c. 5. Franc. Bos. libris quinque de Monarchia, Cels. Mancin. lib. 2. de Iurib. Principat. c. 6. & toto lib. 3. 4. atque F. Iuniper. a Drepano disp. 1. pro defens. iuris Pontificij q. 1. c. 2. n. 4.* nonnullos etiam Patres allegans, sed perperam, vt obseruat etiam nouissimè *Rayn.* in *Tit. Rom. Pont.* verb. *Rex Regum* a pag. 275. quam tamen nunquam celebriores Canonistæ, ac Theologi approbarũt, ipsorum quoque S.P. afferentes testimonium: Ex illius autem opinionis promulgatione fieri potuit, vt alij e Catholicis consultò *Indirectum* quoque dominium in temporalia nominatim supremorum Principum bona R.P. non cõpetere e sacris ipsis litteris, ac Patribus præsertim, & Scholasticis antiquioribus nonnullis docuerint; de qua re non est differendi locus. Verissimum est illud in fin. c. 30. Prou. *Qui multum emungit, elicit sanguinem*; quæ verba afferuntur d. 7. c. 6. Sed & verum experientia compertum est (de quo nõ pauci conqueruntur Catholici) vbi P. R. in nonnullis ad temporalem attinentibus iurisdictionem leges, non conniuentibus Principibus, statuere voluerunt, vel pœnas etiam spirituales in eos decernere, quos existimabant sibi meritò non obsequentes, vel quæ ex pietate, ac liberalitate quadam Principum concedebantur, seu permittebantur, tanquam debita, vel etiam præscripta, sibi vindicare voluerunt; non tantùm imminutam fuisse Ecclesiastici gradus venerationem, verùm & iacturam temporalium, nec leuium, commodorum Ecclesiasticam Rempublicam fecisse, accuratioresque redditos Principes, ne ampliorem in temporalibus pluribus in locis illa acquirat iurisdictionem, ac potentiam; Nouerunt enim a doctissimis etiam viris Catholicis, & R.E. beneuolis, quædam iure Diuino non deberi, quædam solùm gratuitò, seu ex humanitate concessa, quædam ex notabili circumstantiarum varietate, & præsertim propter multitudinem, & minorem Ecclesiasticorum probitatem, euasisse alijs vehementer incommoda &c. Quare censetur expedire a viris prudentissimis, commodis quoque temporalibus Ecclesiasticorum, non multùm contendere cum Principibus in quibusdam. Equidem contentiones inter potestatem Ecclesiasticam, & Sæcularem esse inter maiores, quas pati potest Ecclesia, calamitates sapienter scribit Pal. lib. 12. cap. 3. num. 3. Vtraque peccaret, dum extra fines a iure Diuino, vel naturali præscriptos suam porrigere auctoritatem, studeret: Qui autem fines sint vtriusque, inter Theologos celeber-

rimos dissensio est; Nec hactenus a R. P. e Cathedra, vel Conciliorum Generalium Patribus constituti fines certi vtrique potestati e Diuinis litteris, vel traditionibus, cum tamem harum expositores, illarum interpretes sint: Quamobrem cum sint in plurimis probabiles vtrimque inter Catholicos sententię, qui maioribus pollet viribus, solet in controuersijs inter vtrumque forum victor euadere; nec potest modò legitimè cogi vtraque potestas ad complura. Habendum pro certo, dum quidam nimis exaggerant pontestatem Pontificiam, semper fore aliquos e Catholicis, qui eamdem imminuant, & interdum nimis. Opportunius est Ecclesiasticis quasdam non permitti opiniones edi, cum inde Principes, & quandoque non immeritò, illarum nullam habeant sæpissime rationem, nec non laxissimas sibi fauentes possint etiam consultò prosequi. Catholici Principes amplissimam R.P. in spiritualibus simpliciter auctoritaté cócedere solent, amplissimam verò sibi tribuunt in temporalibus; & dum vident R.P. non meritò (vt ipsi putant) in quibusdam temporalibus se immiscere, & circa illa potestatem suam exercere velle, aut conari, se immiscent ipsi in spiritualibus, & spiritualia quædam iura sibi vindicare niti queunt. TALIS est opinio, quæ censet R.P. *esse Dominum Beneficiorum Ecclesiasticorum*, vt ait idem *Sot.* lib.3. de Iust. q.6.art.2. ad 5. qui & liberam dispositionem beneficiorum &c. quam in fine duodecimi, ac initio decimitertij sæculi sacri Canones dilucidè cæperunt tribuere R.P. *cap.2. de Præb. in 6. & Clem. Si duobus Tit. vt lit. pend.* interpretatur, ne illi repugnarent (nam secus non sacri Canones, sed sacrilegi forent) Euangelio Luc. 12. v.42. & Apostolo 1.Corint. init. c.4. non subiectam vlli in terris superiori, ita vt teneatur illi rationem reddere; subiungit verò, *Sed heu quanta mala ex contrario, eodemque falso principio, Ecclesia quotidie patitur!* Et priùs nouem Præsules, de quibus *Not.*10.&24. init. Consilij, cum ex hoc Principio colligatur clarè, *in Papam non posse cadere simoniam*, apertè professi sunt, ex eodem omnia tunc mala, quibus ferè ad desperationem laborabat Ecclesia, dimanasse: Cum autem illa opinio fuerit ante annum 1537. in primis quorumdam Canonistarũ, postea distinctione quadam, ac separatione adhibita; cæpit esse, ac modò est plurium Theologorum; quorum cum aliqui etiam concedant R. P. talem liberam Beneficiorum, Ecclesiasticorumque bonorum administrationem, vt non habenda sit illi ratio iuris aliorum iam quæsiti, vt inquit *D. Romanus Hay* in Aulæis Aul. Eccl.n.118. Dominum eumdem reipsa constituunt, vulgum verbis decipientes, seu vulgo illudentes sinonimis vocibus. At multò magis sententia illa est *audax, temeraria, assentationis, & libidinis plena, Papam OMNIA posse*, vt inquit *Franc. Turr.* (hic adfuit T. C. vt Theologus Pontificius sub *Pio IV) in fin.lib.3. de Summ.Pontif. Auct. sup.Conc.* editi Florentiæ an.1551. Prudentissimè *P. Cornelius a Lapide* insignis e S. I. sacræ interpres Scripturæ, simulque insignis vitæ sanctimonia vir, *Prolegomenis in Apocalypsim*, vbi retulit *P. Ludouicum ab* Alcazar in suo amplo volumine contendisse, nihil aliud describi in Apocalypsi, *quam Synagogæ, siue Iudaismi, ac Gentilismi ruinam per erectionem Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ*, & ad id impulsum fuisse, ipsomet teste, ab amore, & reuerentia R.E. & A. S. ac studio ipsam celebrandi, subdit, *Mentem, & finem laudo; rem, & media multi non laudant: Amor enim veritati, affectus rationi obsequi debet, non ratio affectui. Honor Regis iudicium diligit. Habet Ecclesia Romana suas priscas, verasque laudes; nostris nouiter adinuentis, vel commentis non indiget.* Pij, sapientisque Catholici est *certa* de R. P. potestate dogmata totis propugnare viribus contra

tra

tra Sectarios; quæstiones *controuersns* inter Catholicos verè doctos, quales sunt aliquæ Parisiensis Scholæ, vsque ad aras tueri sine vllius iniuria; *Commentitias* omnino vitare, vt nos validiùs Sectarios aggredi possimus; quod etiam indicauit *Canus, vbi supra*.

Ad Cap. V. Introductionis.

29 SI Satyricus Scriptor est quocunque alio magis adulator, plerisque gratificans, ideoque plerisque placet; non minùs talis est P. quam S. ideoque non mirandum, si plurimi illorum lectione Voluminum delectarentur. Magis certè, quam S. notat R. P. ac ex his pijssimos. *Carolum V.* inter cæteros Principes nonne notat grauissimè? Inter *Cauensem Episcopum*, & *Chinensem*, inter primum Legatum *Cardinalem de Monte*, & Cardinales *Madrutium*, atq. *Pacecum* contentiones re, & verbis verè acerbissimas, quas præterijt S. fusissimè lib. 8. c. 6. ac 7. profectò explicat, præter alias inter Patres, & Theologos in Congregationibus plurimis, ac Sessionibus prolixo expositas stylo; vt omittantur dissensiones, quæ inter Oratores Imperatorum, Regum, ac Principum, rursumque inter hos, & Patres intercesserunt, & de rebus quandoque non multi ponderis. Si haud existimauit Pal. propter huiusmodi narrationes contemptibilem semet reddidisse nobilissimum, ac præstantissimum Tridentinorum Patrum consessum; Quidni similem sensum habuerit S. dum similes refert horum Patrum actiones? Ab his si abstinuissent illi, qui Tridentum conuenere, haud illas exposuisset S. & P. Hæ tamen magis, quam S. erant P. omittendæ, vel breuissimè saltem interdum explicandæ, vtpote cuius consilium erat reprehendere S. quòd in ludibrium, ac despectum huiusmodi illustrissimorũ vndequaque virorum cœtus tales adduxisset narrationes. Præterea Pal. non tantummodo *Ioannem Echium*, virum inter Germanos ob sapientiam valde celebrem, cum *Luthero* Lypsiæ disputantem non semel inscitiæ redarguit lib. 1. c. 16. n. 2. 6. 14. & 15. verùm etiam aliquorum Patrum sententias in Generalibus Congregationibus referens, tum ignorantiæ, tum imprudentiæ, tum minoris etiã in Catholica Fide candoris labe animaduertit fuisset aspersas; & cuiusdam quoque Episcopi ridicula quædam dicta, nec semel, proponit. O quam multa opportunè retorqueri possent a S. contra Pal.!

30 Prolixitas Actorum T. C. haud satis est ad excusationem, quod illa non fuerint instar celebrium præ alijs Generalium Conciliorum promulgata; prolixè siquidem narrantur Actiones sexdecim *Concilij Chalcedonensis* sub Leone I. an. 451. Actiones decem & octo *Sextæ Synodi Constantinopolitanæ* sub Agathone ann. 680. & nonne in sex Tomos valde amplos *Ephesini Concilij* sub Cælestino I. ann. 431. Acta distribuit *P. Theodorus Peltanus* vir egregius ex eadem cum Pal. Soc. I. vt videre est in tom. I. Conciliorum? Illa quidem euulgare prudens Consilium iam fuit, ne præberetur Hæreticis occasio semet stabiliendi in suis sensibus, & subtraheretur Catholicis parum sapientibus occasio minori in pretio, quàm priùs, habendi decreta T. C. Si autem illorum notitia non est necessaria; cur ipsemet eam modò impertit, & plusquã

S. com-

S. confutatio exigebat, & Italico etiam idiomate? Nec id tribuendum editionis incommoditati; nam libri alij prolixiores, quam liber T. C. acta comprehendens, in dies eduntur. Hæc ſiquidem non retraxit Pal. a ſuorum editione Voluminum cum caracteribus quoque, paginiſq. non conſuetis. Sumptus pro illis feciſſent enimuero Summi Pontifices, ſi illorum euulgationem R.E. opportunam cenſuiſſent; preterquam non defuiſſent alij, non ſolùm e ſtudioſis R.E. verùm etiam e Bibliopolis, ac Librarijs ipſiſmet lucri cupidis inde reportandi, qui pecuniam, vel operam ad illorum impreſſionem impendiſſent, cum a multis illa quærerentur, nedum Curioſis, ſed & Doctiſſimis viris; ex his enim ſe poſſe putabant aſſequi ſenſum multorum huius Concilij decretorum, quæ ambiguos admittunt ſenſus, ac non pauci Scriptores in contrarias trahunt partes. Multò minùs obſtare potuit eorum promulgationi, quod addit Pal. *Nec* vnam in ijs lineam reperiri de Politicis materijs, ſed ſolùm ab illis comprehendi Cæremonias, ac Diſputationes; *Tum quia* nec alia Generalium Conciliorum Acta Politicas exponere ſolent materias, & nihilominus multorum ex ipſis edita fuere Acta; *Tum quia* Diſputationum notitia vtilis eſſe poterat ad complures decretorum ſenſus planè noſcendos; *Tum quia* continent alia præter Diſputationes, ac Cæremonias, vt patet non raro in Pal. narrationibus. Certè non eſt Diſputationum, ac Cæremoniarum narratio illa, quam exhibet ex Actis ipſis fusè illorum, quæ contigerunt inter Epiſcopos *Cauenſem*, & *Chironenſem*, inter Cardinales de *Monte*, *Madrutiũ*, & P*acecum*, de quibus paulò ante.

31 *Si S.* ſuæ fidem Hiſtoriæ cõciliare nititur, ſeipſum oſtentans verſatum in Politicis, in Hiſtoria, in Scientijs, in Eruditione, in Conſtanti Affirmatione eorum, quæ narrat, ac Expreſſione ſingulorum factorum, ac dictorum cũ Adiunctis; hoc idem præſtat Pal. nec minùs profectò, quàm ille. *Si* S. Hiſtoria narrationes continet non probationibus nixas; Vndenam, quæſo, habet Pal. quod Hiſtoricus teneatur proferre teſtes omnium, quæ narrat? Satis eſt ad fidem illi conciliandam, ſi habeatur vir probus a viris verè probis, licet non planè omnibus, fidelis, prudens &c. & ab hominibus, quibus meritò fides habeatur, illa acceperit, vel in ſimilium hominum manuſcriptis illa legerit. Subtrahenda ergo fides iuxta Pal. Hiſtoricis omnibus, qui geſta in priſcis ſæculis, & a ſua ætate remotiſſimis, vel non in regionibus, ac ciuitatibus, in quibus ipſi morabantur, vel etiam multa in locis, in quibus degebant, deſcripſerunt, hoc nomine, quod ea non probauerint: ex quo quot incommoda in Rempublicam, tum Ciuilem, tum Eccleſiaſticam præſertim, importarentur? Equidem ipſe Pal. c. 2. huius *Introd.* n. 2. ſcribit, *Hiſtoricum nihil aliud eſſe, quam teſtem; narrare, non probare, imò nec eſſe teſtem e viſu, ſed ex coniecturis, cum ille vt plurimum haud narret, quæ ante ſuos ſenſus obuerſata ſunt, ſed quæ ex relationibus incertis, æquiuocis, contrarijs ſuo potuit colligere iudicio*: nec non c.3.n.3. *Oratori quidem eſſe opus ſuadere probabilia ad id argumenta afferendo; & non Hiſtorico, cui vt aſſenſus præſtetur, ſatis eſt ille, qui fuit de Pythagora ſenſus, Ipſe dixit:* Profectò quod pondus habeant in plurimis probationes a Pal. in medium prolatæ S. Hiſtoriam confutantes, viri expendunt ſagaciſſimi, vtpote illas obſeruantes e manuſcriptis deſumptas, quæ fingi, vel adulterari potuere, & præſertim ad gratiam nonnullorum aucupandam, quibus certò nouerant fuiſſe gratiſſimum, vt S. Hiſtoria, tanquam omnino mendaciſſima, a quorumcunque manibus penitus euelleretur, illique exiſtimatio omni ex parte adimeretur; miranturque, quod dumtaxat ſub

ALEX.

ALEX. VII. ad Pal. manus peruenerint quædam manuſcripta, e quibus in Tomo ſecundo non pauca deſcribit; cum in Catholicis omnibus Prouincijs iamdiu vulgatum fuiſſet, Romæ a P. Ieſuitis Hiſtoriam parari confutatricem S. hoc eſt a triginta iam annis; & P. Ieſuitæ valde veriſimiliter ad id operam ſuam, manuſcripta præcipuè colligendo, vbique contulerint; ſic enim magis, quàm antea, de R.E. ſe bene mereri putantes, amplioraque beneficia, ac priuilegia a R. P. maioremque in Romana Curia, & Vrbe auctoritatem in adeo moleſta S. Hiſtoria funditus euertenda, ſe conſecuturos ſperantes, concordibus animis cunctos auxiliares, quas potuerunt, manus ad id opus porrexiſſe, fermè certum videri poteſt. Significatum eſt etiam *Not.* 18. a quibuſdam tales efformari caracteres, vt tum aliena manu deſcripti, tum antiquiſſimi vltra milleſimum quoque cum pergameno videantur, ac non niſi a perſpicaciſſimis omnino, atque linceis oculis diſcrimen animaduerti queat. *Iſta ſint dicta*, non vt omni ex parte eleuetur fides manuſcriptis, & omnibus, quæ ſe vidiſſe, aut legiſſe aſſerit ipſe Pal. ſed vt oſtendatur, hęc pariter non derogare fidem vniuerſam S. Hiſtoriæ: inſitum ſiquidem eſt plurimorum animis, S. pariter e manuſcriptis, & fidelium, prout ipſe arbitrabatur, narratione virorum ſuam deſcripſiſſe Hiſtoriam, vt *Not.* 27. ſignificatum eſt. Cuinam autem maior in his habenda fides ſit, inter P. & S. fautores diſcrimen erit. At non ſtandum potiùs pro Pal.? Ita enimuero. Id cauſæ, & hominis conditioni concedendum eſt. Non negandum tamen quin illius in plurimis fidem minuat, quod tradit lib. 13. c. 16. in fin. DVO, ſcilicet, fuiſſe P*auli* IV. Epiſtolarum REGISTRA; alterum conſuetum, quod remanet in ſacri Palatij Secretarijs; alterum occultiſſimum, cuius nulla ibi remanet memoria: etenim quæ refert e Pontificijs, ſeu Pontificum nomine ſcriptis ad Legatos, alioſque litteris, e Publico litterarum Regiſtro haberi tantummodo facilè quiuis cenſebit; quin etiam ſibi ſuadebit, diuerſas omnino tempore eodem, vel paulò poſt litteras, ſeu etiam Inſtructiones, fuiſſe conſcriptas, occultiſſimè prorſus celandas, ac in Pontificio Palatio, vel alio publico loco non relinquendas, quin igne, peracto Concilio, abſumendas: ſi enim hæc duo Regiſtra habuit P*aulus IV.* cur non & P*aulus III.* & *Iulius III.* & P*ius IV.* dum potiſſimè agenda, ac decernenda in T.C. multò maioris forent ponderis, vtpote complura ad auctoritatem, ac poteſtatem Pontificiam attinentia, quam quæ P*aulus* IV. altero e Regiſtris penitus cælabat. Hæc duo Regiſtra quidni habuerint pariter inter cæteros Legati Cardinales? Quidni quoque varia fuerint Actorum C. T. exemplaria ab his etiam, quorum erat id munus, nedum ab alijs, conſultò confecta? Certè in huius Concilij Actis, ac Diarijs, quæ circumferuntur, non leuis, nec rarò, diuerſitas apparet. In pluribus tamen adhuc magis Pal. fauendum manuſcriptis, quàm S. ſi in his habeantur contra T. C. definitiones inania prorſus, puerilia, riſu explodenda &c. *Non tamen hoc in loco eſt prætermittendum*; Si S. Hiſtoria cenſenda eſt *Narratio Satyrica, ad arbitrium ficta*, Poetica ſcilicet, ſeu mendax, vt P. contendit, etiam ſimile elogium a nonnullis Pal. Hiſtoriæ apponi, ſi tamen demantur, quæ per ſe ſpectant ad Fidei dogmata, quæ nunquam ſunt adducenda in controuerſiam, ſed ſummopere laudanda ſemper, & conſtantiſſimè defendenda: nam *Satyricam* eſſe illam ſæpiſſimè patet quaſi in pleriſque horum Voluminum paginis contra S. ac frequenter, dum agit de primarijs etiam C. E. viris, vt iam, nec ſemel, indicatum. An non etiam *ficta* dici poteſt cum manuſcripta, ac notitiæ priuatæ, vt mox ſignificatum, potuerint fingi, ac ſimulari, vt multi arbitrantur, vel non integrè referrii?

ri? Plurima quidem ſunt apud S. quæ ab alijs quoque Catholicis viris nar-
rantur, vt *Not.* 25. & 26. dictum, nec non ipſe etiam P. in non paucis S. aſſen-
titur: quin etiam *Scipio Henricus*, de quo ſupra, ex eodem S. Hiſtoriam T.C.
impreſſit Dilingæ an. 1654. ſatis eruditè. Nec tanquam *Vana*, *Commenti-
tia, Leuis*, *Futiliſque* reijcienda eſt prorſus S. Hiſtoria; *tum quia* ab eadem
deſumuntur argumenta pro Catholica Fide, ac pro ipſomet T.C. vt oſtendũt,
& *Quorlius*, & *Auctor libelli de Trib. Hiſt. C.T.* *tum quia* plures, nec ingenio,
nec iudicio vulgares eam haud, vt talem, aſpernati ſunt, nec modò quoque
poſtquam prodijt P. Hiſt. aſpernantur, nec deſunt, qui maiori etiam in pretio
(ſi excipiantur dogmata) nunc habent in pleriſque, quam antea; *tum quia* vi-
ri etiam doctiſſimi Reſponſionem ad illam reſpuerunt, impares ſe ad id exi-
ſtimantes; *tum quia* P. *Terentius Alciatus*, licet ingenioſiſſimus, quaſi tri-
ginta annorum ſpatio in illius confutatione perſiſtens ſuam adhuc confuta-
tionem non ſatis eſſe exiſtimauit, ideoque illam non euulgauit; ac niſi mate-
riam maxima e parte ab eodem paratam reperiſſet P. (aliqui voluiſſent, vt in
Voluminum fronte aliqua mentio facta fuiſſet P. *Alciati*, in ſinceri, omnibuſ-
que illico patentis, ſi non Grati, ſaltem animi argumentum) quinque anno-
rum decurſu non confeciſſet *Primum Volumen* an. 1656. Romæ excuſum, cum
ipſe poſt P. *Alciati* obitum circa finem an. 1651. eam ſuceperit prouinciam,
formam huic materiæ iam adornatæ impertiens, vt ipſe fatetur, quæ in ſtylo
maximè apparet: An verò prudens fuerit in perpolienda omni materia, quam
parauerat P. *Alciatus*, dubitari poteſt, ac meritò, ſi omnem perpoliuit; quam
forſan haud totam publici feciſſet iuris ille, homo ſanè prudentiſſimus. AD-
DE; ſi S. Hiſt. eſt prorſus inanis, ac fabuloſa; cur P. adeo deſudauit in illius
confutatione? Fuitne laudabile ſubtilis ingenij ſui vires terere in fabula
reijcienda, & aliquot annos in nugis impendere abigendis? An non alij vti-
liores libri a Pal. poterant interea conſcribi? Cur illum imitatus Imperato-
rem, cuius ſtudium erat muſcarum confixio? *At*, inquies, *vtilius fuit ſcan-
dalum in puſillorum animis ortum ex Hiſt. illius lectione euellere.* Quid ſi non
euulſum, ſed mirificè illud auctum, quod Theologi vocant *acceptum*, ac etiã
additum ex ipſammet Pal. Hiſt. quod dicitur *datum*, eſtque in agente, non in
paſſo! Puſilli etiam num ingenio, iudicioqne exiſtimantur a Pal. omnes illi,
qui (demptis dogmatibus, de quibus loqui, ac diſſerere, non niſi ad valde
peritos in Theologia, eiuſque locis, maximè intrinſecis, attinet) fidem Hiſto-
riæ illi adhibuerunt? Præterea; triginta ſeptem annorum ſpatio permiſſum
fuit hoc ſcandalum, & tam graue, fidelium animis ab hominibus de animarũ
ſalute valde ſollicitis; ac hæreticis non ſublata breui occaſio nos ſubſannandi,
quod legitimum exiſtimaremus T. C. quod illegitimum eſſe e Noſtris etiam
quidam in ſua oſtenderat Hiſtoria, cuius confutatio non ſtatim edita fuerat?
etenim Hiſtoriæ S. lectio Romæ interdicta haud illius falſitatem euincebat,
cum alijs etiam e cauſis, & Politicis quoque, libri Romæ vetentur, ac notiſ-
ſimum eſſet Hiſt. Auctorem eſſe pleriſque ſaltem Romanæ Curiæ, ac Primo-
ribus, valde inuiſum. *Si*, teſte Pal. lib. 20. c. 17. init. *Maledicentia eam vim
habet ſuadendi, vt humanæ fidei domina euadat, niſi ſtatim contra maledicum
teſtimonium excipiatur*; Cur tot annorum luſtris exceptiones non propoſitæ
palam contra maledicam, vt aiunt, S. Hiſtoriam? Ne humanæ Fdei hæc domi-
na euaderet, an non ſummæ Charitatis in proximos, & Pietatis in Eccleſiam
fuit? Verùm S. Hiſtoria ſit *Poetica narratio*, *Fabula ſit*: At P. Hiſtoria, licet
vndequaque vera foret, *Pernicioſiſſima* iudicatur a plurimis etiam in Vrbe

commorantibus. Libri quidem fabulas continentes haud solent prohiberi Romæ; ideoque permitti poterit S. Historiæ lectio, si Titulus iste sit, *Historia Tridentini Concilij Poetica, seu Fabulosa Narratio Petri Soaue Polani.* Perniciosi libri, & hi solent numerari in primis, non rectè gesta a Romanis Pontificibus ex industria narrantes, licet interdum vera, hæreticorum placitis vehementer fauentes, aut eadem confirmantes, Pontificiamque potissimam auctoritatem ex iure Diuino, vel e Catholicæ Ecclesiæ consensu minuentes, multoque magis euertentes &c. prohibentur, ac prohibendi prorsus ex lege iam lata quoque a Summis Pontificibus, ac æquiùs quoque, si a Catholicis conscripti. An non eiusmodi sunt, & *huius Historiæ ambo Volumina,* (vt infra quoque ostendetur clarè) atq. *Liber Vndieationum S.I.*? An eò quoque Volumina hæc magis perniciosa, quod a Regulari, Soc. Iesu, Nobilissimo genere orto, ac educato, a Summis Pontificibus peculiariter dilecto inter ipsius Soc. alumnos, in celebri Romano Collegio Theologiæ Professore, approbantibus, & Censoribus Theologis Soc. cum suo Generali Præposito, & S.P.A. Magistro, in Romana ipsamet Vrbe, fuerint impressa. Ingenti sanè gaudio exiliunt Protestantes, seu Heretici, dum tam singularem sortiti sunt sui præcipui domgmatis in Vindic. lib. patronum; dum minùs sapienter Pontificiam Monarchiam a Christo institutam ex eodem libro colligunt, recepta modò communiori Theologorum sentētia Catholicorum; dum Lutheri sententiarum probatores obseruant a Pal. proferri aliquos, nec ignobiles ex antiquioribus Theologis, pro ijsdem; dum ipsis quoque datur facultas liberè loquendi de R.P. factis, ac e nostrorum testimonio omni exceptione maiori nō habendi reipsa Sanctissimos Pontifices ab alijs Catholicis communiter tales habitos; dum ex ijs, quæ latissimè circa initium, progressum, ac finem T.C. tradit Pal. humanam magis politicam, quàm Diuinum veritatis spiritum illi præsedisse colligere queunt &c. Nonnulli autem propensi in auctoritatem Conciliarem supra Pontificiam, in sensibus Basileensium Patrum, aliorumq. magis confirmantur, ac reliqui Catholici sumunt inde occasionem vllo absque scrupulo loquendi, & scribendi de R.P. eorumq. notandi actiones, Christi institutionem Romani Pontificatus minori in pretio habendi, electo R.P. & S.T.C. Decretis non eamdem, quam priùs, venerationem exhibendi &c. Si vel vnum ex his oriretur valde verisimiliter e lectione libri a Catholico impressi, nonne illius lectio, ac seuerè non raro, interdiceretur? Non est oppidò dubitandum, quin in Romanam Ecclesiam, quæ omnium Ecclesiarum, adeoque omnium Fidelium, Mater, ac Magistra est, amplior futura sit semper eius filiorum obseruantia, si in rebus maximè grauissimi ponderis eam nouerint non esse personarum acceptatricem. Sic agunt optimi, Sanctissimi Pontifices Dei in terris Vicarij, illius parentes iussis, illumque in iudicijs potissimùm imitantes: Hoc siquidem dilucidè iussit Deus Leuit. 19. v. 11 Deut. 1. v. 17. & c. 16. v. 19. ac præterea voluit per Canonicos Scriptores sæpissime testari, apud se non esse personarum acceptionem 2. Paral. c. 19. v. 7. Iob. 34. v. 19. Sap. 6. v. 8. Eccl. 35. v. 6. Act. 10. v. 34. 1. Petr. 1. v. 17. Rom. 2. v. 11. Gal. 2. v. 6. Ephes. 6. v. 9. Colos. 3. v. 36. Quàm graue sit hoc crimen, ac præsertim in iudicijs, ostendunt Theologi ad 2. 2. q. 63. Recolendæ sunt, nec raro, Tragœdiæ, quas in domo Iacob sanctissimi Patriarchæ Gen. 37. excitarunt peculiaria beneuolentiæ argumenta ab eodem exhibita Iosepho, licet inter Fratres ijs dignissimo; quas memoriæ Superiorum Soc. suggessit P. Mut. Vitell. in litteris ad eosdem die 4. Ianuarij an. 1617.

32 Si P. propositum est veritatem candido narrare calamo; etiam (alius dicet) idem S. fuit propositum. An verò omnes explicare veritates, editis maximè libris, ac potissimè si illi sint vulgari, cunctisque obuio idiomate conscripti, verè expediat, peritiorum sit iudicium. Sanè *Castr.* lib. 1. adu. hær. c. 13. Tertiam hæresum parentem, & originem tradit fuisse, ac esse Sacrarum Litterarum in Vulgarem linguam translationem, vt ibi probat; sed & iterum lib. 3. de Iust. Hæret. Punit. c. 6. integro fusiùs idem explicat; vbi quoque generatim docet ex Apostolo, sanctisque Patribus, haud esse tradenda rudi populo mysteria alta, & profunda, quæ illius superent intelligentiam. Sic in Trident. sess. 22. non solùm cap. 8. dicitur, *non expedire visum est Patribus, vt Missa passim lingua vulgari celebraretur*; verùm & can. 9. anathemizati sunt dicentes, *Missam lingua tantùm vulgari celebrari debere*. Pariter reprehenduntur Concionatores, qui *quæstiones perplexas, ac difficiles, ostentantes seipsos* (sic legitur c. 13. Conc. Aug. ab *Oth.* Card. Ep. ad diem 12. Nou. an. 1548. celebrati) seu *curiosas, & non vtilia plebibus, neque congruentia*, vt loquitur *Ambros. Cath. lib. 4. de Consid. & Iud. Præs. Temp.* Populis proponunt, seu quędam recondita sacræ Scripturæ, ac Theologiæ arcana, vix ab ingeniosis intellecta Theologis, ac paradoxa quædam, quorum solutio difficillimè percipitur a viris etiam non rudibus, vulgo exponunt; e quibus facilè in errores, nec leues, sæpenumero ducitur. Tacere quædam enimuero, quamuis vera, interdum munus est prudentis Historici, cum scilicet ex illorum narratione nulla, aut minora commoda, quàm incommoda, in humanum genus sunt emanatura. Vterque, & P. & S. censetur in suis narrationibus contra prudentiam peccasse. Nec satis se purgat P. in litteris *ad Illustris. Durat.* 2. Martij 1658. quod ipse voluerit aperto marte pro Tridentino, & Pontificibus decertare non cuniculis, *e mostrar, che quanto male si è commesso da questa banda, riguarda alle foglie, ma non il tronco*; Arborum siquidem folia vitiatum esse Truncum sæpissime queunt declarare, humorisque praui in trunco latentis argumentum esse possunt: Quamobrem licet verè in T. C. definitionibus Catholica doctrina legitimè fuerit proposita, ac debitus Cathedræ S. Petri honos semper sit deferendus, etsi in ea sedentes quandoque nec leuiter peccarent, vt sapientissimè *S. Aug.* lib. 2. contr. litt. Petil. c. 51. ac 61. tradit, e Christi ipsius etiam præcepto Matth. 23. init. Attamen a Pal. confutante præsertim S. cuius Historia censetur euertere duo Catholicæ Religionis propugnacula, hoc est, *Tridentinum Concilium, ac Summi Pontificis Primatum*, subtrahenda fuit occasio hæreticis nouos construendi aggeres, vel iam constructos validiores reddendi ad hæc oppugnanda, eorumque pertinaciam in nobis aggrediendis augendi (nam cæteroqui quisnam fructus ex hac Historia ad illos emanat?) & Catholicis adimendi plurimis pristinam magna ex parte alacritatem ad tuenda hæc duo propugnacula, seu fidem minus feruentem T. C. decretis modò præbendi, quàm antea, ac minorem intimam venerationem Romanis Pontificibus deferendi. Aduocati naturaliter eloquentes, aut in verbis profusi, plura sæpissime proferunt, vel scribunt patrocinantia causæ, cōtra quam agunt, id non animaduertentes; aut etiam, dummodo insitæ obsecundent naturæ, parum de hoc laborare queunt, stipendio contenti sibi tribuendo, seu victores, seu victi euadant.

Ad Cap. VI. Introductionis.

33 QVod contra S. vitam tentatum fuerit, tum non semel in Monasterio degentem, tum per Vrbem incedentem, notissimum planè est. Publici criminis patratores noti fuerunt, quos quoque notum est mortem non obijsse voluntariam. Auctores primarij non adeo noti sunt. Compertum quidem est Historias Ecclesiasticas, ac Prophanas euoluentibus, quosdam ad aucupādam Magnatum potissimè gratiam, putantes se etiam quādoque obsequium Deo præstare, zelo quodam sanè diabolico abreptos, necem attulisse, & afferre molitos fuisse nonnullis etiam primarijs hominibus, quos esse Magnatibus odiosos sciebant, aut quorum vitam non arbitrabantur Christianæ commodis Reipublicæ opportunam. Equidem doctrina a *Franc. Suar.* an. 1614. promulgata primò Coloniæ, ac deinde alibi, in Tomo, cui Titulus *Defensio Fidei Catholicæ &c.* c. 4. lib. 6. a n. 10. quam n. 20. esse verām, atque certam affirmare non reformidat, multorum animis insedit, æquiùs alijs accommodanda, qui non sunt Principes, & adhuc multò magis si peculiariter hi sint subditi &c. licet non immeritò alijs videatur non executioni mandanda, vel mandari quoque. Quàm verò religiosè, & iuxta Christi verba Matth. 5. v. 44. se semper gesserit S. non ignorant multi ex ipsius quoque hostibus, ac æmulis. Vtinamque S. imitarentur ij potissimùm, qui *plumbeas, ac immortales* solent exercere iras; cū tamen vetus dictum, tum ab Aristotele, tum a Pal. c. vlt. Vind. in fin. pag. 406. loquente de Primoribus quibusdam, quos parum suæ Societati æquos tunc existimabat, laudatum, sit, *Haud par est, mortalium iras esse immortales*. In malo obduratio dæmonum est, quorum naturam sequitur iuxta Thomistas communiter ad 1. p. q. 82. ar. 2 Non adhuc Christianæ legis, nedum perfectionis, rudimenta percepit ille, qui inimicos suos non diligit, eorumq. dilectionem opere ipso non ostendit: At qui perfectionem profitentur, & summam, & Apostolicam, tenentur ijsdem benefacere, bona pro malis rependere &c. quod si communiter non præstēt, iacet fere in cartis solummodo Christi præceptum, & consilium e *Mald.* S. I. ad v. 44. Matth. 5. Profectò S. non minus post, quam ante læthale vulnus, pro illorum legitimis iuribus stetit, quibus ipse cum plerisque patratum facinus ascribebat: Nec nisi temere asseritur, huius Historiæ scriptionem emanasse ex odio, quo nōnullos prosequebatur propter acceptum vulnus; nam multò ante eam meditatum fuisse indicat Pal. asserens c. 2. huius *Introd.* maximam S. vitæ suæ partem in ea impendisse Historia. Præterea dicent alij, solos P. Iesuitas, cum alij Regulares id onus detrectassent, annuentibus Pontificibus confutationem hanc aggressos fuisse ex odio in S. quin etiam amicorum in Curia vsos fuisse opera, qui Pontificibus suaderent, vt responsionis munus sibi deferrent, qua animum in S. maleuolum exsaturarent. Neutrum opinandum.

34 Quamuis Mendacium post libros maximè *S. Aug.* duos *de Mendacio*, *& contra Mendacium ad Consentium*, existimatum fuerit ex illis esse malis, quæ ideo dicuntur *Prohibita, quia Mala*, ac in nulla planè circumstantia sunt licita; vnde & a Deo indispensabile (quamuis *Innoc.* III, vt priuatus Doctor, *c. Gaudemus de diuort.* contrarium significauerit) ex vnanimi modò Theolo-

gorum ſententia cenſetur, vt ipſemet tradit Pal. Attamen Æquiuocatio, ſeu Amphibologia, non tantùm in verbis ſita, quorum ſignificatio ambigua e circumſtantijs patere poteſt, verùm etiam per *Reſtrictionem Mentalem*, ita ut diſſentaneus etiam ſæpe verbis ſenſus in audientium animos inſinuetur, licita cenſetur, inter S.I. Theologos a *Leſs.* lib. 2. de Iuſt. c.47. n.35. vbi confirmat quoque dicta c.42. dub.9. c.31. dub.3. & c.11. dub.20. *Val.* tom.3. d.5. q.13. p.2. ac tom.4. d.7. q.13. p. vlt. *Suar.* tom.2. de Relig. lib.3. de Iuram. c.10. qui latè hanc explicat ſententiam, ac vt practicè ſecuriſſimam, ac in rigore veram proponit n.4. (cui ſubſcribit pro more ſuo *Filiuc.* tom.2. tr.15. c.11. n.36.) *Sanch.* lib.3. Mor. c.6. n.15. qui eius probabilitatem multis confirmat, ac etiam affert præter *Suar.* e ſua Soc. *Sà*, ac *Tolet.* quibus e *Diana* p.3. reſol.30. confirmante reſol.25. tr.15. p.1. addendus *Reginal.* in praxi tom.2. lib.24. c.1. num.19. ſed & *Buſemb.* in Medul. Theol. Mor. lib.3. tr.3. init. c.2. ac *Rayn.* in libro, quem inſcripſit *Splendor Veritatis Moralis contra Ioan. Barneſium pro Leſsio* (illum virum *proculdubio doctum, & ingenio acutum*, quamuis ipſum deprimere velit *Rayn.* fuiſſe ſcribit *Hurt.* de Ver. Martyr. Fid. Reſol.70. Digreſ.6.) Lugduni edito an. 1628. a c. potiſſimùm 8. Ipſe quidem P. non huic adhæret ſententiæ lib. 3. de Virt. Theol. c.2. de Fide; Cuius tamen ratio allata n. 23. ad probandum aliquas locutiones nop eſſe mendaces, probat pariter non eſſe octo mendaciorum genera, quæ numerantur c. *Primum* 22. q.2. e *S. Aug.* lib. de Mend. cap. 14. immo eſſe licita ſex falſiloquij genera c.1. de Iur. Belli lib. 3. recenſita ab *Hugone Grottio*, homine non Catholico, quem ipſemet P. commendat cap.19. lib. Vindic. in fin. pag.116. & multò magis c.7. ſequ. huius *Introd.* in fin. Potuit nihilominus contrariam ſequi opinionem, quam amplectuntur quinque etiam ex illis ſuæ Soc. Theologis, quorum nomen ſolùm init. pag.222. Vind. teſtatur clarè, ſatis eſſe ad ſuis probabilitatem dictis conciliandam, nulla etiam ratione allata (hi tamen eam afferunt) vt ſignificatum eſt iam *Not.* 10. Poteſt autem quis teneri mandare executioni probabilem ſententiam, deſerta illa, quam exiſtimat probabiliorem: Nec P. occurrere non potuerunt cauſæ, e quibus licitum ſibi eſſe, immo obligatorium, huius *Reſtrictionis Mentalis* vsū putaret, recenſitæ a *Sanch.* n.19. eòque facilius, quod S. habitus fuit ab ipſo, vtpote Eccleſiaſticus, ac Regularis, humanæ, ac Diuinæ læſæ Maieſtatis reus. VERVM concedatur, P. abſtinuiſſe prorſus a *Reſtrictione Mentali, per quam vna pars propoſitionis profertur, pars mente retinetur*; dubitari tamen poteſt, nec temere, an ſoluturus ſit promiſſa in hoc c.6. ac peculiariter de fideliter omnino, ac integrè manuſcriptis referendis, nec non ijs, quæ ad Aduerſariorum, inter quos Princeps proculdubio eſt S. cauſam ſpectant, cum ipſe nulli eorum ſit peculiariter infenſus &c. Hæc enim *Fidelitatis*, ſeu *Fidei promiſſorum virtus* a *veracitate* ſeiuncta, vt inquit *Leſs.* lib.2. c.18. dub.8. confirmatque lib.4. c.47. in fin. dub.5. quæ viros genere præſtantes maximè decet (vnde & *nobilium promiſſa pro factis habentur*, vt e ſententia *Iſer. Affl. ac Lupi I.C.* nedum Poetarum *Homeri*, ac *Martialis* habet *Tiraq.* c.20. de Nobilit. n.23.) & quam præcipuè ſuis commendauit P. *Vitell.* Præp. Gdn. S.I. in litt. ad Vniu. Soc. 2. Ian. 1617. equidem in P. non agnoſcitur: Etenim PRIMO c.2. lib. Vindic. in fin. pag.6. profitetur, dum *alteram accuſatorum cohortem repellere aggreditur, ſe ita repellere, vt celebre illud inculpatæ defenſionis moderamen a iure præſcriptū quam religioſiſſimè ſeruet. Statutum mihi eſt*, ſubdit, *nos tutari, neminem carpere, ne diſſimulanter quidem; nullius laudem eleuare; de accuſatoribus ipſis honorificentiùs eloqui, quàm cauſæ patrocinium poſtularet ad eorum ſidem eneruan-*

uan-

uandam; adeoque non nisi inuitissimus, ac balbutiens, vbi per necessarium fuerit, eorum labes indicabo: ad summam clypeo libet depugnare, non gladio. Hanc enim lenitatem, & Christianæ caritatis doctrina mihi suadet, & scilicet magnanimum quoddam vindicationis consilium a timore, ac sordibus remotissimum. Fateor enim puderet me Ordinis, in quo versor, & quem grandæuus iam, ac diu meditatus elegi, si is ille sit, qui illaudatum se metuat, nisi alij sint illaudabiles; sique innocentiam suam comprobare se posse non speret, nisi nocentes fuerint accusatores. Quis quæso, P. hæc prolixè adeo, & neruosè pollicentem fidem seruaturum non putaret? Et nihilominus, qui aliqua solùm illius libri capita euoluit, opposita penitus hisce lineis ab eodem præstita fuisse illico animaduertit; & nominatim, dum 1. *Io. Mar.* viri Soc. religiosissimi, ac doctissimi (de quo *Not.* 39.) famam pag. 95. ita eleuat, vt hæreticos laudibus simul attollat. 2. P.D. *Zach. Pasq.* vult Papali subiacere excommunicationi pag. 288. illius libros de quadam cum P. I. quæstione agentes contemptui exponit p. 262. eiusdem paruipendit eruditionem init. pag. 293. ac 305. illius argumenta irridet a pag. 298. ac 307. illum hæreticis fauere dicit pag. 302. minus Catholicam prosequi doctrinam tradit pag. 307. non sibi cohærere docet pag. 308. eumdem intemperatæ libidinis aliena carpendi insimulat pag. 316. &c. 3. Salmanticenses Theologos inquit patrocinari hæreticis piacularis Confessionis institutum auersantibus. 4. in quemdam nobilem virum, & cuius familiam suo generi fuisse commixtam iam declarauerat pag. 154 init cap. 22. ea profert verba pag. 227. c. 28. (præter calumnias a pag. 156.) quæ nec a vilissimo caminorum, vel cloacarum purgatore proferrētur, multaque in eum dicteria iacit, appellans eum vulgi præconem &c. 5. nuncupat Philosophos oculis, ac memoria, qui criminantur nouarum controuersiarum procreationem pag. 209. ac ridiculos pag 203. qui vniuersim vetarent, ne de nouis quæstionibus disputaretur, cum tamen tali pronunciato refragentur Patres Soc. Congr. Gener. ac Præp. Gener. in decretis, ac litteris, nec non Soc. Constitutiones, ac Regulæ. 6. dum nititur refellere eos, qui accusant Soc. de superbia, & auaritia c. 48. & 49. vulgares homines eos appellat, distinguere nescientes inter superbiam bonam, & malā p. 378. & ignorantes non esse superbi Religiosi Ordinem suū supra cæteros extollere; nec esse diuites, sed potiùs pauperes, qui multos cēsus habent, dummodo illos expendant p. 380. 7. dum volens probare ex Soc. nulli mancipata libertate nihil vitij excidisse in licentiore innouatione doctrinarū p. 221. ac 222 doctrinā plurimorum Soc. Theol. præfert doctrinę præcipuorum Thomist. ac Scotist. quin etiam Alensis & Scoti, imò S. Th. c. 15. p. 88. Ac nullā esse ait numerosam multitudinē, quæ maiorē habeat ab inferis dissociationē, tamq. facilem gradū ad Superos, quā Soc. alumnos; quod etiā repugnare videtur Sacris Canonibus, & illustribus ipsius Soc. Scriptoribus, qui tutiorem vitam (quidquid sit de perfectione) scribunt esse hominum contemplatiuæ vitæ addictorum, quam simul actiuæ c. 14. pag. 78. 8. fere solam esse Catholicam Soc. doctrinam significat; nam c. 28. pag. 237. ait, hæretici sanè pro eadem sumunt doctrinam Catholicorum, ac Iesuitarum; quasi talem nō habeant Scotisticam inter alias Scholarum doctrinas, ac Thomisticam in primis. An non in hanc Lutherus, cum cæpit ab Ecclesia recedere, primò inuexit, ac perpetuò illius aduersarium se præbuit? An non Scoti libri ab Hæreticis in Anglia flammis traditi? 9. vt exaltet Soc. Monarchiam a pag. 242. contra illam reprehendentes, deprimit Pontificiam. 10. vt reijciat eos, qui docent Theologiam in primis tradendam e sacra Scriptura, Diuinis Traditionibus, Conciliorum

liorum, Patrumque testimonijs &c. Primatum Summi Pontificis tollit funditus, eosque præterea, qui sic sentiunt, ait obloquendi temeritate gestire, esse scientia destitutos, sui inopes, alieno refertos, similes hæreticis Scholasticam Theologiam caui llantibus, cum tamen sic sentiant *S. Th. Scot.* & vnanimiter planè Theologi; de quo *Melch. Can.* inter cæteros summè laudatus ab eodem P. pag. 232. qui de Locis Theologicis tractationem ante omnes supra omnes, dicitur ab illo executus. Ex hac ratione confutandi eos, qui aliqua non laudarunt, aut etiam accusarunt Societ. in aliqua lege, vel in aliquibus moribus, vel in aliqua ratione viuendi, aut docendi; factum est, vt aliqui Librum illum rectè appellatum esse dictitent VINDICATIONES S. I. non a tuendo solùm, sed ab *Vlciscendo*; quæ est definitio *Vindicationis* apud *Cicer.* de Inuent. Vltio autem (hæc etiam est, cum inculpatæ tutelæ moderamen exceditur) prohibetur a Christiana lege, & multò magis a Regulari Instituto, & maximè si hoc profiteatur cum primis Christi imitationem; quæ sanè fuit olim comprobata S. I. alumnorum laus; sic enim *Pius IV.* in Bulla ann. 1561. die 13. Aprilis de illis loquens, *Qui sicut nomen Sociorum Iesu assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis D. N. I. C. imitari, eiusque vestigia sequi nituntur*. In hoc sanè libro non talem se ostendit Pal. sicuti nec se ex illo Ordine esse, qui vt nobilissimus quoque *magnanimum quoddam Vindicationis genus* prosequi debet *a sordibus alienissimum*, & *qui se* non illaudatum *metuat*, etiam si *alij* laudabiles sint &c. Hæc certè non fuit intentio Reuerendiss. P. *Vincentij Caraffæ* 7. Gener. S. I. post *P. Mut. Vitell.* imperanti Pal. huius scriptionem libri, vt ipse in Epist. Dedicat. significat, si illius sanctitatis fuit, quam & ibi, & c. 47. nec non *P. Dan. Bart.* in illius Vita celebrat. Dum in hac re legis Christianæ præceptis apertè consentanea, vt Pal. ipse significat, & Christi exemplis, Sanctorumque dictis confirmata, fidei datæ sæpiùs non stetit; an non verisimile erit, quod idem in hac Historia præstet? SECVNDO idem P. lib. 24. in fin. c. 13. vbi Calumniæ vitium vituperauit, ne dum vt malignum, sed & vt iniustum, ac se declarauit nolle, vt sua hactenus in Hist. Volum. in alicuius offensionem dicta nouum pondus addant &c. subdit, *E mi recherò a ventura di trouar con processo di tempo, che le persone aggrauate iui di qualche colpa, o difetto, ne fossero per verità esenti, ed a me conuenisse ridirmi. Parendomi assai più desiderabile nell'essercitio di quella giurisdittione, che compete, o alla potenza, o alla penna la parte di rimunerare, che di punire, e persuadendomi, che ogni giudice non inhumano si rallegrerebbe, se l'accadesse di douer per nouelle proue riuocare alcuna sentenza condannatoria da se in virtù de' primi atti legitimamente pronuntiata*. At Epistola Pal. ad *Illustriss. Durat.* 2. Mart. 1658. post editum secundum Volumen, vbi gesta *Pauli IV.* recenset, molestissimum sibi fuisse *Vellij* libellum pro illo Pontifice demonstrauit, nedum gratum, vt *Paulus* immunis ostenderetur ab ijs culpis, quas eidem ascripserat, nouas quoque, sed falsas, iterum proferendo; ac licet meritò, præsertim post secundum *Vellij* libellum, potuisset multa contra illum Pontificem reuocare; abstinuit tamen hactenus a palinodia etiam voce, vel scriptis (vt fertur) quod est datam fidem fefellisse; quod idem a Pal. efficiendum existimatur, si demonstretur iniuriosum fuisse alijs etiam primoribus. Ista fuit Politica ars non quidem hausta e Christi, sed potiùs (quod quandoque obijcit S.) Macchiauelli disciplina ad decipiendos quosdam leuis ingenij homines, & parum prudentes, seu cautos, vel amicissimos ad lib. Vind. lectionem, & ad ibi dicta contra accusatores habenda, vt Christianæ charitatis lenitati, ac Ordinis sui præstan-

tiæ consentanea, & ad omnia in duob. Hist. Volum. aliorum famam penitus extinguentia, vel eneruantia, tanquam certa omnino habenda, quousque ipsemet non retractaret; quod non potest contingere, nisi in nouis Historiæ Voluminum editionibus. Sanè promissionem in re graui obligare sub mortali *Less.* vbi supra cap.18. lib.2.dub.8. n.55. cum sententia communiori putat. AD HÆC, obseruant alij in c.22. lib. Vindic. pag.156. hæc legi, *nec vsq. adeo insanirem, vt pro tuenda Societate, quam vnius Cœli demerendi studio adoptaui, calumnias extruerem mihi Cœlum obstructuras*; & cum ista præmisisset, statim ea pag. nec non 157.158. & 159. complures struere calumnias, vt vniuerso Christiano Orbi iam ab an.1654. patefactum est in *Pædia Peripateticæ Dissert.*4. *latissima*; atque comprobatum illud *Niloxeni apud Plutarc.* in Conuiuio, *Multi sunt, qui sinistris rumoribus de Sapientibus viris delectantur, quos vel ipsi sibi confingunt, vel ab alijs promptè accipiunt*. Solùm excusari potest Pal. a formalis Calumniatoris nota, quod inconsideratè illas protulerit, non attendens, a quibus quædam acceperit, contra c. *Qualiter, & Quando* de Accusat. ac non intendens calumniari; attamen, præterquam sapienter *P. Vitell.* in litt. ad Vniu. Soc. 2. Ian. 1617. loquens de vitijs linguæ in non paucis e sibi subditis inconsultò, vt ipsi aiebant, admissis, ait, *affirmo inconsiderantiam, indiligentiam, lubricitatem, hac in re malum esse longe grauissimum, atque vtinam interdum Diuina Maiestas nihilò magis, quam leuiter, lædatur*; differens *P. Claudius Acquauiua c.*17. *indust. ad curand. Soc. anim. morb. n.*4. de ijsdem vitijs inquit, *intelligant non esse ad excusationem satis, si id non ex intentione faciant, & formali studio detrahendi Societati, aut alijs, quia ex natura rei eadem sequuntur mala, quocunque tandem omnino illud dictum fuerit; nec Societati, & alijs minus propterea incommodi euenit*. Scitissimè *Rayn.* c.1. sect. 1. *Hoploth.* postquam scripsit, *Si per errorem inculpabilem, & allucinationem humanam contingeret falsum probrum tribui innoxio, non esset ea attributio vera calumnia*, paulò post subiungit, *Si postea deprehenso errore homo firmetur in attributione semel facta, & pre pudore, aliaue de causa renuat remouere probrum, quod semel bona fide attribuit; sicuti soluitur eius bona fides, ita incipiet esse verè, ac formaliter calumniator, & non retractatio dicti prioris incipiet habere rationem veræ calumniæ*. Non est sanè desperandum, quin P. Palinodiam in compluribus sic tandem palam expositurus, vt Iustitiæ, nedum Charitati, ac Fidelitati satisfaciat, non ignorans, secus intercludendum sibi ad Cœlum aditum, cuius vnius demerendi studio Soc. adoptasse fatetur; Quis enim arbitretur illum adeo insanientem?

35 Cum *Rayn.* vt notum est Vrbi init. an. 1648. in quemdam famosum scripsisset libellum sub specioso titulo, *Correctio Fraterna &c.* Satyricum quoque stylum contorsit in nobilissimam illius Familiam, Patriam, ac illos apud quos degebat &c. quamobrem reiectus fuit a P.F. *Vinc. Cand.* tunc S.P.A.M. relatusque ad P. *Caraffam* Gen. S.I. qui & illi dixit, se mirari, quod ille fuisset a Censoribus librorum Soc. probatus, & ad se transmissus &c. Hunc imitatus fuit Pal. cui non satis fuit tam acriter semper in S. Vitã, & Historiam inuehere, & adeo illius vitia exaggerare, vt in hoc capite asserat, *Nullam esse in illius Historia periodum, quæ non præferat illius infensum in Romanum Pontificem animum* (amplificationes autem istæ Historicum planè non decent, quæ nec Rhetori concederentur; vnde licet *Quintil.* lib.2.c.17. & lib.12.c.1. concedat Oratori dicere mendacium, si ex bona ratione id proficiscatur, hoc non potest contingere, si narratio, vel amplificatio sit aliorum famæ læsiua, cum

non possit esse Orator, qui non idem sit vir bonus c.1 eiusd. lib.12. ac mendacia ab Oratore refellenda asserat lib.6. c.5. superiori autem cap. 4. cum concedat, *Mendacium posse mendacio eludi*, videri P. in hac, huicque similibus contra S. amplificationibus hanc *Quintil.* indulgentiam admisisse) NON, inquam, satis P. id fuit, nisi vnà acerrimè notaret illos, qui S. opera vtebantur Homines Religiosissimos, & Catholicæ, ac Romanæ Fidei studiosissimos, vt dilucidè testati fuere ipsius T. C. Patres an. 1562. in sess.3. die 14. Maij in Responso ad Oratores SERENISSIMÆ VENETÆ REIPVBLICÆ (hoc legitur Coloniæ an.1565. impressum, simul cum responsis ad Oratores aliorum Principum missos a T. C.) atque Romanorum Pontificum sæpe validissimos defensores, & Christianæ Religionis profusione, tum thesaurorum, tum sanguinis ipsius, Clarissimorum quoque Patritiorum, perpetuos propugnatores, non minùs certè de Vniuersali Ecclesia, ac Romana Sede optimè meritos, quam quidam alij sint, qui dictitant, enumerant, & quandoque Rhetorum more exaggerant beneficia in Christianam, & Catholicam Ecclesiam collata. Erat his exploratissimum, S. integerrimam prorsus agere vitam, nunquam eos hortatum fuisse, vt a Catholica Fide, ac Romana Sede deficerēt; quamuis in controuersijs quibusdam ad fidei dogmata non spectantibus, nec vt talibus vnquam Fidelium cœtui propositis a Conciliorum Generalium Patribus, vel etiam a R.P. e Cathedra, & in quibus de politico potiùs regimine, quam de spirituali per se animarum agebatur, pro antiquis eorum iuribus ac legitimis etiam, vt multi e Catholicis quoque viris docti secum sentiebāt, consuetudinibus scripsisset: Qui & obseruare potuerunt, a S. defensam fuisse opinionem, quam a decem circiter annis cum approbatione suę Societatis, & Superiorum, & Theologorum Censorum, aliorumque impresserat *P. Ludouicus Molina* e S.I. tr.2. de Iust. disp.140. Vbi enim cum *Iul. Clar.* lib 4. sent. §. Emphyteusis q.22. & communi sententia scripsit, Emphyteusim, tam Ecclesiasticam, quam Sæcularem transire quidem ad Monasterium, sed cum hoc grauamine, vt Monasterium teneatur eam alienare a se, vel venditione, vel commutatione, vel quacumque alia ratione &c. subiungit, *Quin de iure huius Lusitaniæ Regni lib.2. Ordin. tit.8. in princ. & §.1. neque Ecclesiæ, neque Monasteria emere possunt bona aliqua immobilia absque Regis facultate, quod si successione, vel donatione aliqua illis adueniunt, tenentur intra annum, & diem ea alienare, nisi obtineant facultatem a Rege, vt illa sibi retineant: quod in Feudo, & Emphyteusi locum habet, cum inter immobilia bona computentur. Id verò in hoc Regno, & ordinariè in alijs sancitum est, ne paulatim plus iusto accrescant, tum immobilia bona, tum etiam reditus Ecclesiarum, & Monasteriorum in Laicorum detrimentum, præsertim cum pleraque Monasteria iure hæreditario quotidie loco suorum Religiosorum succedant in bonis defunctorum.* Hæc Molina; in quo c.27. lib Vind. init. pag.222. P. apertè inquit, *Quid deprehendes audaculum, aut suspiciosum, immo verò quid deprehendes, cui ipsum auctoris nomen satis ad probabilitatem non sit?* At hoc in loco *Molina* affert etiam rationem, eamque probat: Qui certè accuratissimus Scriptor, ac validissimus Ecclesiasticorum iurium, quæ legitima putat, defensor, non omisisset referre, id fuisse Regno Lusitaniæ, & alijs Regnis concessum e Pontificio Priuilegio, maximè cum peculiarem notitiam præferat Iurium Regn Lusitaniæ, Castellæ &c. vt legenti tomos eius quatuor de Iustitia patet; qui indicāt enimuero, non minus saltem in Morali Doctrina, quam Scholastica, excelluisse *Molinam*, ac fermè præferendum ipsimet *Thomæ Sanchez*. Ius ergo

hoc

hoc esse Regium, seu habere supremam omnino potestatem Principes quosdam bonorum temporalium in suis Ditionibus disci potuit ex hoc adeo inter Patres S.I. Theologo, & non tantùm ex ijs, quæ S. voce, scriptis, ac libris vnà cum alijs significabat: De qua tamen controuersia viderint alij. Nouerant præterea illi, S. semper consuluisse, ne ex illorum, quæ R.E. certò sibi præscripserat, ac validè, iurium possessione deturbaretur, & in ambiguis non rarò causis eidem suffragatum fuisse. Imprudenter quoque scripsit in offensionem eorum, maximè cum id S. confutatio non exigeret, quorum beneuolentiam conciliare potiùs debebat, cum sub ALEX. VII. cæpisset seuerissimi contra Socios suos decreti mitigandi consilium iniri. Tam capitali in S. odio exarsit Pal. animus, vt non dubitauerit tot Magnatum, qui sunt primarum partium Catholici, animos a sua Societate denuò auertere, atroces ijs iniurias inferens, & tunc quando agebatur de illorum reditu ad lares Societati iamdiu optatissimos. Faciliùs condonari potuit id, quod an. 1649. c. vlt. Vind. scripsit p. 405. & 406. *Socios suos planè integerrimos fuisse condemnatos*; tunc enim haud erat probabilis spes de reuocando contra suos Socios Decreto. Huic tamen vulneri in 1. tom. verè læthali præstantissimorum Virorum famæ illato, medicinam afferre in tom. 2. studuit, ac potissimè lib. 16. c. 10. n. 8. Vtinam quæ consanuisse videntur vulnera, non recrudescant; recrudescent autem, nisi *noua* sint in Socijs suis *Corda, Voces, & Opera*, vt ijs significatum dilucidè fuit palam, vbi in ALEX. VII. gratiam excepti fuerunt beneuolè. Certi sint enimuerò, eandem in se S.R.V. propensam voluntatem experturos, quam in *nascentem Societatem se expertos fuisse* testantur ipsimet in Dec. 119. inter Decreta Congregat. 7. habitæ ann. 1615. iampridem impressa, si & ipsi *promptissimam illi seruiendi, & obsequendi voluntatem*, quam ibi spondent, ac regressi iterum palam coram Amplissimis Viris spoponderunt, reipsa exhibuerint; ac breui, si ipsorum mores fuerint similes nascentis moribus Soc. cuius homines *opere, doctrina, exemplo D.N.I.C. imitari, ac eius vestigia sequi nitebantur*, vt iam ex *Pij IV.* testimonio dictum est. Plebeium Scriptorem appellat P. illum, qui calumnijs, publicam quoque exercens inimicitiam, a se scripta contaminat. Se hoc titulo dignum reddidit Pal. licet ex genere inter Italos illustrissimos, dum (præter scripta in lib. Vind.) calumnijs, iniurijsque onerat, & S. & illos, quibus ille gratus erat, quamuis, & illius, & horum nomen fuisset Societati, & alijs odiosum. HOC IN LOCO prætereundum non est, obseruare aliquos vigere apud quosdam (an laudabilis, an vituperabilis prorsus, discutiant alij) Politicam hanc: VBI norunt, apud Sæculares maximè Principes auctoritate frui Viros egregios, Sæcularium Iurium, quæ legitima iudicantur, patrocinium suscipientes, seu voce, seu scriptis, eos insimulandi primò, tanquam parum Catholicos, ac pios, postea tanquam suspectos de hæresi, ac postremò quandoque tanquam hæreticos, vt pij Principes Catholici illos a se relegent, substituantque alios sibi, suisque iuribus potiùs fauentes. Idem etiam superiori sæculo excogitatum est ad eleuandam auctoritatem plurimorum, quæ iam antiquus scriptor, ac inter Catholicos celebris, ac sincerus semper habitus, pro quodam maximo Principe suæ inseruerat Historiæ, seu Chronologiæ. Quæ Politica magis adhibetur, si Principum Ministri sint Ecclesiastici, vel Regulares; nam hos potissimè quidam vellent sibi morem gerere, cupientes Ciuilem Rempublicam in compluribus etiam temporalibus iuxta ipsorum sensus, atque leges quasdam dirigi, ac regi. At Politica hæc longè abest a moribus Sanctissimorum Pontificum, ac verè pijssimorum

          simorum

ſimorum Apoſtolicæ Sedis Miniſtrorum.

36 Ex erroribus, quos exponit prolixè Pal. a ſe in S. Hiſtoria deprehenſos, quidam ſunt leuiſſimi, ac pueriles, & planè indigni animaduerſione; quidam haud errores ſunt; quidam ex iiſdem in Pal. Hiſt. obſeruantur pariter; quidam immeritò, & contra Auctoris mentem deſcripti; & plurimi ſunt ſimiles illis, quos in *Guicciardini Hiſtoria* adnotauit *Thomas Porcacc.* quiq. ad complures illius Hiſtoriæ paginas cuiq. ſunt obuij; cum tamen *Guicciard.* Hiſt. haud inter Poeticas, & Fabuloſas narrationes numeretur, nec e veracium albo Hiſtoricorum *Guicciard.* eradatur, ſed inter Veraces clarè a *Iuſto Lipſio* ſupra *Not.*4. indicatum numeretur. Minùs condonandi ſunt ſuæ errores Hiſtoriæ P. eò quòd exquiſitam omnino, vt dictum *Not.*8. profiteatur omnium notitiam e ſcriptoribus, ac manuſcriptis fidelibus. Quaſi cuiuslibet erroris deberet P. Hiſtoria expers eſſe, cum triginta ſeptem circiter annorum decurſu in ea deſcribenda, & *P. Alciatus*, & ipſe, alijs etiam ad id opem ferentibus, inſudauerint. Vtinam quoque P. in margine ſemper repoſuiſſet ſcriptores, vel manuſcripta, e quibus quodcunque deſumpſit in ſua reponendum Hiſtoria, vt ipſemet pollicetur a ſe omnino efficiendum; datæ Lectori ſiquidem fidei obliuiſcitur nec ſemel; ſic enim veniam deprecanti in multis faciliùs in P. ignoſceretur. Vtinam quoque tot errores nullius planè apud viros ſapientes, cordatoſque ponderis inter 360. Errores S. aſcriptos non repoſuiſſe; nam ex hoc ipſo quoque adhuc magis dilucidè eius liuor, ac maleuolentia innoteſcit, teſte ipſomet P. init. c. ſubſequ. vbi ait, *animo affectione odij potiſſimùm perturbato modiciſſimum licet obiectum, grande, ac immane apparet*. Si autem leuium, ſeu paruorum animaduerſio, vt ibidem ſubdit, Hiſtorico adimit fidem in narrationibus magni ponderis; cum Catalogus errorum e Pal. Hiſtoria leuium deſcribi poſſit, de grauioribus ſcribenti quænam fides eidem adhibenda? *Atqui addendum*. Non valet profectò P. argumentatio, Ignorauit S. complura minoris ponderis, Ergo etiam maioris; Quia argumenta *a minori ad maius, & a maiori ad minus*, quorum hoc debet confici affirmatiuè illud negatiuè, aliquot habet limitationes etiam apud I. C. e *Barb.* loco 67. ac 73. nec non *Euer.* in Loc. Leg. loco 45. & 46. ſubſcribitque *Panor.* c. licet de Transl. n. 7. & 8. qui & addere ſolent, debere verſari circa eumdem terminum, ſeu idem ſubiectum, ſeu circa rem eiuſdem prorſus qualitatis. Certè apud Dialecticos quoque illę non raro deficiunt Regulæ, neque enim valet, Auis poteſt volare; ergo & intelligere: Homo poteſt intelligere; ergo & volare: Petrus ſcit Mathematicam; ergo & Theologiam: Ioannis ſcit Theologiam; ergo, & Mathematicam: Petrus deditus eſt vitijs carnalibus; ergo etiam ſpiritualibus, quæ per ſe ſunt grauiora: Ioannes deditus eſt vitijs ſpiritualibus, ſuperbus, auarus, inuidus, detractor &c. ergo etiam carnalibus, Gulæ, & Luxuriæ. Quot celeberrimi Patres, ac ſacræ Scripturæ Interpretes ignorarunt quædam ad eam leuiter ſpectantia, ſcientiſſimi præclariorum mySteriorum? An non (vt prætereantur *S. Athan. S. Hieronym.* & alij qui quoſdam in Canonicorum numero librorum non admiſerunt, vel etiam ab eo excluſerunt, qui re uera Canonici erant) *S. Epiph. S. Greg. Niſs. Euth. Oecumen. Theophil* e Græcis, inter Latinos *S. Hilar. S. Ambroſ.* cenſuerunt *S. Ioſeph* alias duxiſſe vxores, antequam matrimonio B. V. iungeretur; & nihilominus hæc opinio communiter iam non admittitur a Theologis in 4. d. 30. cũ *S. Hier. Aug. Bern.* & alijs? An non *S. Hieron. Iſid. Beda, Hugo de S. Victore*, *vtraque Gloſa Ordin. ac Interlin.* ſenſeruat S. *Annam* Matrem B. V. tres ha-

buiſſe

buiſſe maritos, & cum primo S. *Ioachim* genuiſſe B. V. & tamen hæc opinio iam communiter reijcitur; quin etiam *tanquam inuerisimilis, & nulli innixa probabili fundamento*, reprobatur a *Suar.* tom. 2. in 3. p. q. 28. diſp. 5. ſect. 4. qui & priùs cenſuerat *ab omni ratione alienam* ſentētiam eiuſdem *S. Hieron.* (quem tamen Eccleſia *in exponendis ſacris Scripturis Doctorem Maximum* appellat) *Teophil.* ac *Sedulij*, quod B. V. fuerit illa Maria, quæ cum Magdalena Matth. 28. die Reſurrectionis diluculo ad monumentum venit. Veriſſimum vniuerſim eſt id, quod e *S. Chryſ.* Hom. 5. deſcripſit *Mald.* ad v. 30. c. 14. Matth. excuſante Petri timorem ob ventum validum, *humana conditio hæc eſt, vt difficilibus nonnunquam ſuperatis ſuccumbat in minoribus*. Et quidem par fuit, vt S. maiorem adhiberet diligentiam in aſſequenda rerum grauiorum, quam leuiorum ad T. C. Hiſtoriam pertinentium, notitia; Quod & de Pal. exiſtimandum. Summi ſolùm errores, & in quos S. lapſum fuiſſe (hi, nec pauci deſunt) nemo inficiari poterat, obſeruandi erant, ſimulque oſtendendum, S. in maximarum, ac præcipuarum rerum ad T. C. Hiſtoriam ſpectantium ignoratione verſatum fuiſſe. Multi quidem a Pal. obſeruati errores in S. aniles, & multæ animaduerſiones cenſentur pueriles; in quibuſdam verò Pedagogi (de quo etiam accuſatur S.) partes agere luculenter a non paucis putatur.

Ad Cap. VII. Introductionis.

37 DVM dilucidè aſſerit P. ab Eccleſia nullam damnari opinionem, quæ ſimul, & communi Doctorum opinioni, & teſtimonijs planè certis, vel ſacrorum Codicum, vel auctoritatis Eccleſiæ non aduerſetur, fideliumque in fide, ac moribus Chriſtianis cōſenſum inniti definitionibus Romanorum Pontificum, antiquiſſimis Traditionibus, Patrumque ſenſibus; enimuero apertè ſeipſum oppugnat in lib. Vind. vbi latiſſimè c. 28. contendit probare, *egregiè allucinari eos*, qui putant, *melius agi negotium Catholicæ veritatis, ſi tyrones* (idem ſentit, vt ſubſequentia planè demonſtrant, de omnibus contra Sectarios agentibus) *pro ea pugnaturi APTIS Conciliorum, & Patrum teſtimonijs, quam ſi Philoſophicis Rationibus inſtruantur; nullum enim telum pro vindicanda Diuinitate validius, quam Ratio &c.* Cur enim, quæſō, in hoc c. non dixit P. ab Eccleſia nullam damnari opinionem, quæ Philoſophicis rationibus non aduerſetur, ac ijſdem potiſſimùm inniti Catholicorum Fidem, ac mores? An non etiā vt Theologorum, vt ſic, ſententias, & auctoritatem non attenderent Theologi, qui in Tridentino Concilio quæſtiones diſcutiebant, antequam Patribus Decreta proponerentur in Congregationibus Generalibus examinanda, non ſemel cautum, & ſtatutum fuit a Legatis ipſiſmet Pontificijs, teſte eodem P. lib. 12. c. 1. n. 3 & c. 10. n. 18.? An non in Saluoconductu dato Proteſtantibus, tum ſub *Iul.* III. an. 1552. Iun. 25. in ſeſſ. 15. tum ſub *Pio* IV. an. 1562. Mart. 4. in Congregatione Generali poſt ſeſſ. 18. hoc ſignanter exprimi voluerunt Tridentini Patres, quod *Cauſæ Controuerſæ ſecundum Sacram Scripturam, & Apoſtolorum Traditiones, probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & Sanctorum Patrum auctoritates tractarentur &c.* Eſtne vlla hìc Philoſo-

phicarũ rationum mentio? Illa proculdubio ſunt validiora tela præ iſtis contra Sectarios. Illa ſi ritè tractaueris, victor proculdubio euades; ſi iſtas, victus ſæpenumero euadere poteris. Haud ſanè Pal. fuiſſet allucinatus, dum id ſcripſiſſet de inſtruendis illis, qui pugnaturi forent contra Infideles, ſeu Ethnicos, & Paganos, quique non admittunt noſtros ſacros Codices, noſtras Apoſtolicas Traditiones, noſtrorumque Conciliorum, & Patrum teſtimonia; ſic enim & contra eos egit *S.Th.* in Quatuor Libris verè ingenioſiſſimis contra Gentiles. At dum ſermo eſt de Sectarijs, adeo *egregiè* allucinatus eſt P. vt oſtenderit, ſe prima quoque Theologiæ rudimenta ignorare, ſicut etiam indicatum eſt *Not.*10. Neſciens, Quinam ſint proprij, germani, ac intrinſeci Theologiæ loci, & Quinam aſcriptitij, aduentitij, extrinſeci &c. iſtos diſcere poterat e libro quem *Aureum* appellat ter, vt *Not.*28. *Melch.Cani*, quem etiam doctiſſimum, ac eruditiſſimum nuncupat lib.12.c.10.n.21.& c.11.n.2. nec non e *Vaſq.* p.1.diſp.12. quod in c. quinque diſtribuit; ſolentque tradi breuiter in Proleg. Theol. ad 1.p.d.1. q.8. Bilis Pal. contra quemdam in eo c.28. qui non de *fœce*, ſed de medulla Theologorum quorumcumque, immo Theologiæ ipſius (ſecus enim haud Theologia ſupernaturalis, & Chriſtianorum propria; ſed naturalis erit, Gentilibuſque communis) hauſerat, Theologicas Concluſiones ſtabiliendas eſſe in primis e Diuino Verbo, ſeu ſcripto, ſeu tradito, e Patrum, Conciliorumque teſtimonijs, non verò e Philoſophicis rationibus, vel ſubtilitatibus (illius autem vſus eſt contra hæreticos præcipuus) adeo Pal. intellectum perturbauit, vt arma, quibus tandem ſolis expugnari poſſunt Sectarij, ac illi præſertim, qui R.P. e ſuo Primatu deturbare conantur, e Catholicorum manibus extorſerit ille, qui init.cap.6.præced. ait loquens de S. *Quanto egli è auuerſo al Vaticano, tanto la mia Religione, e la mia perſona è oſſequioſa al Vaticano*. Hoc eſt P. obſequium Vaticano, e Vaticano monte in imam vallem detrudere Romanum Pontificem? Veriſſimè pronunciauit *Quintil.* c.5.de *Altercatione*, *NVLLVS rationi magis obſtat affectus, & fert extra cauſam, & plerumque deformia conuicia facere, & mereri cogit, quam vitium iracundiæ*. O quam ſæpe iſtud hominem reddit obnoxium. & inſaniæ, & irriſioni! Et non irridendus Pall. qui pag. 230. ſe *Dementem* prorſus fore proclamat, niſi *Euincat fidem* enunciationis ſuæ de ſtabilienda in primis, vel etiam ſolummodo, Theologia e Philoſophicis rationibus; cum tamen argumenta, quæ deinde congerit, ac effuſa oratione explicat, ſint *Gomorrhæis* ſimillima *pomis*, de quibus *Solin.*c.36.& *Tertul.in Apol.*& quibus concinnè accommodari queunt illa eiuſdem Pal. cap.28. eod. in fin. *Nec item diffiteor a nonnullis vſurpari rationes neſcio quas, non tam quæſtionem expedientes, quam linguam impedientes, quas tibi in theatro obiectas difficulter enodes, animo tacitè recogitans, non tam nodum, quam nodi ſimulacrum deprehendas*. Argumenta eo cap. a Pal. prolata nodi erunt puſilli ingenij hominibus tantùm; Alij ex Elenchorum libris, ſeu Sophiſmatum locis nodi ſimulacrum deprehendent. At de his aliás latè.

38 An lachrymarum copia ſit amplior proferendà propter hæreſis progreſſum ante T.C, an poſtquam illud inchoatum ſub *Paulo III.* an. 1545. Dec. 13. & in ſeſſ.8. ann.1547. Mart.11. Bononiam translatum, denuoque reſumptum ſub *Iulio III.* an.1551. die 1. Maij, ac ſuſpenſum an. 1552. April.28. dubitari non immeritò poteſt: Siquidem in Bulla, qua *Pius IV.* ann. 1560 die 29. Dec. celebrationem T. C. indixit, poſt factam ſeſſionum ſub *Paulo* III. ac *Iulio* III. mentionem, hæc leguntur, *Quantopere verò interea auctæ fuerint, &*

multi-

multiplicatæ, & propagatæ hæreses, quantopere schisma creuerit, sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre. Vbi verò perfectum fuit, quam latè hæreses eædem auctæ, aliæque consimiles propagatæ fuerint in Gallia, Belgio &c. Historiæ significant. Quædam enimuero Prouinciæ semet apertè Romanæ obsequio Ecclesiæ subtraxerunt, eò quòd earum Principes ad obsequium T. C. Decretorum eas obligare voluerint. Hoc quidem, præter alia summum a T.C. collatum est in nos beneficium, quod & plura declarauerit obscura ex anterioribus Concilijs, & post illius confirmationem 26. Ian. 1564. a Romano Pontifice clariùs segregati fuerint Catholici ab hæreticis, seu a quarumcumque Sectarum hominibus condita de Fide Decreta non recipientibus; quæ haud sunt (sicut aduersariorum plerique dictitant) humanæ traditiones; sed vel sunt in antiquioribus Concilijs iam definita, iterumq. approbata, aut magis elucidata, vel etiam e definitis certò colliguntur, vel e Diuino habentur Verbo, aut scripto, aut tradito, e consensu Ecclesiæ, SS. Patrum auctoritate &c. Ea quoque Reformatio instituta circa Ecclesiasticos præcipuè, & in primis circa Episcopos, nec non circa Regulares, vt si illa seruetur integrè, ad eorum Reformationem nouum haud necesse sit indicere Concilium, licet propter alias indici posset causas &c.

39 Cum Pal. ex hæreticorum quoque testimonio afferat, post T. C. nullum inter eos floruisse sanctitate, seu moribus Christianis insignem; etsi hoc verissimum censeatur, ignorant tamen multi, an hæc omnino congruant iam impressis in lib. Vind. c. 16. pag. 95. vbi refellés sensum quemdam *Patris Ioannis Marianæ* e sua Soc circa Simplicia Soc. Scholasticorum Vota, & alia quædam in Forma Regiminis Soc. obijcienti sibi, *At Religiosæ vitę seruantissimus fuit Mariana*, seu *innocentissimè vixit in Societate*, vt init. pag. 94. sic respondet. *Fuit sanè. Sed non quicumque innocenter mores temperat suos, idem prudenter legem ponere valet alienis: Multùm quidem distant, quæ virum bonum, quæque bonum legislatorem efficiunt. Mitto quod ad integram, solidamque innocentiam non omnia sunt posita in cohibendis sensuum motibus, luxuque, ac delicijs arcendis, quod præstare Religioso priuato satis est ad famam probitatis. MVLTI enim vel hæreticorum, qui non Ignatianam, sed Christianam Religionem oppugnarunt, INSIGNITER sensuum cupidines domuere. Certè Mariana non in solam Societatem turbidus, atque irrequietus apparuit, sed ea scribere nō dubitauit aduersus Catholici Regis sancita, & placita, vt in eius librū de Monetis, tanquam seditiosum, publicæque tranquillitatis turbatorem animaduersum fuerit acriter a Philippo III. Hispaniarum Rege mitissimo, eodemque optimo*. An non *insigniter* sensum cupidines domuisse insigne probitatis argumentum est; Adeoque non hæreticorum multi insignis inde probitatis famam consequi potuerunt? Quid verò qua ratione consentit his, quæ solent a Sanctis Patribus, & alijs de causis hæresum agentibus, scribi? Nonne hæc vna est e præcipuis, sensuum cupidines non domuisse, sed laxasse fræna gulæ, luxuriæ, ac similibus sensuum propensionibus? Dissentit planè inter cæteros *S. Hieron.* in c. 3. Ier. dicens, *nulla hæresis, nisi propter Gulam, Veneremque construitur*; & in c. 7. Os. *Difficile* ait (ergo non *Multi*) *inueniri hæreticum, qui diligat castitatem*; quod exemplis ibi postea confirmat, pariterque in Epist. adu. Pelag. ad Ctesif. Ipse etiam Pal. hoc c. tradit, sensuum cupidines, ac auaritiam conscripsisse milites pro hæresibus. Hominem Lutheranum, aut Caluinistam perpetuam seruasse virginitatem, monstrum inauditum est hactenus, inquit *Mald.* ad v. 11. c. 19. Matth. At apud Pal. *multi* sunt

hære-

hæreticorum, qui sensus cupidines domuere, & *insigniter*. De hoc quidem Elogio in lib. Vind. e suis pluribus tributo gratiæ ab hæreticis agendæ summæ tam insigni viro, eòque maiores, quod Romanis prodierit typis. Hoc sanè an vllus e Catholicis in Catholica Ciuitate, nostro, & superiori sæculo impresserit, eruditi decernant. Quod ex hereticis aliqui sint moralibus nonnullis virtutibus prædıti, ac etiam quandoque magis, quam multi e Catholicis, asseri veridicè potest; Hæc verò vniuersalis propositio, *MVLTI hæreticorum INSIGNITER sensuum cupidines domuerunt*, non videtur admittenda, sed potiùs reijcienda. Animaduertendum TAMEN compulsum fuisse Pal. in hanc præclaram hæreticorum laudem, vt *P. Marianam* præclarè vituperaret; satis enim refellebatur obiectio in primis lineis, *Sed non quicumque &c.* Genium enim Pal. satyricum, ac maledicum apertissimè patet ex hisce contra *Marianam*, quem *Veritatis amatorem, & Pietatis optimum cultorem, dignum professorem Soc. Iesu* nuncupat *Card. Baron.* ad an. 988. quem & iterum laudat ad an. 775. Cuius egregias virtutes, ac merita in Christianam, & Litterariam Rempublicam *P. Alegambe* in Catal. Script. S.I. Verb. *Ioannes Mariana* fusè describit; Cuius vitam, ac res gestas scripsit quoque *Thomas Thomasius de Vargas Historiographus Regius*. Turbidum, & irrequietum vocat *Marianam* propter Librum de Monetis? Cur non legit (& nihilominus lib. Vind. est impressus septem annis post impressionem Catalogi Script. S. I.) quod veridicè profectò edidit *P. Aleg.* vbi supra, *In Tractatu de Monetæ mutatione, cum acrius corruptelam sui temporis perstrinxisset, grauem in se concitauit procellam; & tractatus ipse, postulante Catholici Regis Oratore a Summo Pontifice Paulo V. tantisper suspensus fuit, donec INVIDIA, & cum ea tempestas cōquieuit, docueruntque posteriora tempora, VERI, RECTIQVE amantem fuisse Marianam*. Gloriæ quidem illius inuidit Pal. licet iam mortui. Ab eodem quoque discere poterat excusationem de multis, quæ leguntur in *Marianæ* libello *de Erroribus, qui in forma gubernationis S.I. occurrunt* impresso primùm Burdigalæ an. 1625. vtpote additis a quibusdam (sic ille sentit) animo alienis a Soc. Hoc est stare promissis c.2. p.6. de *nemine carpendo, ne dissimulanter quidem, nullius laudem eleuando, de non nisi inuitissimè, ac balbutienter, vbi per necessarium fuerit, eorum labes indicando &c.* vt supra *Not.* 34.? Ex hoc & alijs, quæ leguntur, tam in hoc Vind. lib. quam in duobus Hist. Volum. illud apud nonnullos commune effatum. Vbi semel P. odium in aliquem concepit, nullum non mouet lapidem, vt illius vitia palam fiant, etiam cum amplificatione, ac interdum additione; virtutes, vel omittantur omnes, vel minuantur, vel etiam irrideantur, vel longè minores vitijs, quæ postea subiungit (vbi sagaciter quasdam ex ijs, vt hostilis animus incautis lateat, protulit) lectoribus ostēdantur, vel etiam similes proponat in hæreticis. Si hic mos fuit P. tum in lib. Vind. contra Catholicos quosdam viros moribus innocentes &c. tum in Historiæ Volum. contra quosdam e Summis Pontificibus morum integritate valde conspicuos, vt *Adrian. VI.* & *Paul. IV.* idem multò magis non retinendus ab eo fuit in ijsdem Hist. Volum. agente contra S. quem existimauit fuisse Atheistam, Diuini Iuris contemptorem, maledicentissimum, mendacissimum, petulantissimum (& quod valde ponderandum) suæ Societati infensissimum semper &c.

40 Quamuis dubitandum non sit, quin Catholici, & ingeniosiores, & in scientijs illustriores sint, quam hæretici; Multi tamen inter hos quoque numerari queunt ingenio prædıti acerrimo, & qui scientias mirificè illustrauerint,

uerint, ac illustrent, & non solùm lectione, ac eruditione illustres. Si horum libros P. legisset de Philosophicis, Medicis, ac Mathematicis agentes, sincerumque de illis iudicium ferre voluisset non tam submissè de illis sentiret: Quin etiam e nostris non pauci, nec pauca ex illis desumunt suis inserenda libris, non explicantes tamen, a quibus ea acceperint; vel quia cum illi persæpe sint vetiti, quia continent quædam ad Catholicam fidem attinentia, vel in Romana Ecclesia haud probata &c. nolunt indicare se illos legisse; vel quia cum habeant facultatem amplissimam ei similem, qua fruuntur Patres S.I. e Bulla *Greg.* XIII. an. 1578. Ian.8. hæreticos legendi libros, aliosque prohibitos, vt sibi gloriam aucupentur, prætermisso auctore hæretico, possunt semet auctores ingeniosi talis effati, ac inuenti venditare alijs communiter Catholicis, qui eiusmodi libros non legunt. Politici profectò, & Ambitiosi quidam homines parũ laborare queunt, quod paucissimi dumtaxat e Catholicis hæc furta habeant perspecta, dummodo apud plerosque, ac ferè omnes alios, quibus eadem latent, sibi reportent honorem, plausum, lucra &c. Quid non humana excogitat Politia, supernaturalibus non innixa principijs! Legum quoque Ciuilium peritiam non vulgarem apud hæreticos est recognoscere. Non sunt oppidò inter sapientes I.C. recensendi, qui quasi Psittacorum more plurimas solùm leges memoriter norunt, atque repetunt coram alijs sæpissime, vel earum rationem, quæ in plerisque saltem est, naturalem ignorant, neque callent moralis Philosophiæ principia, e quibus leges deductæ sunt, ac in primis Stoicæ, cui ante cæteras Philosophorum sectas fuerunt addicti ex antiquioribus I.C. primarij, quorum responsa approbarunt Imperatores in ff. & quorum consilio vtebantur præcipuè in condendis legibus; de qua re *Marc. Aurel. Galu.* eruditè c.6. Differt. de Vsufructu. At horum cognitionem præferunt ex hæreticis multi; in quorum tamen libris cauendum ab ijs, quæ Catholicæ aduersarentur Religioni. Apud I. C. sanè fas est plurima reperire ingeniosiora, quam apud quosdam etiam Theologiæ Scriptores, & hoc sæculo multos, qui ex alijs farciunt Volumina, & ingentia quandoque &c. Sophismatum aduersus Catholicæ Religionis dogmata, quorum fallacia omnium a nostris Controuersistis interdum nõ ita facilè detegitur, parens est hæreticorum ingenium; quo vtinam non contra Deum, eiusque Ecclesiam abuterentur; de hoc talento pessimè impenso seueram Deo reddituri rationem.

Ad Cap. VIII. Introductionis.

41 DEformitas in Ecclesiasticis, seu vita Ecclesiasticorum deformis, non fuit sanè vera hæresum causa, quæ superiori sæculo ortæ sunt in Germania, & inde in alias quoque dimanarunt Prouincias, ac latissimè quidem. Non tamen simpliciter & penitus negandum est, eam principium hæresibus istis dedisse. Sic apertè Cardinales tres Legati in *Admonitione, atque Hortatione* ad Patres T.C. an.1545. Dec.13. (cuius nec breuem summam attulit Pal. imò nec illius meminit lib.5. c.17. dum apertionis Concilij mentionem facit, cui interfuisse ait 20. Episcopos, cum tamen alij numerent 22.) tradiderunt: Etenim post illa, *Hic ergo videa-*

videamus, & consideremus, cum tam multis annis Ecclesia his calamitatibus vexetur, vndenam ipsæ originem habuerunt; num illis nos quodammodo principium, num fomentum dederimus, subdunt; *Primùm verò examinemus initium hæresum, quæ hac nostra ætate passim pullularunt; quibus si negare volumus nos principium dedisse, quia nullius hæreseos ipsi auctores fuimus; tamen cum peruersæ de Fide sententiæ, tanquam vepres quædam sint, & spinæ, quæ in agro Domini, qui nobis colendus commendatus est, ortæ sunt, & si illæ quidem sua sponte, vt solent aliquando vitiosæ herbæ, pullularunt; tamen qui non coluit, quem debuit, agrum, qui non seminauit, qui pullulantes per se non statim curam adhibuit, vt extirparet, non minùs quidem principium illi dedisse dicendus est, quam si ipsas seminauerit, præsertim cum hęc omnia a negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hic ergo seipsos excutiant, qui sunt agricolę in agro Domini, conscientiam suam interrogent, quo modo in eo colendo, quo modo in seminando se gesserint. Quod qui fecerint his pręsertim temporibus, quibus paucissimi agro Domini colendo incumbunt, non multò (credimus) dubitandum, num ad ipsos pullulantium passim in Ecclesia hæresum culpa pertineat. Hęc certè monendi tantùm causa dicta, satis sint de his, quæ ad primum caput pertinent. Veniamus ad secundum, quod lapsam morum disciplinam, & abusus (vt vocant) complectitur. Hic verò nihil attinet diu inuestigare, qui nam tantorum vulnerum auctores fuerint, cum præter nos ipsos ne nominare quidem vllum alium auctorem possimus*. Et deinde nonnulla ab Hæreticis, Turcisque illata Ecclesiæ damna commorantes, inquiunt, *Nullum non lecturum statim in libro Abusuum Pastorum, Nostram ambitionem, Nostram auaritiam, Nostras cupiditates his omnibus malis populum Dei priùs affecisse, atque harum vi ab Ecclesijs Pastores fugari, easque pabulo Verbi Dei priuari, hinc Ecclesiarum, quæ sunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis Sacerdotia conferri, & illis, qui nihil a Laicis, præterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari: Quid enim horum est, quod negare possumus per hos annos a nobis factum esse &c.* Ista, aliaque leguntur in hac *Admonitione* (cuius auctor dicitur fuisse *Cardinalis Reginaldus Polus* vnus e tribus Legatis, qui etiam priùs scripsit librum *de Concilio*, illumque dicauit suis Collegis *Cardinal. Io. Mariæ de Monte*, ac *Marcello Ceruino*, Romæ impresso an. 1562.) sicut & illa in Exhortat. Orat. Præsidum sub *Iul. III.* eiusdem Concilij *Marcelli Cardinalis Crescentij, Sebastiani Pighini Archiep. Sipont. & Aloysij Lippomani Episc. Veron.* nomine recitata, *Corrigenda, & reformanda est Ecclesiastica disciplina, quæ iamdiu deprauata, a qua corrupta, harũ ipsarum hæresum magna ex parte causa, & origo extitit.* Ambæ hæ admonitiones, seu exhortationes leguntur in Tomo quinto Conciliorum Venetijs impressorum apud Dominicum Nicolinum ann. 1585. ac dicatorum *Sixto V.* & prima quidem sub *Paulo* III. sess. 1. Decembris 13. vt iam dictum, & secunda pariter in sess. 1. sub *Iulio* III. 1. Maij 1551. cum T.C. resumptum fuit: Vtraque autem hæresum initium magna e parte Episcoporum præsertim negligentiæ, morumque corruptelas prauis Ecclesiasticorum cupiditatibus ascribit. Errauitne S. Legatorum Pontificiorum sensui, ac dictis adhærens, & non potiùs Pal. dum Ecclesiasticorum deformitatem solummodo fuisse prætextum ad serendas hæreses tradit? Vera causa physica Episcopi quidem non fuerunt hæresum Lutheranarum &c. Atqui illorum regimen occasio, & Causa Moralis ex hisce dilucidis Romanæ Sedis Legatorum verbis fuerunt. Sic etiam *Laurentius Cardinalis Campegius* Sedis Apostolicæ Legatus de Latere ad Germaniam &c.

init.

init. *Constitutionum Ratisponensium* (quas exhibet idem Tomus quintus) an. 1524. e sententia quoque præcipuorum Germaniæ Episcoporum, ac Principum Catholicorum, qui ibi recensentur, inquit, *Paribus sententijs receptum fuit, hanc perditissimam hæresim rudi populo plausibilem ob libertatem illi falsò persuasam prætextu Euangelicæ caritatis, non paruam habuisse occasionem, partim a perditis moribus, & vita Clericorum, partim ob non diutius dissimulandum sacrarum Sanctionum, Ecclesiasticarumque Constitutionum abusum; ac proinde non parum momenti fore extirpandæ Hæreticorum Lutheranorum, & eorum sequacium Sectæ, vt Clerici ad honestatem vitæ, moresque suos illos, quos Diuus Paulus exigit, & præscribit, debita censura reducti, abususque Laicos malè offendentes, sublati fuerint &c.* Sic S. sentit, ac loquitur.

42 Eruditè, & ingenuè *Alph. Castr.* lib. 1. adu Hær. c. 11. diuidens hæresum causas in *Intrinsecas*, & *Extrinsecas*, illas ibi esse docet e SS. Patribus *immodicum sui amorem, & inde gloriæ cupiditatem, Auaritiam, Carnisque illecebras;* quibus addit *lectionem librorum, qui a prophanis hominibus scripti sunt, assiduum,* nec non *zelum, sed non secundum iustitiam, & discretionem;* quas tamen ambas *indifferentes* appellat; has vero, hoc est extrinsecas, præbentes scilicet tantummodo causam, & occasionem hæreses suscitandi c. 12. inquit esse 1. *Prælatorum negligentiam, qui adeò sunt socordes, & ignaui, vt gregi sibi commisso nequaquam intendant, sed alijs rebus, quæ ab eorum officio longissimè absunt.* 2. *defectus prædicationis Verbi Dei.* 3. *Sacrarum litterarum in linguam vulgarem translationem*: E qua Lutherum enixè sibi populorum animos conciliasse docet. Rursus *lib. 3. de Iust. Hæret. punit. c. 1.* in primis inquit, certissimam, & indubitatam, atque præcipuam inter *Intrinsecas* causam esse *proprium hominis peccatum*; & vbi ostendit, *errorem intellectus ex peccato, & ex malitia voluntatis oriri*, subdit *inde fieri*, vt quemadmodum varia sunt in hominibus vitia, & peccata, ita etiam variæ sint in eisdem radices, variaque semina, ex quibus variæ etiam possunt hæreses oriri; vnde aliquando illæ oriuntur *e superbia, & ambitione*, aliquando *ab auaritia*, aliquando *a carnis illecebris*; Ac postea loquens de *Extrinsecis*, seu *Externis*, alijs scilicet occasionem hæresis præbentibus, prolixè de illis agit per cap. octo, Et c. quidem 2. ait esse 1. *defectum prædicationis Verbi Dei.* 3. esse 2. *indifferentem prædicationem Verbi Dei per quoscumque sine vllo discrimine, & sine vlla examinatione.* 4. esse 3. quam potissimam c. 3. dicit, *negligentiam Episcoporum, & aliorum Ecclesiæ Pastorum.* 5. esse 4. *Multorum Episcoporum, & aliorum Sacerdotum indignitatem.* 6. esse 5. *Sacræ Scripturæ in vulgarem linguam translationem*; contra quod assertum obiecta c. 7. soluit c. 8. Esse 6. *assiduam, & incautam in libris Gentilium hominum lectionem*, contra quam remedium c. 9. proponit. Et has omnes fermè causas interuenisse significat in serendis, & propagandis Lutheri heresibus. *Ambrosius* pariter *Catharinus* Episcopus Minorensis, qui iam interfuerat cum *Castr.* T. C. sub *Paulo* III. in opere impresso an. 1548. postquam suspensum fuit Tridenti Conciliū, ac Bononiam translatum, *De Consid. & Iud. præs. temp. a superseminat. zizan. in agro Domini lib. 4.* tradit 1. fuisse culpā non solùm Lutheri, & aliorum, qui seruerunt nocētia semina, verùm etiam illorum, qui cum id curare, ac prohibere ex officio poterant, ac debebant, somno potiùs indulserunt. 2. Magnam scandalorum causam in Ecclesia Monachos, ac Regulares fuisse, magna ex parte factos sal insulsum, quo iam non posset condiri terra, proximum conculcationi &c. 3. Concionatores, cum de suggesto non vtilia plebibus, neque congruentia

quæue ad salutem facerent, proponerent, sed curiosa potiùs, & quæ nonnunquam subuersionem potiùs, quàm edificationem præstabant. 4. Denique & hanc maximam omnium causam nuncupat, *Quoniam Pastores desunt officio suo, quia facti sunt pene omnes, vel mercenarij, vel lupi*; ac superiùs, *Quæ superuenerunt Ecclesiæ scandala, & superſata in agro Domini, & quæ nunc adeo superseruntur, zizania, satis superque attestantur, quod dormiuimus* (dicauit hic Episcopus librum istum vniuersis Christiani gregis Episcopis, & Catholicis eorum Ecclesijs) *& adhuc tot, & tantis rumoribus excitatis non excutimus somnum. Hem per hunc ipsum soporem commutatæ sunt res, vt ea, quæ sunt, in ea, quæ non sunt, transferantur. Dixit Apostolus* 1. Thimot. 3. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; oportet enim Episcopum esse irreprehensibilem, sobrium, iustum, prudentem, doctorem, *& quæ sequũtur: Nunc verò Episcopatus non iam opus bonum censetur, illa scilicet superintendentia, & cura gregis; perdidimus enim cum reipsa etiam vocis significationem*. Episcopatus appellatione solummodo honor, ac temporalium bonorum prouentus venit, & qui Episcopatum desiderat, hoc nunc tantùm se desiderare ostentat; nam cum de eo tractatur, id primùm, imò id solùm nunc inquiri solet, quantum habeat de apportatis (ita enim Curiali verbo loquuntur) vt hinc ex reditibus, vel paucis, vel multis, censeatur Episcopatus bonus, vel malus: *Ita tandem, vt Episcopatus sint ipsa prædia rustica, vel vrbana, & decimæ, siue census: Et cum quæruntur reditus, qui apportentur, hinc satis constat, Pastorem longe manere ab ipso grege, & ita de grege ipso curando nec vllam prorsus haberi rationem &c.* Ista *Cath.* multoties, & summè a P. commendatus. Præsules illi quoque nouem, qui *Paulo* III. vt non semel iam indicatum, Consilium præbuerunt de Reformat. Eccl. quod legitur impressum typis Colonieusibus tom 2. Concil. ann. 1551. nec non Salmanticensibus eod. an. in Sum. Concil. & cuius mentionem facit *Claud. Espenc.* in cap. 1. Epist. ad Titum, ac D. *Roman. Hay* in Aulæis Aulæ Ecclesiasticæ, ann. 1648. editæ, & cuius Consilij plura affert capita Pal. lib. 4. cap. 5. a n. 3. vbi retulerunt, PRODIISSE quosdam Doctores, qui dicerent, Pontificem esse DOMINVM BENEFICIORVM omnium, ac ideo cum Dominus iure vendat id, quod suum est, necessariò sequi *in Pontificem non posse cadere simoniam*, subiunxerunt. *Ex hoc fonte, Sanctissime Pater, tamquam ex equo Troiano, erupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam grauissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles vsque (credat S. V. scientibus) quia ob hanc præcipuè causam Christianam Religionem derident, adeo vt per nos, per nos (inquimus) nomen Christi inter Gentes blasphemetur.* His, quæ tribuenda assentatoribus in primis Doctoribus (adulatio enim verum adulterat, vt ait etiam *Cicer.* de Amicit.) addi possunt opportunè, quæ ann. 1542. in libris nouem de Instauranda Religione dicatis *Carolo V.* vulgauit *Hermas Letmatius* inter Catholicos Germanos valde pius, ac doctus, cuius meminit inter alios *Sim.* de Cathol. Instit. t. 12. de Concilijs in fin. n. 18. & in fin. tit. 24. de Ecclesia. Qui sic c. 15. lib. 2. orditur, *Trium verò rerum præpostero studio factum arbitror, quod Religionem Christianam ex tanta amplitudine (vt olim per totum fere orbem sua brachia extendebat) videamus hodie in tam actus sinus contractam. PRIMVM quidem, quod prepostera facilitate sæpe desertores diutius, ac dissimulantius tolerati sunt, fuco interim suo passim imponentes simplicicorum sinceræ Religioni. MVLTO verò MAGIS, quod quem publica auctoritas declara-*

clarauerat planè fugienda, subditi præpostera eum humanitate prosequẽtes, dum non vitant, eorum pedicis illaqueati sunt. Aut DENIQVE, *quod e contrario præclaro ingenio homines quorumdam præpostera Religio odiosiùs vexauerit; quòd affirmassent aliquid, quod scrupulosis fortè videbatur ad Religionem pertinere, alijs contra non videbatur satis esse compertum, pertineretne ad Religionem, nec ne, aut, si compertum erat, rationibus tamen, vt fit, in vtramque quæstionis partem occurrentibus, animo illud vacillanti tantummodo, non autem animo obdurato affirmarunt. Vnde sæpe euenit, vt quod sponte sua non essent facturi, ea occasione desertores, hostesque facti, contraria Religioni dogmata pro eximij ingenij acumine tanta verisimilitudine excogitauerint, vt Religionis Antistitibus difficile fuerit, seductis subditis dogmatum falsitatem fuco denudatam demonstrare*. Hæc Lemat. Et duo quidem prima acciderunt in Luthero, vt indicat etiam P. Historia; & tertium accidisse ex illius sensu c.6. & c.17.n.4. colligitur, nisi quædam obstent de Lutheri scientia num.2. c.4. eiusdem lib. 1. Et ad hunc sensum interpretari licet illa S.*Greg.* lib. 9. Regist. c.39. *quod multi sunt fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & sæpe, dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt*. Non est sanè spiritualibus, ac temporalibus etiam Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ commodis opportunum, homines valde doctos a se alienare, præsertim minùs æquè, & in aliorum potissimè gratiam, licet pariter doctorum, qui possunt odio, vel inuidia, vel alia animi praua affectione, non esse in illos æqui; ait siquidem *Mald.* ad v. 48. c.7. in Ioan. *Nulla res plures homines, hac ætate in hæresim impulit, quam quod cum nonnulli doctrina, ac ingenio præstantes, hæretici sua superbia, non suo ingenio, non sua doctrina facti essent; creditum vulgo, & hæreticos omnes ingeniosos, & doctos esse: opinioque ea apud multos inualuit, qui hæreticus non esset, eum ingeniosum, doctumque esse non posse &c.* Ista quidem allata e *Castr. Cath. Letm.* & LEGATIS ipsismet Pontificijs referri poterant, vtpote cum Lutheri causa verè connexa, ac reposita, non in manuscriptis, sed in libris apud Catholicos impressis, & a viris inter Catholicos scientia, ac pietate illustribus; simul tamen admonendo, quòd impiè omnino, ac scelestissimè Lutherus, eiusque Sectatores ab Ecclesiæ vnitate semet segregauerint, grauissimum excitantes schisma, nefandasque hæreses iam olim sepultas ad vitam reuocantes, nouasque procreantes. Sic egit idem *Castr* lib 1. adu. hæres. cap. 12. in fin. recensitis hæresum extrinsecis causis, indiscretum, si hic fuit primò, Lutheri zelum coarguens, similis *Nouato*, de quo *Hist. Tripart.* lib. .c 9. atque *Ioan. Hus*, de quo *Aen. Silu.* postea *Pius* II. in lib. de Orig. Boem. Equidem in Ecclesię Romanæ semper permanserunt communione, & *S. Paulinus, & S. Hieronymus, & B. Petrus Damiani*, licet hi duo e Romana Vrbe recesserint, vitia detestati, quibus illa tunc inficiebatur, vt prudenter animaduertit *Coqu.* tom. 1. contr. Morn in fin. Antid. cont. Prog. 41 pag. 525. obserua is priùs, quamuis *S. Hier.* Epist. 17. ad Marc. Romam vocet Babylonem, veneratum tamen fuisse Romanam Ecclesiam, quam *Sanctam* nuncupat &c. Damnandusque est *Tertul.* quod lacessitus inuidia, & contumelijs Clericorum R. E. vt idem *S. Hier.* tradit de Script. Eccl. ad Montani dogma delapsus fuerit. Integrum cap. 29. tom. 1. Confes. Christ. Cath. Fid. conscripsit *Card. Osius*, qui Legatus R. P. fuit in T. C. sub *Pio* IV. cui titulus, *Quod fides Ecclesiæ pro terrea non sit deserenda, quod illi præsident quandoque, qui vitæ non sunt omnino inculpatæ*. Cum huiusmodi cautela valde vtilis esse poterat huiusmodi causarum narratio, quæ occasionem Lutheranis, alijsque hæresibus præbuerunt, ad si-

milium hæresum causas in posterum remouendas, quæ quamuis extrinsecæ, si non adfuissent, illico recisæ fuissent hæreses Lutheranæ ab intrinsecis tantùm ortæ, vel forsan non ortæ. Hæc profectò magis, & consentanea Historiæ T.C. instituto, & magis Ecclesiæ commodis opportuna, quàm aliarum rerum complurium narratio ab hac Historia remotissimarum, atque non raro animabus noxiarum, tum Catholicorum, tum Hæreticorum.

42 Haud penitus a veritate discedit, quod scribit S. Mundum recentem vitijs deteriorem esse, quàm antiquum, sed potiùs ab ea recedit P. inquiens, id esse Comœdorum prouerbium, atque Vulgi querelam. Et absolutè quidem hoc P. assertum repugnat, tum *Pelagio Papæ* (electus hic fuit Pontifex ann. 556. April. 3.) dicenti *c. Fraternitatis* d. 43. *Quia defectus nostri temporis, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur manere censuram*; tum *Innoc.* c. 10. de hæret. cuius init. *Vergentis in senium sæculi corruptelam* &c. Mutati sanè, & aboliti etiam antiquiores plurimi Canones (quorum etiam quidam vulgaribus noti sunt hominibus) propter rigorem, quem fidelium animi posteriorum visi sunt haud posse absque salutis dispendio ferre. Cur, quæso, inter cætera, antiquus Canonũ Pœnitentialium vsus iam a multis insuetus sæculis, sub *Adriano* VI. cum de hoc ageretur, sicuti nec in T.C. reuocatus? Nostrorum infirmitatem temporum in operibus pijs pæna peccatis debita eluenda, causam fuisse indicat ipsemet lib. 2. c. 4. init. c. 6. ac lib. 24. c. 12. n. 6. Nonne eorum loco Indulgentiæ a Summis Pontificibus amplissimæ hoc, & superiori sæculo præsertim, subrogatæ? Quid indicant, quæso, iuxta *Azor.* instit. mor. lib. 5. c. 5. in fin. tot leges multiplicatæ a posterioribus Pontificibus, quæ & in dies multiplicantur, ita vt Pontificiæ Bullæ hisce duobus sæculis conditæ amplissima duo Volumina conficiant, cum tamen vix vnum conficiant paruum Bullæ quatuordecim sæculis conditæ? An non tot Reformationis Decreta a T. C. Patribus promulgata summam in Ecclesia iam morum deformitatem indicant, vt in fin. *Not.* 16. significatum? Verùm his, similibusque omissis (de quibus aliàs, si opus fuerit) quia videtur redargui S. quod post T. C. significauerit, idem euenisse; quamuis non nisi a mente capto negari possit, quin in plurimis Tridentinæ leges Ecclesiam reformauerint, nec adeo manifesta conspiciantur in Ecclesiasticis, ac potissimè in animarum Pastoribus, vitia nominatim Carnalia, sicuti ante T. & fatendum proculdubio sit, complura ad pietatem fouendam, & amplificandam inducta: Vt omittatur, aliquot & non exigui ponderis T. C. decreta non seruari, vt de lectione sacræ Scripturæ, cuius loco alia, præcipuè apud Regulares, reposita, de admittendis ad sacros in primis Ordines, Ecclesiasticasque dignitates, de munere suo explendo a constitutis in Minoribus, de Concilijs Prouincialibus, ac Diœcesanis, de Dispensationibus &c. Obseruant aliqui post T.C. defectum ingentem 1. venerationis Ecclesiarum, in qua Catholicis pluribus præstant, ne dum Græci Schismatici, verùm & Hæbrei, ac Turcæ ipsimet; quare non mirandum si Christus inde irritatus permittat potiùs in Templis iam Christianorum loco sui adorari Mahometem, ac honorem potiùs Diabolo propagari in hæreticorum Fanis. 2. Humilitatis Christianæ; nam plurimi mercantur etiam titulos, vt alijs sint pares, vel superiores, vel eos supra conditionem suam exigunt; quærunt nonnulla obseruantiæ, ac venerationis signa sibi exhiberi olim insueta, vel non debita; quæ nisi exhibeantur, acriter etiam indignantur, nec non indignationis argumenta præbent; non humaniter alios alloquuntur, immo quandoque

etiam

etiam despiciunt, cum tamen ij præstent ipsis, vel genere, vel sapientia &c. in cunctis motibus corporis fastum quemdam præseferunt cæteris odiosum; præferunt se alijs, vel in nobilitate, vel in doctrina, vel in pietate, aut etiam in his omnibus; quod etiam magis detestabile, si sentiant, esse potiùs humilitatis speciem, Communitatem suam cæteris omnibus anteferre, ac reipsa præferant; nihil non sibi deberi arbitrantur; supra alios honores, prærogatiuas, priuilegia &c. sibi acquirere satagunt; fere toti sunt in suis, vel suæ Communitatis laudibus extollendis, ac interdum falsis; prædicant, aliqua a se præclarè gesta, quandoque mentientes, vel exaggerantes; mendaciter etiam vltro dictitantes, semet esse ex tali genere, talem dignitatem sibi oblatam &c. humanam dumtaxat gloriam in actionibus cæteroque pijs, vt in ædificandis Ecclesijs, donanda suppellectile sacra &c. propositam habent, nedum in ijs, quæ circa proximorum salutem agunt; & horum animus id intendens sæpe patet. 3. Dierum festorum obseruationis; nam cum illi sint indicti præsertim ad Dei cultum, plerique dæmonem potiùs colunt, indulgentes Veneri, Gulæ, ac Ludis; quamobrem multi e prudentibus, ac pijs Catholicis arbitrantur, moderationem adhuc ampliorem illis adhibendam, addentes etiam ab vtraq. potestate imperandum, vt diebus non festis ex precepto officinæ omnino non sint clausæ, præcedente tamen hortatione, vt diluculo ad Missæ sacrificium accedatur; ac præterea subiungunt, Non retrahendos complures ab operibus, præcipuè non seruilibus, & in quibus maior est fatigatio animi, quam corporis, quæ exercent, & adhuc multò magis, si probabilis adsit sententia illa concedēs esse quibuslibet diebus festis licita. 4. Simplicitatis Christianæ a Christo commendatæ Matth. 10. v. 16. non solùm in vestitu, & victu, in quibus negari non potest quin modo ingens sit excessus, ac in dies amplificetur cum non leui animarum, ac rei familiaris detrimento; verùm in verbis, & factis, itaut vix vnus alteri fidem habere possit; quod a non paucis ascribitur sententiæ hoc sæculo propagatæ de *Restrictione Mentali* (de qua *Not.* 34) causisque ea vtendi, addito quoque iuramento de ea non adhibenda iuxta *Sanchez* eodem lib. 3. cap. 6. in fin. E quo fit vt perrarò vllus possit esse tutus de vllius promissione &c. aut certò credere possit, eum, qui nonnulla scribit, aut edit, ita interiùs sentire. Sanè apud aliquos inducta hinc fuit opinio, quod liceret publicum, & religiosum exhibere cultum idolo, eidem offerre incensum, flores &c. illi sacrificantibus ministrare, dummodo Crucem, vel in manu gestaret, vel inter flores, aut supra pectus repositam quis haberet; quæ tamen damnata fuit, & meritissimò, a *Sac. Congr. de Prop. Fide* an. 1646. Iul. 9. inter Quæsita Missionariorum Chinæ, seu Sinarum, n. 7. 8. & 9. sicut legitur apud *Hurt.* de ver. Mart. Fid. pag. 696. Quam pauci sunt similes S. IGNATIO, de quo *Maff.* in eius Vita lib. 3. c. 10. sic habet, *Suspensa, vel ambigua, vel obscura verba, perplexum de industria, incertumque sermonem, vti barbaras artes, & subdola mendacij tegumenta, fideiq; e, ac societatis humanæ perniciem, semper est detestatus, ac suo monstrauit exemplo Veritatis cultor eximius, quantum inter prudentiam, & calliditatem intersit.* Nihil præclarius, doctius vnà, & neruosius ad hanc rem. Hinc in illius Canonizationis Bulla sub *Vrb. VIII.* ann. 1623. Aug. 6. inter illius virtutes commendatur, *Pura veritas, quæ ex eius ore sine vlla fallacia, fuco, fictione, aut obscuritate procedebat.* Infelix hoc sæculum, quod illa sententia tot, & quosdam præcipuè, sortita sit assertores. Similiter quot simulationes in vultu, gestu, alijsque motibus corporis, itaut sæpissime, qui nonnullis arrident præsentibus, absentes postea irrideant &c. Calliditas, & Fal-

& Fallacia Simplicitatis loco ſubrogata, ſicuti Sinceritatis Adulatio, ita vt complures inſtar Gnathonis illius apud *Terent.* allati a *Cic.* de Amic. in omnibus planè ad quorumdam, maximè Magnatum, voluntatem, ſeu voluptatem loquantur, & agant; quin etiam omnium eorum geſta, etiam minus recta, commendent, & quandoque etiam illis ſuggerant, ab omni quoque ea peccati labe purgare contendentes. Ex hoc vitio cenſentur a nonnullis profluxiſſe opiniones non paucæ, quibuſdam enimuero gratiſſimę: Cui vitio pręſertim dediti eſſe queunt, qui in Oratoriam Artem incumbunt, qui Principum Aulas frequentant, qui a Magnatibus, ac diuitibus beneficia ſe conſecuturos ſperant. Huic affine eſt Hypocriſis vitium; ſicut enim ſub ſpecie pietatis hæreſes fermè omnes in Eccleſiam inductæ, ita quoque prauæ multorum cupiditates obteguntur. Præclarè hos *S. Bern.* init. ſer. 66. in Cant. nuncupat *habitu oues, aſtu vulpes, QVI boni videri non eſſe, mali non videri, ſed eſſe volunt, Mali ſunt, & boni videri volunt, vt ſoli ſint mali, mali videri timent, ne parum ſint mali: Etenim minus ſemper malitia palam nocuit, nec vnquam bonus, niſi boni ſimulatione deceptus eſt. Ita ergo in malum bonorum boni apparere ſtudent, mali nolunt, vt plus liceat malignari: neque enim apud eos eſt virtutes colere, ſed vitia colorare quodam quaſi virtutum minio. Denique ſuperſtitionis impietatem nomine Religionis intitulant.* Hoc equidem vitium adeo execrabile viſum eſt *Cic.* quamuis Ethnico, vt illa lib. 1. Offic. ſcripta reliquerit poſteris omnibus, *Totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, vt boni viri eſſe videantur*: quę verba affert *Gloſ.* ipſamet ad Clem. de Hæret. *Ad noſtrum* verb. *Sanctitatis*, quæ & prius ad idem *verb.* Clem. 1. de Relig. Dom. attulerat e *S. Gregor.* illud, *ſimulata æquitas duplex eſt iniquitas*. Ratio eſt: *Quia malum facit, & bono abutitur*. Hæc eadem verba repetit e S.I. *P. Henricus Vuanguer.* in dedicatoria ad Card. Bentiuolum *Vindic. Polit.* Dilingæ impreſſarum an. 1636. addens, *& ſeu patrocinium, ſeu ſuffragium apud illos dolo malo ſibi comparant, quibus ſi intus, & in cute noti eſſent, nigrum theta procul dubio referrent*: Subiungit in Præfat. *Nouum non eſt, homines improbos virtutis ſpecie, vel eruditionis fama, ac fallaci ſæpe præiudicio patrocinium, & commendationem ſibi comparare*. 5. Prudentiæ Chriſtianæ, quæ dictat, nunquam æternam ſalutem poſthabendam commodis quibuslibet temporalibus; cuius loco dicitur a non paucis ſubſtituta Politica quædam falſa, ac Ethnica dictans, dummodo quis temporalem ſuam, vel ſui ſtatus fęlicitatem aſſequatur, nullam iuris Diuini, immo nec Naturalis rationem habendam, itaut illa ſit omnium prorſus Suprema Lex: quam amplectuntur in primis illi (horum hoc ſęculo maximè cenſetur maior numerus, quàm vt ſic Lutheranorum, Caluiniſtarum &c.) qui a quibuſdam Politici, etiam poſt T. C. appellantur, Atheiſmo communiter infecti; ſiue hic ſit ille, qui eſt inſipientium, nullum planè Deum, ſeu nullam planè incorpoream, agnoſcens ſubſtantiam; ſiue ſit ille, qui dicitur Ariſtotelicus a quibuſdam (ſed forſan falsò) admittens primam cauſam ſaltem finalem rerum, omni materia carentem, Curæ tamen rerum inferiorum, ſeu Prouidentię expertem: cui Atheiſmo vtrique connexa eſt ſententia de Rationalium Animarum mortalitate; qua hæreſis nulla eſt pernicioſior, tum animabus noſtris, tum bonis moribus moralibus ipſis; niſi enim quis retrahatur, vel a timore pœnarum, quas ſibi infligendas exiſtimet, vel ab infamiæ metu, cui ſe exponat, præſertim perpetuæ, nullum non facinus perpetrabit, Quod enimuero ſęculum protulit tot ex omni genere Scri-

ptores de Politicis, ſicuti noſtrum? Quidam ex Eccleſiaſticis etiam maiori ſibi tribuunt laudi, ſi dicantur, vel exiſtimentur Magni Politici, aut in Politicis verſatiſſimi, quàm ſi egregiè probi, aut docti; & Vtinam non hoc nomine Eccleſiaſticæ Dignitates, etiam Primariæ, compluribus deferantur. Noſtro pariter ſæculo Adoleſcentes, præſertim Nobiles, non in vnica regione, Politicæ ſtudio ſunt vehementer dediti, e *Tacito* cùm primìs, ad cuius lectionem præceptores quærunt, quibus ſtipendiũ non leue interdum tribuunt; e qua an veram, & laudabilem, an falſam, & vituperabilem a Chriſtianis, & Catholicis præſertim, ediſcant Politiam, morum conſcij præſentium, qui inter vtramque ſolidè norunt diſcrimen, iudicent. Certè Prudentia humana, non Diuina, carnis, non ſpiritus, quæ ſtultitia eſt apud Deum, inimica Deo, non ſubiecta legi Dei, cui obſequi renuit Roman.1. v.22. c.8.v.6.7.1.Cor. c.1. v.19.20.25.27. & c.3.v.19. talis eſt, ſi non ſolùm quærat, quæ ſua ſunt, ad temporalia dumtaxat commoda anhelans, verùm etiam ſi finem, qui ex obiecto videri poteſt ſupernaturalis, vel non prohibitus a lege naturali, vel Diuina, proſequatur per media vtrique, vel alterutri diſſentanea. Politicus oppidò agendi ipſemet tantùm modus debet eſſe alienus inter cæteros a Regularibus viris: Vnde Patres Religioſiſſimi S. I. deputati in 6.Congr. Gener. ann.1608. *Pro Renouatione Spiritus* in Soc. c.8. *de Humana, & Politica ratione agendi*, hanc *Religionis peſtem* clarè appellant; & addunt, *magnopere dedecere virum Religioſum, qui candorem, ac ſimplicitatem profitetur, dici, nedum Politicum eſſe*: optauitque vehementer poſtea *P.Vitell.* an.1617. Ian.2. in lit.ad vniuerſ. Soc. vt hæc querimonia communis inter quatuor ibi recenſitas protſus tolleretur, *Prudentes nos homines eſſe magis, & Politicos, quàm ſolidè ſpirituales*; cum priùs ſibi ſubditos monuiſſet, vt *feram illam, immanemque belluam, quam Politicam appellamus, domo exterminarent*. 6. Charitatis; quæ apparet: TVM in non erogandis pauperibus verè ſuperfluis, & quæ a tineis, vel muribus ſæpiſſime comeduntur: Quæ verè ſuperfluorum non erogatio magis vituperanda in Eccleſiaſticis fruentibus Beneficijs; ſi enim hæc erogarentur, non tot pauperes, ac mendici in Vrbibus forent, honeſtæ plures familiæ ad egeſtatem redactæ minorem paterentur pudorem, non tot meretricio quæſtui deditæ forent &c. Noxia fuit his, ac ſimilibus miſericordiæ operibus, opinio poſt *Dom.Sot.* præſertim, a Canoniſtis, & Theologis magis communiter probata, quæ antea communiter ab ijs cenſebatur penitus improbabilis, ac hæretica in iure Canonico, & oppoſita ſacræ Scripturæ, & SS. Patribus; quòd Eccleſiaſtici e ſola Charitate, non ex Iuſtitia, ad ſuperfluorum erogationem in pauperes, piaque opera teneantur; quæ faxit Deus ne erogentur potiùs ſæpe in non decentia Eccleſiaſticum ſtatum, & quandoque illicita; contra quod crimen multa eruditè congerit *Rayn.* in lib. de Malis e Bonis Eccleſiaſticis &c. p.vlt. deprecans tamen priùs ſtylum contra Beneficiarios. Noxia autem vniuerſim fuit pauperibus &c. vix ſuperflua etiam ditiſſimo concedẽs, quæ eſt plurium Recentiorum. Huius non erogationis, vel eleemoſynæ retentionis parens eſt Auaritia (hæc radix omnium malorum dicitur 1.Timot. c.6.v.10. quam quoſdam appetentes errauiſſe a fide, vt ſubiungit Apoſtolus, patet e geſtis ſuperiori ſæculo in Germania, alijſque Prouincijs rebellibus factis Romanæ Sedi) repoſita in multiplicandis, & recondendis pecunijs, & nõ iuxta rectam rationẽ acquirẽdis, vel expendendis; quam ſacri Canones reprehendunt nominatim in Sacerdotibus, ac Epiſcopis; qui adhuc reprehenſibiliores, ſi res ſuas augere ſtuderent magis ſollicitè, quàm Sæculares; de quo

conque-

conqueritur *S.Bern.* in Declam. in S.Petri verba Matth. 19. v.27. *Ecce nos re-liquimus omnia*: Et adhuc vehementiùs, acriusq. reprehendendi, si diuitias, vel patrimonium cæterà sufficiens ad congruam sustentationem (quæ pro vario Ecclesiasticorum gradu metienda, ac ponderanda) augere studerent modis a sacris Canonibus vetitis, vel cum grauamine certo, vel scandalo Laicorum. At detestabilis prorsus foret illorum auaritia, qui in operibus pijs in proximorum salutem non reapse quererent animas Deo lucrari, vel Deo acceptiores reddere, sed marsupia sibi, ac domesticam suppellectilem auctiorem, redditusque suos ampliores reddere; nec non opera quædam spiritualia excogitarent potissimùm, vt inde lucra sibi, vel suis reportarent; atque in ipsamet Sacramentorum administratione, vel in Reliquiarum propositione, vel eiusmodi alijs, pecuniæ exhibitionem intendere eos præsertim cognosceretur; & qui nunquam satis sibi esse dicerent, quamuis copiosissimos reditus haberent, excusantes se, quò illis abundantiores forēt, multò ampliorem numerum Ecclesiasticorum, seu Regularium suorum absque dubio alendum: e quo fieret, vt nunquam eorum sitim expleret possessio quorumcumque bonorum, ac sibi vindicare studerent, quæcumque etiam Ecclesiastica, ac Regularia. TVM in Bellis inter Principes, quæ possunt etiam esse iniusta, si maiora incommoda, quam commoda, ac præsertim in moribus Christianis, ac Religione, inde accessura sint; tot enim incommoda in populorum, ac subditorum animas, corpora, fortunas importantur, vt Principis eos amantis, tanquam Patris, ac Pastoris Politici gregis, partes sint, quædam potiùs dissimulare, & quadam satisfactione contentum esse, quàm Bellum suscipere, cuius incerti sunt exitus, etsi cum minùs potenti ineatur; quod experientia hoc etiam sęculo declarauit, ac declarat. Aggressiuum solummodo Bellum inter Catholicos Principes fermè semper iniustum esse nonnulli celebres Theologi putant: Qui & addunt, eos inter se belligerantes teneri, vel arma deponere pace concordes redditos, vel saltem inducias facere, dum Turcæ aggrederentur Christianam e præcipuis aliquam Ciuitatem, vel Prouinciam, ac sine illorum ope fieri non posset, vt a Turcis non occuparetur; cum enim ipsi sint pręcipua Christianæ Reipublicę pars, debent illi, vt toti, auxilium ferre, secus iniuriosi Christo, cuius fidem profitentur, ac Matri Ecclesiæ, cuius sunt filij, & pariter patroni; & a R. P. posse cogi etiam ad pacem, vel inducias, & ad auxilium præstandam his, qui aliter opprimendi essent a Turcis, ac eiusmodi Infidelibus, per Censuras Ecclesiasticas, cum agatur de Religione, cuius ipse est Princeps, & ad quam tuendam Christus amplissimam eidem potestatem spiritualem tribuisse censetur. TVM in inimicitijs quoque perpetuis non rarò inter præcipuas in Ciuitatibus familias, quas possunt, & debent Principes interdum, extinguere penitus, illarum sibi reseruantes iudicium: nec non discordijs, quę intercedunt inter vxores, ac maritos, filios, ac parentes, affinitate, & consanguinitate coniunctos, & non rarò ex leui causa, quę statim tolli posset, nisi quidam pertinacissimi forent, vel si esset grauis, ex arbitrorum sententia dirimi: Etiam sępe inter fratres ipsos simultates existunt, familijs, & Ciuitatibus multum incommodę; quapropter de *Amore*, *& Concordia Fraterna* librum satis elegantem, ac salutarem, impressit *Ludouic. Carbo* S.Theol. Profess. in Perusino Gymnasio Venetijs ann. 1586. TVM in odijs complurium immortalibus; quod esset minus ferendum, si isti forent Ecclesiastici, vel Regulares, & adhuc multò minùs, si frequenter celebrarent, vel ad Eucharistię sacramentum accederent. Quid si contentiones non pauci fouerent,

rent, aut excitarent inter proximos, & conſultò forentque ſuſurrones, ac li-
cet forent Eccleſiaſtici, ac Regulares vltro controuerſias cum alijs Eccleſia-
ſticis, ac Regularibus quærerent, etiam quandoque acerbiſſimas, mutuæ pa-
cis oſores, ſcriptis, libriſque ſeinuicem non rarò lacerantes! Vtilitatem affe-
runt, nec leuem, compluribus Bella, diſcordiæ, contentiones &c. Illę autem
vigent profectò diſſenſiones inter Regna, Prouincias, Ciuitates, Familias, Ec-
cleſiaſticos, ac Regulares Ordines; imò etiam inter homines eiuſdem Re-
gni, Prouinciæ, Ciuitatis, Familiæ, Eccleſiaſtici, ac Regularis Ordinis, in-
ter Magiſtratus Eccleſiaſticos, ac Sæculares, inter Eccleſiaſticos, ac Sæcula-
res, inter Epiſcopos, & Clericos, inter Clerum Sæcularem, ac Regularem,
inter eiuſdem Religionis, quin etiam Domus non rarò, Religioſos, vt etiam
Romanæ patet Curiæ, vt verendum ſit, ne ſicuti Gentiles priſcis Eccleſiæ ſæ-
culis mutuam Chriſtianorum charitatem attendentes, & admirantes excla-
mabant, teſte *Tertul.* c. 29. Apolog. *O quantùm ſe diligunt Chriſtiani*, meritò
nunc cum lacrymis exclamari queat a Catholicis pijſſimis, & harum con-
ſcijs diſſenſionum, O quantum ſe oderunt Chriſtiani. Grauius autem eſt
hoc contra Charitatem peccatum, cum accedit Iniuſtitia, quod, præter iam
ſignificata, euenire poſſet; SI 1. Princeps premeret ſibi ſubditos vectiga-
libus, ſeu gabellis, ſeu tributis &c. vltra eorum vires, & e cauſis non iuſtis, vt
ad prodigalitates exercendas, ad quædam ſupra conditionem ſuam agenda,
ad quædam ſolùm ad propriam magnificentiam, ac voluptatem (de quo illos
modò notat P. lib. 1. c. 4. in fin.) adornanda; minùs peritos, vel rapaces Mini-
ſtros conſtitueret, in eorum facta nunquam inquireret, de illis querelas audi-
re detrectaret; non conſuleret ſubditorum ſibi rebus, famæ, & corporibus
potiſſimè, non homicidia pro meritò puniens &c. SI 2. ſubditi refugerent cal-
lidis artibus debita Principi tributa perſoluere, de illo paſſim obloquerentur,
&c. SI 3. Iudices ex timore, amore, odio, cupiditate, imperitia, minoriue
diſcuſſione iniquas proferrent ſententias. SI 4. Aduocati non iuſtas ſuſcipe-
rent cauſas, & ſophiſmatibus Iudicum menti tenebras offunderent, & cauſas
longiùs protraherent ad clientum crumenā latiùs exhauriendam. SI 5. Me-
dici in debitam ægrotis curam non incumberent, morboſque longiores red-
derent, cum breuiori tempore ægrotus conualeſcere poſſet, ad pecuniam ſibi
ampliorem corrogandam. SI 6. Qui maximè modiciſſima vendunt, ponde-
ra, ac ſtateras adulterarent &c. DENIQVE ſi alter alterius rem, ſeu bona
ſibi vindicare per fas, & nefas ſtuderet, & dummodo poſſet id eſſe occultum,
vſurparet, etiam ficto teſtamento, quæ cæteroqui alteri deberentur; nec non
ſtatutam mercenarijs mercedem tribuere nollet; quod magis iniquum foret,
dum mercenarij loco mercedis petitæ reportarent acerba, vel iniurioſa etiam
verba, & quandoque verbera: Proximorum Vitæ nulla fere ratio haberetur,
ita vt frequentiſſima eſſent homicidia, & per inſidias quoque, ac proditoriè;
quapropter vnà cum corporibus tumulandis ſæpenumero animæ in inferos
detruderentur: Et mirandum quidem eſſet, ſi in aliqua Chriſtiana Regione
plura patrarentur homicidia, quam in Turcico fere omni imperio; cum ta-
men Chriſtiani præ anima non pluris quidquam facere ſoleant, quam vitam:
Etiam famæ detractores forent adeò frequētes (vt omittantur calumnię hiſce
poſtremis quoque annis integerrimis illatæ viris, quemadmodum *Not.* 18. ſi-
gnificatum) vt commune vitium iam cenſeatur, quod eò magis deplorādum
quod rariſſimè reſtitutio famæ cognoſcatur, vel innoteſcat; Vnde exiſtimatur
hoc ſæculo maximè comprobari illa S. *Hieron.* epiſt. ad Celant. *Pauci admo-*

dum ſunt, qui huic vitio (detractionis) *renuntiant, raròque inuenias, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velit, vt hic non libenter reprehendat alienam; tantaque huius mali libido mentes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs receſſerunt, in iſtud tamen, quaſi extremum Diaboli laqueũ, incidant*. An non communiter Patres S. I. cenſentur a quibuſdam ſaltem remotiſſimi vitijs? An non P. poſtponit eijſdem quoſcumque Scriptores Dominicanæ, ac Franciſcanæ Familiæ c.27.pag.221. lib.Vind. & cuilibet numeroſę hominum rationi in pietate Soc. præfert ſuam pag.78. c.14. vt *Not*.10. ac 34. indicatum? Quibus addit c.44.in fin.pag.349. *poſt ſæculum euolutum Ignatij Conſtitutiones, non modo non conſeneſcunt, ſed inualeſcunt, nec aliquid cernimus diſciplinæ detritum, ſed continenter auctum*; quod & ſe a maioribns accepiſſe, & ſuos ſibi oculos, ex quo Soc. illum habuit, renunciaſſe ſcribit: Et nihilominus *P. Vitell.* in lib. ad Vniu. Soc. de quibus ſæpe, an.1617. Ian.2. vbi illam conqueſtionem *B. Franciſci Borgiæ* Generalis tertij Societ. electi 11 Iulij 1565. ac mortui 1. Octob. 1582. *Quam multi veniunt ad nos, vt fiant ditiores, quam pauci, vt fiant meliores*, protulit, illico ſubiungit; HOC porro caput, in quo nonnulla, quæ ad LINGVAM pertinent perſtringere neceſſe habeo, gaudeo in poſtremum hunc locum cecidiſſe; quod cupiam omnibus, quæ hactenus recenſui, altiùs iſta cunctorum cordibus imprimi ſempiternis notis. Ne quæſo, nobis, Patres, Fratreſque blandiamur. NON PAVCI (non vnus, vel alter, vt inſulsè quidam de hac, alijſque eiuſdem, aliorumque Præpoſitorum Generalium Litteris Commonitorijs iam impreſſis, quæ iam in exterorum plurium manibus verſantur, a quindecim iam annis edidit, addens etiã, eas loqui de Idæali perfectione, *quam meditari licet, digitis monſtrare non licet*, Lippos exiſtimans, imò mente captos harum Lectores Epiſtolarum) *Hoc in genere valido fræno egent; Nemini parcunt, nimia agunt libertate, & licentia, non ſine graui Charitatis, Iuſtitiæque interdum iniuria; dum aliena, ſeu dicta, ſeu facta* (enumerat Linguæ vitia) *nunc amplificata augent, modò vltro citroque renunciant, nunc in deteriorem partem accipiunt; ad motus animi, atque conſilia Deo reſeruata dijudicanda progrediuntur; haud ſcio an dicendum ſit, res neque geſtas vnquam, neque per ſomnium quidem oblatas comminiſcuntur, & iactant. Equidem mihi perſuadeo, conſultò, ac dedita opera non delinqui, quòd ſciam, quantus Dei timor, ipſo adiuuante, in Societate vigeat; verùm affirmo inconſiderantiam, indiligentiam, lubricitatem hac in re malum eſſe longè grauiſſimum; atque vtinam interdum Diuina Mieſtas nihilo magis, quã leuiter lædatur, eòque periculoſiùs quò minùs inde conſcientia onerari alicui fortaſſe videbitur. Ego verò, quoniam exonerare meam ſtatui, mihique perſuaſum eſt, innumera hinc nobis bona intercludi, atque ex hoc fonte in primis, & vniuersè deriuari mala, quæ æquiſſimo Domini iudicio toleramus, ex intimis cordis mei viſceribus omnes obteſtor, Examen, quod vocamus Particulare, quàm accuratum per hoſce dies in hoc vitium inſtituant; quandoquidem LATIVS, quam opus eſſet, illud SERPERE per Societatem DEPLORAMVS OMNES; fatemurque venenoſæ huius, atque execrabilis plantæ fibris euulſis, terreſtrem quemdam Paradiſum illam futuram*. Poſtquam verò aliud remedium attulit de pijs ſermonibus cum Sæcularibus inſtituendis, ac monuit, vt tollerent obſeruationem, & vſurpationem Sæcularium, *haud ampliùs in Societate vigere priſcum Primorum Patrum ſpiritum, qui cum Principibus viris, planèq. omnibus, nonniſi de Deo, atque æterna ſalute ſermones ſerere nouerant, eaque ratione pro arbitratu cuncta conficiebat*. Optimus Generalis concludit, *O ſi renoua-*

nouatam hoc in genere Societatem daretur intueri! Omni tunc sanè animi ardore inclamarem, Nunc dimittis &c. *Incumbamus per Dei Charitatem, curemusque, vt longè alij hac ex parte euadamus &c.* In litteris postea Ian. 4. eod. an. ad Super. inquit, *Se facere non posse, quin vehementer admiretur, qui fiat, vt cum adeo frequenter nostris in triclinijs pœnæ pro noxis in leges admissis infligantur, hæc vna culpa*, hoc est, loquendi licentia (*quæ tamen e GRAVIORIBVS est, LATISSIME patet, CREBRO contrahitur*) *aut nunquam, aut rarò plectatur*. Hoc Detractionis vitium, & hanc loquendi libertatem cum indicassent an. 1592. anno scilicet 29. post T.C. finem, Patres Congregat. Romanæ Prouincialis *P. Acquauiuæ* ita crescere, vt *NON PAVCI viderentur sine scrupulo id facere, & quidem in materijs, & rebus non leuibus*; ille respondit, *Magno nostro dolore videmus propositionem hanc veram esse*, & ad hoc remedia quædam attulit, aliaque addidit anno 1600. in lib. industr. c. 17. Sicuti non iuuarunt hæc, quo minus adhuc magis *Serperet* hoc vitium, vt patet ex litteris mox allatis *P. Vitell.* sic videndum, an renouauerint Societatem hoc in genere remedia a *P. Vitell.* proposita; an verò potiùs e præstantissimæ Societatis exemplo in alios iam ista Linguæ vitia emanauerint, quæ propagari potuerunt magis, si tam illustrium virorum accessisset auctoritas, ac potissimè in alios Claustrales; in detractionis enim vitio eos multùm peccare, animaduertit iam *Peyr.* homo valde pius, ac doctus, versatusque in Religionum moribus tom. 1. de subd. q. 28. init. §. 1. de qua re etiam priùs *Peral.* tom. 2. Sum. tract. 9. de Pecc. Ling. cap. 2. §. *de Murmure Claustralium*. Satyricus enimuero quidam scribendi, aliosque refellendi modus, hoc præsertim sæculo, & a nonnullis annis, a quibusdam non solùm exercetur, verùm etiam grauissimè detractorius, vt rerum conscijs publicarum dilucidè patet. Nescitur, an cùm elapsis retro sæculis contentiones multæ extiterint inter Dominicanos, & Minores Fratres, mos ab illis vsurpatus fuerit in scribendo præsertim, qui modò a nonnullis vsurpatur, nec infrequenter; & approbari videtur, cum peccantes in eo non puniuntur; qui si laudarentur, iam Linguæ vitia communiter virtutes censeri deinceps possent. Regularium ipsorum vitia libris quoque posse, immo & debere interdum promulgari, asseruerunt hoc sæculo *Martin. Delr.* in Epist. an. 1606. missa ad Sac. Congr. Inquis. Rom. Card. Moguntiæ impressa an. 1612. *Auct. lib. de Cauter. Ies. Cons. S. C.* Herbipoli an. 1619. editi, ad id quatuor afferens rationes; *Laym.* in Plac. Discept. pag. 8. 16. 22. & 25. vbi id probare nititur, iterumque in Iusta Defens. an. 1631. Dilingæ vulgata; *Auctor Caueæ Turturis*, hoc est, *Iacob. Keller.* nec non *Albert. de Albert.* in Generali lib. Vindic. excusis Monachij 1649. cap. 10. a §. 6. latè, qui & pariter in Lydio Lapide ibidem impresso p. 1. c. 4. a § 1. contumeliosum scribendi modum latissimè probat sine proximi iniuria &c. Et post illum an. 1653. multis etiam probauit *Rayn.* de Mal. & Bon. lib. Partit. Erot. 9. a n. 140. a 167. mordacem stylum, etiam contra Catholicos: Quorum sententiam, tum ex ipsis aliqui, tùm alij quoque factis laudauerunt, quod ignotum esse potest vulgaribus tantùm hominibus. Ex illius autem conditionis hominibus, certè immeritò conquererentur nonnulli, si idem scribendi modus contra illos adhiberetur, & adhuc minùs iustè, si obijcerentur defectus, qui ab ipsis quoq. typis essent vulgati, & complurium oculis extra ipsos expositi; id siquidem nullatenus potest esse contra Iustitiam, immo neque contra Charitatem, nisi malus adsit animus &c. Quamuis ista pro S. asserto a quibusdam proferantur, ea nihilominus modò non discutienda. Peritiorum sit in hoc iudicium. Obseruandum

tamen, *P.Franciſcum Staderam* in lib. cui Titulus *Inganni della Vita Spirituale*, diurna, nocturnaq. manu a viris verè ſpiritualibus verſando, ſcriptum reliquiſſe, poſt T.C. auctam fuiſſe pompam, auaritiam, & calliditatem inter Catholicos, illaque duo vitia tribuere argenti, & auri copiæ, quæ ex Indijs præſertim deportata eſt, ac deportatur, tertium verò ſcientiarum ſtudio, quod poſtremis hiſce annis mirificè amplificatum eſt, vt Tr.14. legitur Ingan. 14. c.19. atque præterea *Lal. Mancin.* Primar. iur. Can. in Patau. Gymnaſ. non multis ab hinc annis Profeſſorem in libello de *Reſtitutione Famæ*, Patauiæ edito an. 1652. aſſerere in Præfat. ſe illum ſcripſiſſe, cum ſecum reputauiſſet, *quam procliue Detractionis vitium ſit, quam commune, quam omnes propemodum domos, quam ſideles pene omnes licenter occupet, licet pios, nec ſit colloquium fere aliquod ſit, cui ſe non immiſceat*; Cui ſuffragantur viri admodum prudentes, animarumque ſalutis cupidi, qui detractionis crimen perſpectum habentes adeo propagatum inter cuiuslibet fermè ordinis, & cōditionis homines, multò plures ex Linguæ æternis addici ſupplicijs, quam e luxuriæ vitijs putant. Satis nunc ſit pro S. contra P. duorum omni exceptione maiorum teſtimonia.

PRIMVM *Vrbani VIII.* Hic Conſtitutionem (in Bull. eſt 33.) Mart. 13. an. 1625. vulgauit, quam & cum additione confirmauit an 1634. Iul. 5. *Circa non dum a Sede Apoſtolica Canonizatorum, vel Beatificatorum Imagines cum radijs, ſplendoribus, & laureolis, tabellas, & liminaria ad eorum ſepulchra, libros etiam Vitam continentes, Reuelationes, Miracula, aliaque beneficia &c.* Et cū illa amoueri iuſſerit, his certū præſcripſerit modum, declarauit apertiſſimè, antiquam in his ſimplicitatem noſtro præſertim ſæculo defeciſſe; vnde & S. R. Rotæ Auditores ſolent eſſe magis, quam ſuperioribus ſæculis, accurati, ſeu oculati, in examine, & Vitæ, & Miraculorum, & Proceſſuum, cum proponitur alicuius Canonizatio, vel Beatificatio. Et antiquioribus quidem temporibus *mirabilis ſimplicitas, ac deuotio ſincera maximè fulgebat*, vt obſeruat *Caſtell.* de Certit. Glor. Sanct. c.2. p.9. idcoque *Vrb. III.* ibi ſubiunxit, quod *per ſupradicta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Sanctorumque virorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij coluntur.* Similiter *Iacob. Gretſ.* e S.I. lib.1. de S. Cruce c.53. *Maiorem morum candorem, & ſimplicitatem olim fuiſſe* tradit. Eiuſdem quoque Soc. General. 3. *B. Borgia* in litt. ad Vniu. Societ. ann. 1559. Menſ. April. impreſsis init. n. 2. ait ſe audijſſe, *initio naſcentis Societatis eximiam quamdam ſinceritatem, ſimplicitatemque* (hanc nominatim præſcribunt Conſtitutiones Societatis Regularibus ſuis, dum agunt inter ſe, & cum alijs; ac reponitur Summ. Conſtit. num. 29.) *Floruiſſe inter noſtros &c.* Quin etiam denuo *Vrb. VIII.* hanc ſinceritatem, atque ſimplicitatem poſt hāc adhuc Bullam deficere cum accepiſſet, illam eludere ex parte ſaltem quibuſdā nitentibus, an. 1631. Mart. 12. Sacræ Congregationis Rituum approbauit decretum, *Ne quiuis planè etiam Regularis, per ſe, aut alios caperet informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirat, aut obtineat ad hunc effectum extraiudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones &c.* De hac re aliquid etiam ſignificatum *Not.* 18.

SECVNDVM viuentis Romani Pontificis ALEXANDRI VII. Hic Pontifex Optimus initio ſui Pontificatus innouatam a *Greg.* XIII. ann. 1584. Nouemb. 8. *Bonif.* VIII. Conſtit. de Datis, ac Promiſſis pro Iuſtitia, vel Gratia apud Sedem Apoſtolicam obtinenda (hæc eſt prima in *Tit. de Sent. Excomm.*

inter

inter Extr. Comm.) confirmare volens, coactus fuit contra Interpretes plusquam centum clausulis, tum declaratiuis, tum extensiuis, eam communire: Cuius diligentiæ & ibi significatur necessitas; *Cum subinde variæ vulgatæ fuerint prædictorum Pontificum Bonifacij, & Gregorij Constitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipsarum Constitutionum vigorem, non sine earum diminutione, & publici boni detrimento, contra eorumdem prædecessorum nostrorum mentem nimis relaxent &c.* Ac meritò quidem *Iul. Melc.* Ord. Prædicat. Inquisitor primò Mantuæ, modò Papiæ, in Epistola præfixa *Basi Totius Theologiæ Moralis*, Mantuanis typis an. 1658. ad *Pios, ac Sinceros Diuinarum, Ecclesiasticarumque Legum Zelatores*, hisce præmissis subdit, *Videres nouam Constitutionem Ecclesiæ, si quando pro Morū Reformatione prodire contingat, statim cauillis, distinctionibus, limitationibus adoriri animosiores, cum quibus alij plurimi mox dilabuntur incauti timentes deseri in suis consilijs, subindeque menses post paucos legem illam enermem, sauciamque relinqui: quod si aliquis Zelo Dei, vt consulat propriæ conscientiæ, in tot Glosarum tricis, ac Interpretum varietate, ad Legislatorem confugiat, vt par est, pro vera interpretatione, Sacraque Romana Cardinalium Congregatio ad hoc specialiter deputata declaret, aus stet pro parte rigida, nonnulli ausu, dicam saltem, irreuerenti illorum Patrum Responsa non admittunt ad conscientiæ praxim, nisi quantum vnius simplicis Doctoris priuata auctumat interpretatio, maluntque vniuscuiusq. singularem opinionem quomodolibet probabilem pro Morum praxi, etiam illo Sacro contradicente Senatu, constituere contra id, quod Deus indixerat quondam apud Deuterom. c. 17. &c.* Vtinam hoc sæculo, in quo maximè litterarum studia florent, non sit etiam multiplicatus maximè Virorum numerus cum illa ingenij subtilitate, *quę ad perniciem tendit, non quæ ex ingenij virtute dimanans, & nunquam a ratione, & æquitate discedens, Veritatis est inuestigatrix*; quæ commendatur in sacris Canonibus ipsis, sicut alia vituperatur, vt habetur e *Panor.* in cap. *Capellanus* de Ferijs n. 5. & quæ a P. scitè appellatur lib. 24. c. 9. n. 13. *Ambitiosa*, quæ non rarò efficit, vt Interpretationes, seu Commentarij &c. *Permutata natura textuum sensus complicent, non explicēt*. IDEM præterea Maximus Pontifex Patribus Dominicanis in eorum Generali Capitulo Romæ an. 1656. referri voluit a Reuerendissimo P. F. Mag. Ordinis *Ioanni Baptista Marino* ista; *Tædere Beatissimum Patrem tot Nouarum Opinionum HOC SAECVLO in Theologiam Moralem inductarum* (hæc leguntur in Epist. ad eundem Reuerendiss. P. Mag post approbationem eiusdem *Basis &c. P. Hieron. Placentia* e S.I. in Acad. Parmensi S. T. Professoris) *Quibus Disciplina Euangelica resoluitur, ac conscientijs cum graui animarum periculo illuditur, & se maximè velle, a Theologis nostris in Ecclesiæ hoc morbo occulto laborantis remedium opus parari ex seueriori, & tuta Sanctissimi Præceptoris doctrina, quo HAEC MORVM, ET OPINIONVM LICENTIA, quæ IN DIES grassatur, quasi cauterio cohiberetur.* Ergo non sunt Comœdorum Prouerbia, non Vulgi solius querelæ, quod in sinceritate modò homines etiam Regulares, sint deteriores, quam superiori ætate; quod Pontificiæ leges nonnullę grauisque ponderis modò minùs exactè seruentur, quam elapso iam sæculo; magisque ex nouis opinionibus modò, quam sæculo elapso, Euangelica resoluatur disciplina, & conscientijs cum graui animarum periculo illudatur; nisi inter Circulatores, atque in Vulgo velit P. (quod non creditur) *Vrbanum VIII. & Alexandrum VII.* reponere; quorum alterū ipsemet supra communem cæterorum hominum in virtutibus conditionem

amplis

amplis effert laudibus in lib.Vind. cap.19. pag. 117. alterum verò amplioribus, tum in fin. Epist.ad Lect. tum in fin.Volumin.2. Hist. integra Epistola, præter iam celebratas p.1. lib.3. del *Bene*, cum esset Apostolicæ Sedis Nuncius Coloniæ an.1644. quo in munere ibi se gessisse admodum præclarè fertur.

44 Licet concedatur Pal. minora vitia, tum contra Castitatem, tum contra Temperantiam in victu patrari nunc in Ecclesia, ab Ecclesiasticis præsertim, post T.C. quàm ante: Adhuc tamen videndum superesset, an Vitijs, quę dicuntur *spiritualia* a *carnalibus* specie seiuncta 1.2. q.72. art.2. vbi *S. Thom.* e *S.Greg.* c.31.lib.31 hęc duo tantū numerat *Gulam*, & *Luxuriam*, magis peracto T.C. infecti fuerit Catholicorum animi, quàm priùs. Spiritualia sunt *Superbia, Auaritia, Inuidia, Detractio, Susurratio, Dolosa Simulatio, Fidei data Violatio, Maleuolentia, Hypocrisis, aliaque his similia*; Multi enim prudentes inter Catholicos viri, Christianę Pietatis, ac Catholicæ Religionis studiosi inquiūt; Hæreticos nobis obijcere, in ministerijs spiritualibus potissimè, auctam fuisse auaritiam post T.C.Quam quidem *S.Aug.* lib.de Bon.Viduit. c. 21. fatetur, *Se fuisse expertum sæpe in quibusdam lasciuia compressa creuisse, & sæpe carnalem cupiditatem a concubendi voluptate cohibitam maioribus viribus in pecuniæ se porrexisse appetitum, & illinc auersam huc se impetu ardentiore conuertisse*; Cuius elegantem ibi reddit rationem: Nec non eosdem pariter nobis obijcere ampliores hoc sæculo præsertim animorum dissensiones, quàm antea, inter Regulares nominatim, & præcipuos; quod colligunt ante cætera e libris quoque impressis ab annis nonnullis, qui referti sunt mordacitatibus, scommatibus, irrisionibus, satyris, iniurijs, detractionibus &c. probati etiam a primarijs quibusdam viris, nedum a quibusdam non hactenus reprobati: Et cum Caluinus olim lib.4.Instit.c.23.n.14. nobis obiecerit Scholasticorum dissensiones, æquiori iure posse nunc, nisi in inferis degeret, obijcere longè acerbiores, Charitati, ac Iustitiæ interdum etiam aduersantes inter primarum partium Catholicos, nec non Regulares; atque si *Rayn.* de Mal.ac Bon.lib. Partit.3.Erot.4. n.532. scribit, solam quorumdam librorum confixionem Hæreticos malignè interpretari nullam consensionem animorum inter Catholicos, multò magis summam eorum dissensionem arguere e libris, qui iam editi sunt, & non paucis, quibus se lacerant in fama illustres quidam viri, ac in primis Regulares nonnulli. Addunt præterea attendendum; An cum post T.C. mirificè floruerint, ac floreant scientiæ, ac prodierint homines sapientia insignes, & præclarissima inter Catholicos vigeant ingenia, Superbia similiter aucta fuerit; nam *scientia inflat* 1.Cor.c.8. init. & *ab ea, eiusque argumentis emanat sui existimatio, iudicium proprium, opinionum diuersitas, & quod deterius est, inter condiscipulos, atque adeo inter fratres, Patresque nostros* (sic alloquitur suos in lit.Mens.April.1567. *B.Borgia Gen.) diuisio*; immo &, quod adhuc deterius, inter alios etiam externos, ac Regulares; quod esset adhuc magis graue crimen, si inde aliorum doctrina despiceretur: vnde sentiebat idem Generalis verè Sanctus, vt Socij antequam litteris, ac disciplinis imbuerentur, præclarè in Religiosa simplicitate essent informati; atque *S.Ignatius* p.3.c.1. §.27. voluit litterarum in Soc. fundamentum esse Humilitatem; & ipsemet Pal. c.11.in fin. pag.51. apertè ait; *Cum litteraria disciplina ingens sui abiectio, ac despicientia, & defixa in Deo meditatio, sine quo, tanquam succo, functiones nostræ Christianæ Reipublicæ vel exitiales sunt, vel vt minimum FATVAE, perseuerare quidem potest, incipere, & succrescere, nisi raro, non potest.* Subiungunt tandem; attendendum, an sub prætextu publici

boni,

boni, Catholicæ Religionis incrementi, Dei gloriæ (de quo Pal. notat Principes, qui ſuos in Politicis negotijs detinent Socios c.51.lib. Vind. in fi.p.397.) complures modo ampliora, quam ante, facinora perpetrent, quando ipſe ibidem tradat, *Gloriam Dei, grande illud vocabulum, nullis non facinoribus patrocinari*; aut ſint illis perſimiles, qui magis e timore, quam Chriſti amore, ſuadebant illi, ne in Iudæã concederet; nam multi ſub ſpecie defendendi Chriſtum agunt res ſuas, vt *Mald.* ad c.11. Ioan. in fin. v. 8. tradit: In quorum numero eſſent illi profectò, qui reddere ſtuderent Principes (quos ibi, vt dictum, accuſat P.) deditos, vel quibuſdam voluptatibus etiam per ſe non malis, vel quibuſdam ſtudijs, vt ipſi in potiſſimam partem venirent regiminis, ſeu Eccleſiaſtici, ſeu Sæcularis. Eſſet quidem error, & ingens, pluris æſtimare vitia carnalia, quam ſpiritualia; nam hæc per ſe ſunt illis grauiora, vt triplici ratione egregiè probat art.5.ibid.q.72. *S,Th.* in corp. quas explicat fusè *P.Stadera*, de quo ſupra tr.10.Ingan.10.c. 5. cuius eſt hæc inſcriptio, *Di vn'altro errore in queſta materia, il qual'è di ſtimar più i vitij corporali, che li ſpirituali*; vbi cum *S. Th.* addat, Carnalia *eſſe maxime exprobabilia*, & cum ſint magis manifeſta quoque, multi ſolent hæc magis deuitare, quàm illa; immo etiam Vulgus, qui probitatis ſuperficiem, non profunditatem perſpicit, homines conſueuit habere, ac nuncupare ſpirituales, qui Carnalibus vitijs carent, licet cæteroqui ſint ſuperbi, detractores, auari &c. Etiam *P. Aquauiua* in lib. induſt. ad Sup.Soc.c.17. loquens de vitijs linguæ clariſſimè ait, *Periculoſius eſſe hoc morbo, quam contra Caſtitatem, tentari*. Verùm concedatur vltro, Catholicam Eccleſiam a manifeſtis quibuſdam morbis incolumem euaſiſſe e ſaluberrimis verè medicamentis, quæ & Tridentina Decreta, ac Pontificiæ leges attulerunt: At hoc præſertim ſæculo eadem laborare cæpit morbo quodam grauiſſimo, ſed OCCVLTO, eòque grauiori; quem certè Sapiens Animarum Medicus in Vniuerſalis Eccleſiæ, cui præſidet, corpore deprehendit ALEX.VII. & hic eſt *Nouitas, ac Licentia Opinionum hoc ſæculo in Theologiam Moralem inductarum, e quibus diſciplina Euangelica reſoluitur, & conſcientijs cum graui animarum periculo illuditur*, vt ſupra; & cum in dies, quemadmodum ſubdit ibi Pontifex, graſſetur, & poſt annum 1656. graſſatus adhuc fuerit, periculum eſt ingens, ne hic morbus fere lethalis euadat. Quidni hac ætate verum reddatur illud *Eſa.*c.38. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima!* Quæ verba *S.Bern.* (hic teſte ipſomet Pal. in lib.2. c.4.n.7. eſt inter Eccleſiæ viros doctiores, ſanctiores, & candidiores) accommodans Eccleſiæ ſer.83. in Cant. ait, AMARA *prius in nece Martyrum* (ſuperiori præſertim ſæculo complures pro Catholica, ac Romana Fide mortem vltro oppetiere, e quibus in Indijs quidam inter SS. Martyres ab *Vrb. VIII.* relati ſunt) AMARIOR *poſt in conflictu hæreticorum* (eodem quoque ſæculo Lutheri, Caluini, Zuinglij, ac ſimilium; hi enim *homines vani, cupidi gloriæ, dum volentes ſibi facere nomen exierunt de Eccleſia, diu eamdem Matrem ſuam afflixerunt in diuerſis, & peruerſis dogmatibus*, vt ibidem priùs idem S.Doctor, *quorum tamen peſtis depulſa eſt ſapientia* Tridentinorum Patrum, & poſt illorum Decreta de Fide Catholicos ab hæreticis ſecernentia, doctiſſimorum virorum ſcriptis, ac libris) AMARISSIMA *In Moribus Domeſticorum*: Quorum nomine haud intelligendi nunc illi, de quibus idem S. tum ibi, tum ſer.6. in Pſal.90. tum ſer.1. in Conuerſione S.Pauli; ſed illi in primis Catholici, qui poſt T.C. & hoc præcipuè ſæculo, vt ait Summus Pontifex, in morem induxerunt ſequi, ac fidelibus proponere Nouas Opiniones, quibus LICENTIA

MO-

MORVM inducta est deploranda verè; quibus *Disciplina Euangelica resoluitur*, & *conscientijs cum graui animarum periculo illuditur*. Sub Benignarum, seu Benigniorum opinionum specioso nomine, vulgoque in primis gratissimo, fræna humanis concupiscentijs mirum in modum laxata; cum tamen ad illos inijcienda conditæ sint potissimùm Diuinæ Leges, ac plurimæ etiam Ciuiles, Canonicæ, ac Pontificiæ, seu Ecclesiasticæ Leges, vt docent Theologi ad 1.2.q.95.art.1. & Canonistæ ad cap.1.dist.4. & ad *Proem.Greg.* IX. Decr. ac dum harum vim eneruare contendunt sub specie aperiendi aditum faciliorem ad Cælum plerisque, inscitiæ, & quasi impietatis damnant Deum, Pontifices, & Conciliorum Patres (vt omittantur Sæculares Principes) qui illas ad eumdem condiderunt finem; ac dum Christianæ legis *iugum suaue, onusque leue* per suas opiniones reddere volunt, retrahunt homines ab imploratione Diuinæ opis, & Gratiæ adiuuantis, non intelligentes Christum legem suam *iugum suaue, onusque leue* dixisse *Matth.*10.v.30. non quia, vt ait *S.Th.* 1.2.q.107.art 4. in externis quoque actibus multis non sit Mosaica difficilior, *sed quia* affert Spritum Gratiæ, & Charitatis, vt e *S.Ioan.* Ep.1. c.5. *S.Aug.* de Nat.& Grat.c.69.& ser.48.de Temp. *S.Hilar.* can. 11. in Matth. & *Auct. Imperf.* Hom.28.in Matth. explicat *Suar.* lib.10 de Leg.c.8.num.17. *siue quia in Euangelio vnà cum onere datur spiritus adiuuans infirmitatem nostram*, vt ex *S. Aug.* eodem ser.9. de Verb.Dom. habet *Mald.* ad cap.11 Matth. in fin. alias his duas præmittens causas; qui & priùs ad v.13. Matth. c.7. probauerat Responsionem *S.Chrys. & Euthim.* quærentibus, quo modo *præceptorum suorum viam arctam, & portam angustam*, ibi Christus appellet, cum Matth. 11. iugum suum suaue, & onus leue nuncupet, *dici* scilicet, *suaue, ac leue* spiritualibus, & prospicientibus in futura, siue in remunerationem æternam, *durum, ac in suaue* Carnalibus, ac terrena quærentibus. Ad id legi etiam possunt *Lorin.* ad v.10. c.15. in Act. Apost. alijque Interpretes ad allata e Matth.cap.has, similesque tantummodo admittentes Christi verborum interpretationes. Morbus iste occultus posset cum *S.Bern.* ibidem nuncupari *negotium perambulans in tenebris, fermentum Pharisæorum quod est Hypocrisis; si tamen* (subdit Mellifluus Doctor) *Hypocrisis dici debet, quæ iam latere præ abundantia non potest, & præ impudentia non quærit*, cum tam multi hasce tueantur opiniones consultò LAXAS, & audeant præterea, etiam post hæc verba Romani Pontificis notare grauissimis cēsuris contra sentientes, vt iam Romanæ notum est Curiæ e lib.I.C.cum non leui complurium scandalo. Obseruandum quidem est, & sæpenumero, & diligentissimè, omnes fermè hæreses sub pietatis specie in Ecclesiam a callidissimis hominibus inductas fuisse, ac nominatim Lutheranam hæresim prætextum excogitasse Euangelij puri a Sanctorum, Doctorumque traditionibus, quas humanas tantummodo putant illius Sectatores, seiuncti, Euangelicæ libertatis, seu Charitatis, vt iam e Card.*Camp.Not.*41. indicatum. Istę profectò opiniones fundantur in mollienda, si non eneruanda penitus, vi Præceptorum Diuinorum, & Humanorum, fauendo libertati adeoque nostris cupiditatibus, ac per opinionum laxitatem reddendo Christianæ legis iugo suaui, ac onere leui, adeoque ab eius asperitate homines vindicando (hæc enim sunt duo præcipua earum fundamenta) cum tamen Christus a quodam admirante præceptorum eius seueritatem interrogatus, *Domine si pauci sunt, qui saluantur*, Respondens dixerit, *Contendite intrare per angustam portam*, vt ad v.13.c.7. *Matth.* colligit *Mald.* e *Luc.*13.v. 23. & 24. Laxam hi *Viam*, quam Christus *arctam*, &

am-

ampliant *Portam*, quam *angustam* appellauit. Heu nimis vicina sunt virtutibus vitia, vt inter Ethnicos quoque ait *Quint.* lib.2.c.12.lib.3.c.7.lib.8. cap.3. lib.10.c.2. Etenim *maledicus pro libero, temerarius pro forti, effusus pro copioso accipitur &c.* ac post eum S.*Greg.* epist.24. ad Ioan. Const lib.1.Reg. *Sæpe se vitia virtutes esse mentiuntur, vt tenacitas parsimonia, effusio largitas, crudelitas Zelus iustitiæ, remissio pietas velit videri*, quæ verba leguntur dist.41. c. *Sæpe*. Experientia patuit, a trigintaquinque iam circiter annis, suorum quosdã deceptos amore cõmodorum, Iustas Defensiones, Correctiones Fraternas, Placidas, ac Modestas Disceptationes vocasse, & inscripsisse libellos, qui visi sunt verè famosi, verè mordacissimi, satyrici &c. contra verò famosos tamquam libellos proclamasse, & vt tales prohibendos, vel a quorumdam conspectu remouendos curasse, qui reipsa erant Iustæ Defensiones, ac legitimæ iurium suorum expositiones. Obseruandum, quod potuit *Angelus Satanæ transfigurare se in Angelum lucis*, 2.Corint 11.v.15.(quæ verba repetuntur c.*Sanè* de Regul.) apud non paucos Doctores, ac Scriptores hoc sæculo, opinionum LICENTIAM, seu Laxitatem illis suadendo, eò quòd sic faciliùs ad Cælum aditus patuisset fidelibus; nouerat enim callidissimus, hinc LICENTIAM etiam MORVM in Catholicæ Ecclesiæ filios inducendam fore, quam in hoc sæculo inductam deplorat ipsius Ecclesiæ Præses ALEX. VII. Idque potuit Deus permittere ad nostrorum punitionem criminum; sicuti & ad idem permittit quandoque malos Principes 8. q.1. cap. *Audacter.* Equidem quandoque fit, vt propter populorum peccata sinat eos decipi a Doctoribus, non solùm malis 2.Thess. cap.2.v.10. verùm etiam ceteroqui bonis *Ezech.* 14.v.9. & comprobatum fuit in *Acab* Rege Israel 3.Reg.c.22.Hinc reijcitur *Rayn.* lib.2.de Malæ Bon. Eccl. &c. lib.2.cap.10.sect.1. n.37. agens de modo honestè dandi pecuniam pro Beneficio, etiam antecedenter, vel in ipsa Beneficij collatione; vbi nostrorum fælicitati temporum tribuit, quòd *nouæ subtilis Theologiæ beneficio, quę veteres desperabant admitti posse absque exitio animarum, possint modo innoxiè* (exemplum affert in Vsura, Mendacio, ac similibus) *mutata tantum voluntate patrari*. Nam 1. *Sic sugillare videtur* antiquos Doctores, Theologorumque Duces, ac Principes, in primisque *S.Thomam*, & *Scotum*, quasi imbecillis ingenij, quod non perspexerint, mutata tantum voluntate, vt vult *Rayn.* multa fieri a peccato immunia. Potuit ingeniosissimis hominibus id haud occurrere in materia Simoniæ, Vsuræ, ac simili? 2. *Tamquam infelices* deplorandi forent, qui in prioribus sæculis vixere, qui, cum tam facilè potuissent eos a peccatis eximere, qui tunc vixere Doctores, & Confessarij, in hæc præcipites lapsi sunt. Forsan tunc Doctores, & Confessarij fidelium salutis non fuere auidi, vel cupidi? 3. *Infelix fuit Israeliticus populus*, licet Dei populus, quando *falsò Prophetæ vaticinati fuere in nomine Dei, & visionem mendacem, & diuinationem, & fraudolentiam, & seductionem cordis sui prophetauerunt*, vt ait *Ier.* cap.14.v.14.c.27. v.15.cap.29. v.9. & cum falsi erant in Iudæa Prophetæ, vestimentis ouiũ cooperti Matth. 7.v.14. Cum dubitari non immeritò possit, an multi Doctores, & Scriptores valde laxas opiniones consultò amplectantur, ac vulgo proponant *in nomine Dei verè, an mendaciter*, ac illos miserit Deus, & an vt saluentur, an potiùs vt *pereant* animæ fidelium complures, *illudendo eorũ conscientijs cum graui animarum periculo*; non est hæc opinionum licentia nostrorum felicitati temporum, saltem tam absolutè, ascribenda. 4. *P.Claud. Aqu in litt. de Fel. Prog. Soc.* an.1581. die 28. Iun. n.17. & 18. *Maximum omnino Ecclesiæ flagellum* ducit,

cum eos venire permittit Deus, *qui fiunt populo, quasi tuba, & cythara suauè sonans, & plebis aures mulcent &c.* Et quamuis ibi de Concionatoribus loquatur sic adulterantibus Verbum Dei, quos a Concionatoris munere vult omnino remoueri; non minùs tamen est maximum Dei flagellum, cum Deus eos Doctores, ac Scriptores venire permitteret, qui carnaliũ hominum volũtatibus opiniones suauè sonantes, ac mulcentes eorumdẽ cupiditates exponerent, atque forent *consuentes puluillos sub omni cubito manus* Ezechiel. 13. v. 18. (quos *deceptores populi sui* nominat Deus, præmittens v.9. *& erit manus meas super Prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium &c.*) hoc est malè agentibus adularentur; vel *linirent parietem* v.10. hoc est *peccata perpetrantibus* ita *adularentur, vt quod* multi *peruersè agentes ædificarent*, ac potissimè si hi essent Magnates, vel Amicissimi, ipsi *adulantes quasi nitidum redderent*, posse, vel potuisse id tuta conscientia fieri docentes, sicut explicat *S.Gr.* lib.18.Mor.p.4.c.3. ad c.27. Iob, ac reponitur dist.46.c. Sunt nonnulli. Quibus præiuit *S.Cyprian.* ser. de Lapsis; *Cum scriptum sit*, qui felices vos dicunt in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant, *qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit: at qui consilijs fortioribus redarguit, simul atque instituit fratrem, promouet ad salutem*; quos diligo, *inquit Dominus Apoc.* 3. redarguo, & castigo. *Sic oportet, Dei Sacerdotem non obsequijs decipientibus fallere, sed remedijs salutaribus prouidere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus parcente manu contrectat, & in altis recessibus viscerum virus reclusum dum seruat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.* Equidem *Non solet esse blanda, nisi Adulatio; Veritas amara est, rugosæ frontis, & tristis*, ait *S.Hieron.* c.2.lib.2. adu. Pelag. *Verba Sapientum Stimuli* dicuntur Ecclesiast. 12. v.11. quia, vt idem inquit, *Pungunt, non palpant. Si cuiuslibet igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit* audientibus, aut legentibus, *iste sermo non est Sapientis*. Omittitur, quod idẽ tradit c.27. in Ierem. & significat etiam *S.Aug.* c.3. lib.de Pastor. Hæreticorum esse, Cælorum Regna facili negocio peccantibus pandere. Si hoc esset maximum Dei flagellum, an non potiùs infelix Nostrum foret sæculum præ superioribus? 5. *P.Vitell.* in litt.ad Sup.Soc. 4. Ian. 1617. editis hæc habuit. *Nonnullorum ex Societate sententiæ in rebus præsertim ad Mores spectantibus, plus nimio liberæ, non modò periculum est, ne ipsam euertant, sed ne Ecclesiæ etiam Deo vniuersæ insignia afferant detrimenta: Omni itaque studio perficiant, vt qui docent, scribuntue, minimè hac regula, & norma in delectu vtantur*, Tueri quis potest, Probabilis est, Auctore non caret; *Verùm ad eas sententias accedant, Quæ tutiores, Quæ grauiorum, maiorisque auctoritatis Doctorum suffragijs sunt frequentatæ, Quæ bonis moribus conducunt magis, Quæ denique pietatem alere, & prodesse queunt, non vastare, non perdere. Quoniam verò Constitutiones, Decreta, Regulas probè callent de S.Thoma sequendo &c.* Si insignia Ecclesiæ Dei vniuersæ afferre detrimenta potuerunt, ac possunt nonnullorum e Soc. sententiæ, maximè si alij quoque iam amplexi fuissent, & in dies amplectantur, *plus nimio liberæ*; nec qui docent, scribuntue, adhuc desisterẽt ab hac opinionum licentia, valde infelix Nostrum hoc foret sæculum. 6. Id repugnat apertissimè Summi Pontificis sensui, qui acerbè conqueritur de *tot nouis opinionibus hoc sæculo in Moralem Theologiam inductis*; quibus ipse

prima-

primarius Euangelicæ custos, ac præpositus Disciplinæ Euangelicam resolui Disciplinam, & quibus ipse Animarum Vniuersalis Pastor, & ad æternam salutem Director, & quas *Si Lupus comedat*, ipse *de nescientia excusari non potest* c. Quamuis de Reg. Iur. 5. Decret. in fin. e *S. Greg.* Conscientijs cum graui animarum periculo illudi, perspicacissimè animaduertit, ac eo an. 1656. remedium proposuit saluberrimum: Quod, vel simile si diutissimè protrahatur, verendum, ne morbus hic, quem nuncupat OCCVLTVM, in manifestam erumpat gangrænam difficillimæ omnino curationis, ad quam ignem, ac ferrum adhibere sit prorsus necessarium. At dolendum adhuc vehementiùs, si Doctores, ac Scriptores, nulli prorsus crimini sibi ducerent has omnes laxas opiniones vnà collectas omnium oculis exponere, non animaduertentes, quod plurimi eos coementes libros parum cauti etiam forent in ijs amplectendis opinionibus, quas nonnisi certis limitationibus, seu in quibusdam circumstantijs proponunt ex illis Doctoribus nonnulli; quos etiã patet quandoque non integrè, ac fideliter, sed potiùs contra eorumdem sensum, in eiusmodi libris interdum afferri. Quid si aliquis auderet quoque hæresis insimulare eos, qui hanc opinionum laxitatem vituperarent, vel reijcerent (vt iam contigit anno superiori) nedum falsitatis, temeritatis, impietatis &c.! Hæc ne est Romani Pontificis veneratio a Catholicis, atque præsertim Ecclesiasticis debita, in materia potissimè tanti ponderis? HÆC dicta modò sint, nõ in reprehensionẽ illorum, qui sequuntur, aut proponunt opiniones, vt sic probabiles, cum possit etiam contingere, vt opinio vix etiam probabilis in aliquo casu censeri possit prudenter, vel necessariò quoque amplectenda, vnde vix etiam probabilis euadere possit probabilior, & quasi fermè certa; sed in reprehensionem illorum, qui in opinionibus deligendis, vel excogitandis, vel proponendis, ex eo iudicant opinionem probabilem, vel probabiliorem, quòd sit benignior, laxetque conscientias, atq. spatiosam reddere velint viam, & portam, quam arctam, & angustam, vt iam dictum est, Christus asseruit. Acerbiùs reprehendendi tamen ij, qui cum laxas ipsi complectantur, & proponant sæpissime opiniones, siquis eorum etiam principijs innixus nonnulla scribat, vel agat, statim eum notant, quod eas honesti, ac liciti regulas comminiscatur, ex quibus aliquam suis facinoribus excusationem quærat, & quæ ad libidinem elegit, licere deinceps assueueret; vt scripsit quidam Neotericus alteri infestissimus: Atque si nihil aliud quibusdam laxis, vt ipsi arbitrantur, opinionibus opponere valent, statim ad Scandalum confugiunt, vt iam *Not.* 11.

Ad Cap. IX. Introductionis.

45 CVM asserat Pal. sibi notum esse, in omni personarum multitudine, etiam sacrosancta, ac sublimi, quandoque multam coacervari ignorantiam, multasque vigere animorum perturbatione, vt amorem, odium, cupiditatem, metum &c. hinc arguent Protestantes, idem asserendum esse de Congregatis Patribus in T. C. ideoque non potuisse illi Cœtui adesse peculiariter, ne erraret, Diuinum Veritatis Spiritum; Etenim, vt hic adsit peculiariter, debent Concilij Generalis

Patres *facere, quod in se est:* Intelliguntur autem *hoc facere* (sic expresse *Corduba* lib.4.Quæst.Theolog.q.1.Prop.9. *Cum auctoritate Papæ, si viuit, aut verus Papa est, aut aliàs auctoritate legitima eorum, qui Concilium Generale cogere, & celebrare possunt, conuocarentur Pastores Ecclesiarum, scilicet Episcopi, & Viri boni, docti, atque prudentes de tota Ecclesia eligerentur, qui eruditione, & prudentia ad id munus iuuare, & sufficere videntur; Si & ibidem iam congregati cum affectione veritatis, sine priuatis commodis, & affectionibus humanis, Orationibus communibus præuijs diligenter insistant indagandæ veritati Fidei, ac Morum per Scripturas Sacras, atque Doctorum Sanctorum, & Cōciliorum præcedentium auctoritatem, ac per alia huiusmodi, quæ ad prædictum finem visum fuerit expedire: Tunc enim, & non aliter, vt Roffensis contra Lutherum in Prol.v.8. dicit expresse, & noster Horantius de Loc.Theol.lib.2.cap. 11. secundum Hieron. August. Orig. Chrysost. Hilar. Theoph. Matth.*18. *in nomine Christi congregantur, & faciunt, quod in se est, quibus ipse suam assistentiam promisit, nec deficiat &c.* Istane, dicent Protestantes, præstiterunt Tridentini Patres? Illorumne animi a priuatis commodis, & affectionibus humanis fuerunt remoti, & cum sola veritatis affectione ad condenda, & Fidei, & Morum decreta impulsi fuere? Ipsamet Pal. Historia latè indicat quales, & quot fuerint Patrum propensiones sæpe, tum in Pontificem, tum in Principes, tum in propria commoda &c. Nec enarrat, quàm diligenter Patres T. C. Orationibus institerint, & quàm frequenter; cum tamen exponat fusè cōtentiones ortas inter Patres, & nonnullas etiam admodum graues &c. Vtinam Pal. nunquam huius cap. initium edidisset; nam non hæretici tantùm sibi in posterum suadebunt, hæc vitia non abfuisse a Tridentinis Patribus; verùm & Catholici ipsimet non leuem hinc offensionem pati queunt; nam suspicari eadē plures queunt, tum de laudatissimis Regularium Cœtibus, tum de Apostolico Senatu, tum de sacris Eminentissimorum Congregationibus; immo etiam de Conciliorum Generalium quorumcumque Patribus, ac in primis Tridentini: Quæ suspicio adhuc faciliùs occurret ista duo Pal. Volumina legentibus: Hæc tamen erit omnino irrationabilis, & a Nobis Catholicis statim repellenda, cum Tridētini Patres, quamuis vt homines varijs animorum humanis affectionibus fuerint obnoxij, in Decretis tamen Fidei præsertim condendis priuatas quaslibet propensiones publico Ecclesiæ bono posthabentes, vnicè Catholicas Veritates proponere, solidamque Reformationem statuere, sibi proposuerint; tunc enim non vt puri homines decernebāt. EX HOC quidem Pal. ASSERTO inferri potest; ex eo quod fermè vnanimiter eiusdem Communitatis, Vniuersitatis, Regularis Ordinis, etsi multæ existimationis, homines conueniant ad aliquid agendum, decernendum, opinandum &c. non fieri, vt illud probandum, vel etiam probabile sit. Vt fidem sibi conciliet multitudo, non debet partium affectibus, vel inuidia excitari, non passione, sed ratione duci. Addit *Rayn.* Partit.3. Erot.2. de Mal. ac Bon. lib.num.472. *Multitudo numerosior eò facilior est, vt in partes scindatur, & vt de dogmatibus, aut libris* (& sic de aliorum gestis, similibusque) *non ex iudicio, sed ex affectu, aut ad gratiam per nundinatitia capita pronuncietur: Quod quam sit frequens in huiusmodi Cœtibus, nihil attinet demonstrare*, Idem scitè Erot.3.num.493. postquam ostendit, vbi *affectus, & odia iudices, & Censores occupant, nihil aliud, quam iniquitatem iudicij expectandam esse*, subiungit; *Ex ea porro necessitate vacuitatis affectuum malignorum in Censoribus* (in Iudicibus, alijsque consibilibus) *consequi videtur, minus aptos ad pronunciandū*

de

de alienis libris (factis, dictis &c.) *nisi Deum præ oculis intensissimè habeant*; *quosuis in vnum corpus confertos, quàm cæteros ea multorum multitudine liberos; nihil enim procliuius, quam vt amor, aut odium, quo corpus erga aliud corpus, vel vnum ex eo aliquem* (siue etiam quemlibet alium) *flagrat, a Censore eidem corpori conserto ad librum Auctoris adamati, vel exosi* (ad factum, dictum &c.) *transferatur, itaut quod habet Suidas verb. Bizantium de septem Bizantinis Turribus, in quarum primam si tnclames, omnes resonant, idem de quibuscumque ad eumdem Cœtum pertinentibus valeat. Omnes iysdem odijs flagrant, & iysdem illaqueantur amoribus, præsertim si agi communis causa videatur, & Cœtus honos periclitari existimetur. Itaque non aliter statuendum est in hoc negotio, quam cùm de opinionibus, & placitis agitur. Vt enim monuit Maior in 2.dist.1.q.4. Religiosi eiusdem Ordinis, quamuis multi, non habentur idonei ad conciliandam probabilitatem sententiæ, quia ob affectum, & communis honoris curam fœderantur, nec habentur, vt plures.* Sic quoque *Virginius Aluiset* ex Ord. S.Bened. Monast. Lyrin. Vir valde ingeniosius, & Auctor, nō Rescriptor, sect.4.Muren.Vermic. dub.3.num 21. inquit, *Inter eos, qui rem ex professò tractant, Ego puto secundò attendendum esse ad eorum conditionem; nam si sunt eiusdem sectæ, etiamsi mille forent, non reputarem tamen, nisi pro vno, vt sunt Thomistæ, Scotistæ &c. Omnibus enim non est, nisi vnum os, & vnus calamus; vnde, sicut ego dixi superius (num. 17.) non facere eorum numerum opinionem communem, sic neque multitudo reddit probabiliorem.* Hinc prudentissimè prorsus tres Legati Pontificij Cardinales in Admonit. atque Hortat. ad T.C. Patres, de qua *Not.* 41. ita eos fuere allocuti; *Quia verò hoc Concilium, cùm deliberantium, tum verò iudicantium speciem refert, in quo & deliberatur de iys, quæ ad Vniuersalis Ecclesiæ bonum pertinent, & etiam iudicatur, tam de rebus, quàm de personis; sedemus enim, tamquam iudicantes duodecim Tribus Israel, quibus comprehenditur vniuersus populus Dei. Itaque maximè locus videtur nos ipsos admonendi, vt caueamus ab his, quæ vel consultandi, vel iudicandi vim in nobis deprauare solent. Hæc verò sunt ipsæ animi passiones, quæ ideo etiam perturbationes vocantur, quia rectum, & verum de rebus iudicium, & sensum perturbant, ac peruertunt: in quibus maximè illa sunt cauenda, quæ rectè monet Ethnicus ille in consilijs abyicienda, cum dicit*, omnes homines, qui de rebus dubijs consultant, ab ira, odio, amicitia vacuos esse debere: *Nam cum in hac omne genus hominum sit propensum, tum verò ij maximè, qui PRINCIPIBVS SERVIVNT; tales enim vehementiores habent affectiones; facillimè autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium, prout scilicet ipsos existimant Principes affectos esse, a quibus mercedem expectant. Cum verò de Principibus loquimur, tam de his, qui Ecclesiastici vocantur, quam qui Sæculares, loquimur &c.* Non deprauauerunt profectò hæ affectiones animos Patrum T.C. siue deliberantium, siue iudicantium: At quod deprauauerint in illis vim deliberandi, & iudicandi, suspicionem mouere queunt hoc in loco verba Pal. & præcipuè cum adiunctis in Hist. Volum. apud vulgares homines, Catholicos quoque, si ista, & illa, legerint: Inter hos autem possunt esse complures *Clamydati*, vt loquitur *Seneca* c.2. de Vita Beata; ex quo illud P. *Datur etiam Regum Vulgus* init.cap.9. Prætermittendum fuisse pariter multis videtur, quod habet c.subseq. de Schismatis excitandi periculo, si in Generali Concilio examinaretur quæstio, *An Pontificia, an verò Conciliaris auctoritas præferenda*; Etenim, vt ipse n 15. cap.postr. lib.12. apertè scribit, si Patres pro Conciliari decreuissent, vel decernerent, Pontifices pro Pontificia

statuis-

ſtatuiſſent, ac ſtatuerent; id ſiquidem oſtendit, vel Pontificem, vel Generalis Concilij Patres propria commoda, humanaſque affectiones ſecuturos, Veritatis lucem non reſpicientes, quam procul dubio Diuinus Veritatis Spiritus impertiret in tanti ponderis controuerſia, ſi quandoque examinanda cenſeretur. O quàm ſæpe peccatur in verborum effuſione, in quam haud propenſi ſunt homines verè ſapientes, qui non omnes, licet veros, animi ſui ſenſus verbis, aut ſcriptis, cum hi audientium, vel legentium commodis non futuri ſunt neceſſarij, vel opportuni, & multò magis ſi vulgo noxij, exponunt &c.

46 Non omnino veritati conſentaneum videtur, quod Epiſcopi antiquioribus ante T.C. ſæculis, ſicuti poſtea, haud fuerit agniti cæteris communiter poteſtate, ac dignitate præſtantiores; patet enim Eccleſiaſticas legentibus Hiſtorias, eruditiſque viris, Epiſcopos ſibi reddidiſſe obſequentes in multis Principes, Reges, ac Imperatores ipſos; ex his nonnullos inconſultis Epiſcopis multa ágere, ac ſtatuere non auſos fuiſſe; ſingularem eiſdem honorem detuliſſe, ſinceroque illorum iudicio tantum tribuiſſe, vt Ciuiles, Criminaleſque Laicorum etiam cauſas eidem commiſerint c. *Quicunque* 11. q.1. e *Cod. Theod.* lib.16. de Epiſc. iud. l.1. §. *Quicumque*; Quæ lex renouata fuit a *Carolo Magno* lib.6. Capit.c.281. ac reponitur ibid. poſt c. *Omnes* in c. *Volumus*; quam Legem ait *Fran. Tur.* e S.I. lib.3. pro Epiſt. Pontif. contra Magdeburg. in fin. c.11. abrogatam fuiſſe propter verba *S. Petri* ad *S. Clementem*, vt legitur in Epiſt. eiuſd. ad *Iacob.* fratr. Dom. quæ collocata ſunt ibid. cap. *Te quidem*. Præter ampliſſimos reditus, & Laicalem amplam iuriſdictionem, qua potiuntur Epiſcopi complures in complurib. Caſtris, Oppidis, Ciuitatibus in Gallia, Hiſpania, Germania, Polonia, vt omittatur modò Anglia, Scotia, &c. cum obtinuerint a Principibus, & Populis, ita vt ad Regnorum Comitia Epiſcopi conueniant, etſi de temporalibus ijs agatur, tanquam vna pars, & primaria Ordinum; Quis non videt, luce meridiana clariùs, id indicare, eos a Populis, & Principibus longè alijs dignitate, ac poteſtate excelſiores habitos etiam ante T.C.? Verum quidem eſt, vbi Cardinalibus principaliter fuit commiſſa Romani Pontificis electio e Romani Concilij Decreto ſub *Nicolao II.* an.1059. Menſ. April. (hoc legitur c.1. d. 23.) vt aduertit etiam *Sigon.* ad eum annum, auctam fuiſſe Cardinalitiæ dignitatis venerationem; quæ & maior cum e Decreto Concil. Lateran. an.1179. ſub *Alex. III.* (hoc inter Generalia numerari ſolet) quod extat c. *Licet de vitanda* de Elect. confirmatum fuit, quod ſoli Cardinales Romanum Pontificem eligerent; & præſertim ſtante Decreto *Steph. IV.* in Conc. Rom. an. 769. quod reponitur diſt.79. cap. *Oportebat*, vt Pontifex eligeretur ex Cardinalibus, Presbyteris, aut Diaconis (quod tamen ſæpe non ſeruatum, præter Hiſtorias Eccleſiaſticas cuique obuias, refert *Maiolus* de Irreg. lib.1. c.4. & ſeq. nec ſeruandum tradunt, cum extra Cardinales alius dignior inuenitur, docent *Sot.* lib.3. de Iuſt. q. 6. art.3. nec non *Henriq.* S.I. lib.10. cap 27. n.2. in fin & litt. S. in Papam enim, inquit, eligendus eſt vir digniſſimus totius Orbis) Quis non videt, quam ſublimis honos Cardinalibus ab eo anno tribuendus fuerit? Equidem vbi Cardinalium quoque conſilio cæpit Eccleſia gubernari, remoto Epiſcoporum Concilio; conſueuerant enim plurimarum Epiſcopi Prouinciarum ad diem 29. Septembris ſingulis annis Romam ad Synodum celebrandam conuenire, vt inter alios poſtremò obſeruat *Simon. Strauolſ.* Primic. Taruon. in Epit. Concil. Romæ edito an.1653. dicatoque *Innoc. X.* ad *Leon. I.* pag. 61. Tunc eo mucro imminutus maximè honor, qui Epiſcopis exhibebatur, amplificatuſque

Cardi-

Cardinalium honos duplici iam nomine, & quod soli R. P. eligerent, ac Vniuersalis Ecclesiæ regimini vnà cum R.P. vacarent, iuxta tamen ipsius præscriptum. Hinc quippe factum, vt Episcopi non solum postponerentur Cardinalibus in subscriptionibus, sedibus &c. Verùm etiam illis inseruirẽt in domibus &c. quod fuit vetitum dilucidè in Concil. Later. post. sess. 9. a *Leone X.* in Bulla Reform. Curiæ §. *de Cardinalibus* n 2. Vbi etiam honor quidam exterior Episcopo Episcoporum (quo nomine decorabatur Romanus Pontifex, tempore etiam *Tertul.* vt colligitur e c. 1. lib. de Pudic.) communiter maior, quam antea, deferri cæpit propter eius potentiam quoque in temporalibus ipsis, ac potissimè vbi *Greg. VII.* (quem inter Pontifices triginta quos Ecclesiæ dedit, numerat omnium Occidentalium Ordinum Princeps *S. Benedicti* Ordo) anno 1080. cæpit etiam Imperatores deponere, quod & alij postea Pontifices egerunt; minori, quam antea, honore in litteris quoque ipsis, vt patet legentibus ipsum quoq. Decretũ Gratiani, cæpit R.P. Episc. prosequi, ad quod nonnulli quoque Episcopi propter auaritiam, & ambitionem (vt obseruat *Ioan. Franc. Picus* Mirand. Dom. & Concord. Comes Ioannis Nepos Theor. 8. de Fid. & Ord. Cred. ad *Iul. II.*) operam contulere Pontificibus adulantes, ac seipsos nimis abijcientes; vt omittatur, quosdam e timore quodam gradum suum non retinuisse. Tunc verò censetur decreuisse potissimùm honos Episcoporum, quando initium dederunt Pontifices Beneficiorum reseruationi, & collationi: Quamuis enim concedatur, R.P. amplissimam habere in Beneficijs omnibus potestatem c. *Licet* de Præb. in 6. & *Clem. I.* vt Lit. Pend. attamen, vt cum *Aenea de Falcon.* in trac. de Reseru. Benef. aduertit *Azor.* e S.I. p. 2. Instit. Mor. lib 6 init. c. 39. illa non videtur orta, nisi post *Gratiani* Decretum, quod prodijt ann. 1151. Quam præ cæteris ampliorem videtur fecisse *Bened. XII.* ex Ordine Cisterciensi an. 1335. Ian. 11. in Extrauag. *Ad Regimen* inter Extrau. com. de Preb. cui *Ioan.* facem prætulit in Extrau. ibid. *Execrabilis* condita an. 1317. Nou. 19. quas ambas, aliasque similes Apostolicas Constitutiones, & Regulas Cancellariæ circa Reseruationes, exceptis quæ continebantur expresè in Corpore Iuris, *Conc. Basil.* sess. 12. an. 1433. Iul. 13. irritas in posterum declarauit; quod Decretum iterum explicauit sess. 23. an. 1436. Mart. 25. licet irritè e communi sententia; Verùm expresè postea eandem Reseruationem confirmauit, ac declarauit *Paulus II.* in Extrau. ibid. ad *Romani Pontificis* edita an. 1467. die 1. Septembris. Sic etiam idem *Azor.* init. c. 32. *De Mandatis Apostolicis*, hoc est, *omnibus Rescriptis, quibus Summus Pontifex iubet Beneficium alicui conferri*, vsum eorum ait inchoatum videri *Alexandri III.* tempore, hoc est, circa finem duodecimi sæculi; nam *olim Episcopi singuli Beneficia dispensabant, quorum auctoritati in beneficijs conferendis aliquid derogare veteres Romani Pontifices noluerunt* propter rationes, quas ibi postea exponit. Sic etiam ait c. 31. *Modus, quo alicui in perpetuum commendatur Ecclesia, res noua est, & præter Canones, vsu, & consuetudine in Ecclesiam inducta*; & hoc solùm potest Romanus Pontifex; nam Episcopi sola beneficia curam animarum habentia, & ad sex menses tantùm, commendare queunt c. *Nemo* de Elect. in 6. Etiam post annum 1200 (dumtaxat enim cap: *Si quis suadente* 17. q. 4. Reseruatio Excommunicationis Pontifici anno 1139. facta fuit in Concil. Later. sub *Innoc. II.*) cæperunt Romani Pontifices multorum criminum, & multarum excommunicationum absolutionem sibi peculiariter reseruare, sicuti & dispensationem, & commutationem in quibusdam votis, iuramentis &c. Canonizatio, ac Beatificatio Sanctorum

reser-

reseruari cæpta sub *Alex.* III. c.1. de Reliq. cum cæteroqui, in sua tamen Diœcesi, concederetur ab Episcopis Religiosus, publicusque cultus nonnullis, qui cum sanctitatis, vel martyrij fama obierant. Sic etiam illis adempta Religiosorum approbatio Ordinum sub *Innoc.* III. cap. fin. de Relig. Dom. & sub *Greg.* X. c.1. eod. tit. in 6. Appellationes a foro Episcopali adeo frequenter admissæ in causis, quæ propriæ erant illius (de quo non semel *S. Bern.* alijque sancti, doctique Viri conquesti sunt, sicut eruditis notum est hominibus) ad Romanam Curiam, vt extra illam vix necessarius foret Ecclesiasticus Iudex, qui sententiam ferret vltimam. Episcoporum iurisdictioni omnes fermè Regulares subtracti Ordines, eaque Priuilegia his concessa, vt ad Episcopos confugere vix illis opus foret. Similiter complures e Clericis Sæcularibus ipsis, sicuti & Laici quidam, ab illorum iurisdictione exempti. Episcoporum iurisdictio alijs cumulatiuè tributa, quæ propria erat illorum muneris, ac ex iure communi debita. Multi pariter Episcopi pensionibus pressi, ita vt apud subditos quoque dignitatem suam retinere non possent. In Romana quoque Curia Episcopi non multo habiti in pretio, cum ibi Cardinales post Romanum Pontificem dominarentur, & illa etiam de causa, quod Generalia Concilia diu intermissa fuissent &c. Quapropter non mirandum, quod Populi, & Principes minori honore, quam ante millesimum, Episcopos prosequerentur, quibus ablata in tot, vel imminuta pristina auctoritas, eaque in solo Romano Pontifice, Romanaque Curia in plerisque reposita; Quibus accessit, quod solus Romanus Pontifex cæperit PAPA nuncupari; cum tamen prioribus sæculis commune foret Episcopis, immo & Sacerdotibus sanctitate, vel doctrina insignibus; cæperint quoque Principes ipsi solius R.P. Pedes osculari; cum tamen hic honos esset communis cum Episcopis, vt colligitur e *S. Hier.* epist. 61. adu. error. Ioannis Hierosol. *S. Ambr.* c. 2. lib. 2. de dignit. Sacerd. nec non *S. August.* serm. 18. de verb. Apost. ac præterea P.R. solus insignibus IMPERIALIBVS vteretur; receptum enim fuit Decretum Cuncilij Romani an. 1076. sub *Greg. VII.* de quo paulò ante, de tribus hisce honoribus priuatiuè quoad alios Romano Pontifici tantum impertiendis, vt animaduertit *Coriolan.* in Breuiar. Chronol. in vita *Greg. VII.* ex *Baron.* ad eumdem annum. Meritò igitur teste Pal. Rex Catholicus *Episcopos* ante Tridentinum Concilium nuncupauit *Parochos*, at ab illo subiunxit *reipsa produsse Episcopos*; plurima siquidem Episcopis adempta fuere reddita, eorumque iurisdictio amplificata: Non obtinuerunt tamen illi, vt definiretur (neque enim de hoc controuersia erat cum hæreticis, sed quæstio inter Catholicos) quod hæc in vtroque foro Episcopis cōferatur Iure Diuino immediatè, sequaturque tanquam proprietas Episcopalem Ordinem, nisi impediatur, vel limitetur a Romano Pontifice, quamuis illa diu fuerit agitata in T.C. de qua latè Pal. lib. 18. & 19. ex ijs enim, quæ declarauit sess. 23. c. 4. & Can. 6. nihil de illa certi posse colligi censetur fauens Episcopis: Immo plerique Theologi post T.C. ediderunt, *auctoritatiuè*, & non tantummodo *ministerialiter* vtramque a Summo Pontifice haberi: Quare multò minùs admissa fuisset opinio, *quod tanta sit Episcoporum in suis Diœcesibus Iurisdictio, quanta est Papæ in toto Orbe, nisi specialiter ex lege, vel consuetudine præscripta illa peculiariter coarctetur*; quæ vt decerneretur in T.C. aliquos tentasse, tradit *Paulus Donatus* Ord. Carmel. c. 7. tr. de Iur. Elig. Minis. Eccl. qui dum hanc erroris notat, erroris pariter notat non paucos e Canonistis, qui secuti sunt *Glos.* in c. *Nuper* de Sent. Excomm. verb. *Non retinuit*, ac etiam e Theologis, quos recenset, ac sequitur e S. I. *Henriq.*

lib. 12.

lib.12. c.3.lit.N. qui & idem significauit priùs lib.10.c.105. & lib.6 cap 5. lib.2. ac nouissimè ex eadem Soc. *Ioan. Dicast.* lib.1. de Iust.disp.3.dub.14. num.175. Cum igitur ante nullum approbatum penitus a Catholicis Generale Concilium Episcopalis Iurisdictionis vires ita fuerint debilitatæ, quemadmodum ante T.C. valde fuit laudabile, quod ab eodem illæ repararentur, iustè, vnàq. prudenter Romanis Pontificibus Episcoporum votis suffragantibus. An verò aliqua iam in T.C. Episcopis concessa, vel restituta, fuerint deinde reuocata a R.P. ab ipsismet Episcopis petendum est. Aliquas de Reformatione leges potuit experiētia docere non esse salutares; & in illis qui idē ferendis nos ipsimet Catholici vltro fatemur, non idem promissum Cæleste Lumen, quod in condendis Fidei, ac Morum Decretis. Negligentiæ nominatim suæ ascribant Episcopi, si quandoque Romani Pontifices ante T.C. in nonnullis derogauerint ipsorum iurisdictioni, eamque, vel priuatiuè, vel cumulatiuè, alijs concesserint, vel sibi reseruauerint, aut post T.C. adhuc derogarent. Peculiariter quidem in eodem actum est de MODERANDA REGVLARIVM EXEMPTIONE ab Episcopali Iurisdictione, & a quibusdam nimis acriter enimuero, præsertim cum illorum opera indigerent Patres ad statuenda Fidei dogmata, vtpote quia in Regularibus vigeret Theologia, sicuti Legatos Pontificios ad *Paulum III.* scripsisse refert P. lib.6. c.2. num.1. post cæptam Sessionem primam Tridenti. Regulares quidem iuxta *Chalced.* Concilij Can.4. celebrati an.451. repositum 16. q 1.c. *Qui verè*, fuere omnino Episcopis subiecti; primaque exemptio fuisse dicitur a *Yep.* in Chron.Bened.ad an.564. facta Monasterio S.Mariæ, nunc S.Medardi Suessionensis, a *Ioan. III.* ac deinde in nonnullis concessa vniuersis Monachorum Monasterijs a *S. Greg.* Papa in Conc.3. Romano an.601. propter Monachorum quietem, vt exponitur etiam 18.q.2. c. *Quam sit*, cui subnectitur ad idem c. *Luminoso*; Ab alijs verò Pontificibus eadem in omnibus fere aucta: Qua etiam frui cæperunt Ordines Mēdicantes *Fratrum Prædicatorum, & Minorum*, vbi alter ann.1216. alter 1223. ab *Honor.III.* fuere confirmati; hæc autem extensa ad omnes alios Mendicantes Ordines, qui post istos fuere instituti, ac in primis ad Ordines *Heremitarum S. Augustini*, & *Carmelitarum* approbatos in Concil. Lugdun. a *Greg.X.* ann.1274. ac deinde ad alios Clericorum Regularium Ordines, quorum primus fuit an.1525. a *Clem.VII.* probatus, qui vulgo dicitur *Theatinorum*; vt omittantur Ordines Canonicorum Regularium, quibus eadem fermè priuilegia elargiti fuere Summi Pontifices, quæ tributa Monachis, qui dicuntur Cassinenses; quibus enimuero amplissima dederunt Romani Pontifices, quibus fruuntur alij Ordines eamdē S. Benedicti Regulam profitentes. Ad huiusmodi Exemptionis Priuilegia R. P. fuere impulsi. 1. A desiderio Religiosorum quietis, vt faciliùs Monachalibus, ac Regularibus suis legibus, & statutis sine vlla perturbatione seruandis insisterent. 2. A non opportuno, sed potiùs sæpe noxio, Episcopali Monasteriorum regimine, cum Episcopi, & alijs essent detenti curis, etiam Pastoralibus, & non raro Regularis disciplinæ rudes, quæ propriam gubernandi formam exigit. 3. A remuneratione singularium profectò a Monacalibus, & Mendicantibus Ordinibus multis collatorum in Ecclesiam Vniuersam, Romanamque Sedem Beneficiorum, cum ab illis mirificè Christiana, & Catholica Fides propagata, ac defensa fuerit, sicuti & inter Catholicos pietas amplificata. 4 A subtrahenda occasione Episcopis semel subtrahendi Romani Pontificis iurisdictioni, adeoque Schismatis excitandi, vt non semel contigit, cum scirent in suis Diœcesibus mo-

rari multos, & populis gratos ob ipſorum pietatem, doctrinã, & opera in proximorum ſalutem, qui contra eos R.P. auctoritatem tuerentur. 5. A non beneuolo, ſed potiùs infeſto Epiſcoporum, ac Parochorum Religioſis Ordinibus, ac præſertim Mendicantibus, animo: Epiſcopi ſiquidem complura illis aggreſſi fuerunt inferre grauamina, quę numerantur Vigintiſeptẽ a *Greg.IX. Honorij* ſucceſſore in Decretalibus promulgatis an.1235. c.penult. ac fin. de *Exceſ. Prælat.* quibus alia triginta leguntur collocata in *Clem.* c. vnic. tit. eod., (Clementinæ tamen ſolùm an.317. Octobris 24. fuerunt a *Ioan. XXII.* promulgatæ) a quibus Prælatos abſtinere iuſſit vterque Pontifex *Gregor. IX.* & *Clem.V.* Qui & declarauerat, Ordines Prædicatorum, & Minorum peculiariter inſtitutos fuiſſe in Eccleſia, *tanquam cooperatores Epiſcoporum, & Parochorum in Prædicationis officio, in Confeſſionibus audiendis, ac ſimilibus*, vt habetur in fin. Clem.2. de ſepult. (quæ & reponitur eod. tit. inter Extrauag. Com.) approbata in *Vien.* Conc. an.1311. Et *quidem in veritate fidem noſtram fuiſſe illuminatam per Mendicantes Ordines, & Eccleſiam exaltatam per eoſdem, ac præſertim per Ordines Prædicatorum, & Minorum, vt iura teſtantur*, inquit *Sixtus IV.* de treg. & pac. inter Extrauag. com. c.2. *Vt vices*, reprehendens Parochos quoſdam, qui aſſeruerant, a Mendicantibus Ordinibus hæreſes proceſſiſſe. 6. A Sedis Apoſtolicæ exaggerando honore; nam decorum eſt illi valde, multos, & ſelectos quoſdam homines, habere ſibi immediatè ſubiectos. Hinc & prudentiores T.C. Patres, & prudentiſſimi P. R. ſolùm voluerunt, vt aliqua moderatio Regularium Priuilegijs adhiberetur, cum & nimis coarctata videretur Ordinariorum iuriſdictio, & plurimi abuſus irrepſiſſent e multorum vſu Priuilegiorum; quæ licet meritò nonnullis Ordinibus tributa olim, non videbantur modò æqua arg. c. *Suggeſtum* de Dec. maximè cum eadem fuiſſent alijs fere omnibus impertita, licet non valde de Eccleſiá benemeritis. ADHVC TAMEN Regulares complurium a T.C. reuocatorum Priuilegiorum reſtitutionem impetrarunt a Summis Pontificibus; quin etiam OMNIA dicuntur in Foro Interiori illis communicata a *Pio V.* an.1566. Mart.13. tribus ſcilicet annis poſt T.C. peractum, vt colligitur etiam e lib. *Priuileg. Soc. Ieſu* verb. *Concilium Tridentinum* n.3. NEC DESVNT, qui doceant, Nullum prorſus priuilegium Regularibus fuiſſe ademptum a T.C. cum ſeruata non fuerit forma omnino neceſſaria ad illorum derogationem, vel abrogationem; & addunt, Nulla pariter Viuæ Vocis Oracula Regularibus ablata a Bullis *Greg.XV.* an.1622. Iul.2. & *Vrb.VIII.* an. 1631. Dec. 20. niſi ad ſummum, quæ a *Leone XI.* a *Paulo V.* emanaſſent. SVBIVNGVNT præterea; poſſe etiam probabiliter ſuſtineri, nullum prorſus, nec a Tridentino, nec a Summis Pontificibus, reuocari poſſe Priuilegium Regularibus conceſſum, ita vt ab illo teneantur abſtinere propter ampliſſimas conceſſiones circa formam ſeruandam in Priuilegiorum, quæ Regularibus elargiti ſunt R.P. reuocationibus; inter cæteras autem eſt ampliſſima, & a multis ignoratur, an amplior habeatur, conceſſio *Pauli V.* facta præſtantiſſimæ SOCIETATI IESV an. 1606. Septembris 4. (hoc eſt, tribus menſibus circiter poſtquã e quadã Catholica regione diſceſſerunt illius Religioſi) cuius initium, *Quantum Religio Societatis Ieſu &c.* Exceptis tamen ad ſummum Priuilegijs *ex Contractu Oneroſo, ſeu Lucratiuo*, qualia obtinuerunt Caſinenſis, aliæque Monachorum Congregationes, dum pro ſolutione quadringentorum millium auri ſcutorum ſumma, quos Cameræ Apoſtolicæ dederunt ann. 1571. Aprilis 20. Cardinalis illi Præpoſitus *Pij V.* nomine iurauit manuten-

tionem

tionem Priuilegiorum omnium, iam & ipsis, & Mendicantibus Ordinibus concessorum; pro quorum etiam Manutentione cum Exemptione, in singulos annos Procurator Generalis Congregationis Casinensis iuxta Constitut. *Eugenij IV.* die 23. Februarij 1434. quam innouauit etiam *Sixtus IV.* die 24. Augusti 1474. soluit quotannis vnam auri vnciam, & sub hoc titulo in Camera Apostolica acceptatur; Exceptis, inquam, ad summus his; minùs probabilis videtur hæc opinio: Illas siquidem formas præscripserunt R.P. seruari in eiusmodi reuocatione Priuilegiorum, vt monerent, illa nonnisi e graui causa esse reuocanda; Sicut enim in sacris Codicibus ipsis Hyperbolicæ quędam locutiones sunt, vt aduertit *Mald.* ad v. 24. Matth. 19. & consimiliter ad v. 24. eiusdem Matth. c. 24. vnde quod ibi designatur, vt impossibile, significatur, vt valde difficile, & sic etiam apud I.V.C. est receptum illud Axioma, *Impossibilium, & valde difficilium idem est iudicium*, de quo *Barb.* Axiom. 118. Sic ad ostendendum, quod successores Pontifices non debeant esse faciles ad reuocanda huiusmodi Priuilegia selectis potissimè nonnullis Ordinibus, quibus plurimum Christiana Respublica, Catholicaque Ecclesia debet, illas præscripserunt formulas; Ad quas seruandas improbabile videri potest, vt Sapientes, Prouidique Pontifices (prærerquam illæ potuerunt addi quandoque ab his, qui Bullas conficiunt, ad id etiam muneribus adducti ab easdem petentibus nonnullis, Pontificibus omnino inconsultis, qui has recognoscere non solent, vbi in Cancellaria descriptæ) voluerint ita Successores obligare, vt aliter eorum irrita foret penitus reuocatio, cum illæ sint de iure positiuo, ac voluntariè concesæ; immo nec potuerint id agere; cum nullus Pontifex possit a se, multòque minùs a Successoribus, abdicare supremam potestatem, quam ex Iure Diuino habet decernendi illa, quæ sunt necessaria, aut valde opportuna bono Ecclesiæ spirituali? Quis autem non videt, horum reuocationem Priuilegiorum censeri posse interdum necessariam, aut valde opportunam spiritualibus Vniuersalis Ecclesiæ commodis, quæ Summi Pontifices ante cæteros perspecti habent? Quis præterea non obseruat, esse indecens, & incongruum prorsus, vt Pontifices in reuocandis maximè Priuilegijs sibi subditis concessis, seruare teneantur talem formam, qua si vellent vti, longissimæ Bullæ essent conscribendæ? Immo etiamsi dicerentur omnia Regularium Priuilegia esse *Remunerationis Titulo* concessa (quod tamen de concessis quibuslibet Ordinibus minimè asserendum videri potest) vt prætermittatur, quod beneuolentia in aliquos, ac liberalitas potuerit esse nimis effusa; ista additio de seruanda tali forma, ita vt secus irrita sit reuocatio, iuxta legitimam Legislatorum mentem (propter quam amplectenda significatio verborum impropria quoque, ac restringenda, vt fert communis sententia apud *Suar.* lib. 6. de legibus c. 1. n. 17. & c. 5. n. 3. Mens autem illegitima est, si e lege lata iniquitas, vel alia similis absurditas sequatur &c.) Sic explicanda, ac limitanda est, vt nihil sequatur repugnans supremæ R.P. potestati, & auctoritati, venerationi, obsequioque a Regularibus in primis eidem debito: Quin etiam in omni Priuilegiorum concessione, ac subditis nominatim, tacitè includitur hæc conditio semper, *Nisi talis Concessio vergat deinde in damnum graue Successoris Principis, vel Principatus*, vt idem sapientissimè *Suar.* lib. 8 c. 27. n. 3. & 5. Hoc autem potest etiam contingere, cum remuneratio est excessiua; tunc enim potest, immo quandoque debet, ipsemet Princeps, vel successor, tollere excessum in donationibus suis, vel prædecessorum. Sic prodigas donationes aliquas reuocasse Reges, ac Principes multos, ac inter e-

Carolum V. Philippum II. ac III. Catholicos Reges afferunt complures apud *Dian.* part.8. tr.6. resol.18. qui & resol. 123. post I.V.C. sententiam de hac re, tanquam communem relatam, ex *Frag.* de Repub. p.1. lib.3. d.51. n.46. sic habet, *Stante publica vtilitate, Priuilegia, quæ Regale Patrimonium maximè lædunt, sunt rescindenda, etiamsi Priuilegium, vel donatio iuramento firmaretur, vel firmatum fuisset*; seu *quando Bona donata, vel Priuilegia nocent Regi, aut publico bono*. Cum autem Princeps reuocat, seu tollit priuilegium remuneratorium, seu donationem in eo, in quo fuit excessus, siue suus, siue suorum antecessorum, ad nihil prorsus tenetur; quin etiam putat *Suar.* num. 6. fortè non esse debitam compensationem ex Iustitia, cum Princeps tollit absolutè priuilegium, seu donationem ex remuneratione. Hæc sanè magis vrgent in Pontificibus respectu Regularium, qui non solùm, vt Christiani, & Ecclesiastici, sed etiam vt astricti voto Obedientiç peculiari, ante cæteros omnes Prælatos Regulares tenentur obedire Rom.P. e communi opinione apud *Sanchez* lib.6. Mor. c.1.n 9.10.& 11. At inter Regulares ipsos ad id potissimè obligantur, qui e Regularum, seu Constitutionum præscripto suum debent iudicium, suamque voluntatem Superioris sui iudicio, ac voluntati conformare, cædentes iuri contra Superioris sui sententiam vtendi opinione probabili, vel etiam probabiliori, vt indicat sapienter *Caram.* in Reg. S.Bened. in fin.num.562. ac ingeniosè iterum explicat num.1582. 83. 84. Nemo autem non videt, esse euidens signum voluntatis Pontificum adimendi talia priuilegia Regularibus concessa, si apponant clausulas, *Non obstantibus &c. Etiamsi specifica, indiuidua, & de verbo, & ad verbum essent inserenda*, ac similes. Etiam Principes sibi suadere poterunt, priuilegia Pontificia sibi concessa nunquam esse reuocabilia, & adhuc multò minùs, si e contractu Oneroso, licet expresè affirmarent Pontifices, illa semet reuocare; nec poterunt meritò redargui a Regularibus, si adhuc ijs vterentur, cum Regulares præirent exẽplo, vel doctrina de suis; quãdoquidem illorum maiores fuerunt, & ipsi quoque sunt de Catholica Fide, ac Romana Ecclesia quam optime meriti, profusione etiam sanguinis, vel suo, vel suorum, & non duntaxat thesaurorum, nec sint adeo subiecti R. P. sicuti Regulares. Ista certè opinio reddere debet Pontifices in posterum cautiores in non inferendis suis Bullis talibus formis in reuocationibus quorumcumque priuilegiorum, quæ deinceps largientur, adhibendis; eosque præterea impellere ad declarationem authenticam (maximè cum inter Canonistas ipsos possit esse de hoc controuersia, vt colligitur ex ijs, quæ habet *Felin.* in c. *Nonnulli* de Rescript. a n. 23.) quod similes formæ non efficiunt, quò minùs sint validæ reuocationes, ijs minimè seruatis, priuilegiorum ex liberalitate, vel titulo cuiusque gratitudinis concessorum Regularibus quibuslibet Ordinibus; ac sufficere si addatur, *Non obstantibus quibuscumque*, vel similis clausula breuis; & hoc in foro tum interiori, tum exteriori: Vtrum autem eiusmodi reuocationes sint licitæ, non est Regularibus subditis examinandum; Pontifices enim soli Deo reddere debent rationem de causa reuocationis; quæ profectò debet esse coram Deo grauis, præsertim respectu aliquorum, vt supra significatum est. Ista tamen opinio summopere Regularibus fauorabilis, sed summopere (vt videtur) Pontificiam a Christo institutam potestatem minuens, vnàque obseruantiam a Regularibus Romanæ Sedi debitam, cum nihilominus ore profiteantur se præ cæteris eamdem venerari, illius obsequio esse addictos &c. quin etiam soleant in ijs, quæ ad suam spectant commoda, vehementer illam amplificare, donec

Pon-

Pontificia promulgetur contraria declaratio, cum censeri possit, ac censeatur iam post nonnullos, qui de hac materia scripserunt, ac nominatim post *Cassaing*, & *Aluiset*, probabilis; Episcopi, qui e T. C. se *verè Episcopos extitisse*, cum antea essent fere *Parochi*, sibi suaserunt, illo præsertim nomine, quod in multis eorum iurisdictio aucta circa Regulares, compluraque eorum priuilegia, vel derogata, vel abrogata, iam vident existimationem hanc suam (quæ aliorum quoque est plurimorum) fallacem esse, vel inanem; nam licet nulla in nullo foro iterum Regularibus elargiti fuissent R. P. cum nulla reuocauerint T.C. Patres iuxta quorumdam sententiam, ipsi antiqua suorum priuilegiorum possessione frui queunt: Et quamuis in illis, quorum vsus patet exteriùs, si T.C. repugnent, Romana Curia essent plerumque Episcopis suffragatura; dum tamen occultè, ac dummodo exteriori foro semet subtrahant, existimare cuncti poterunt Regulares huic adhęrentes opinioni, semet sæpiùs teneri illam re ipsa prosequi, suppositis præcipuè Recentiorum complurium principijs de opinionum probabilitate. Fauorabilia solummodo ad speciem fuissent Episcopali iurisdictioni decreta T. C. eidem subijcientia Regulares, si vel pleraque fuissent restituenda a R. P. vel nullum robur contra illos obtinerent, cum tamen præcipuè studuerint sic eorum a se Exemptionem moderari: Et mirandum quidem est, quod doctissimi quidam Episcopi id non attenderint, & contenti fuerint quibusdam Formulis communiter etiam vsitatis, in reuocatione priuilegiorum, quam promulgabant circa Regulares.

47 Aliquibus videntur Epispopi, qui T. C. adfuerunt, in nonnullis, & grauibus, apertissimè suis tunc derogasse iuribus; nam in quibusdam, vt Sedis Apostolicæ Delegatis, auctoritas ipsis conceditur, in quibus Ordinariam potestatem Canones ipsimet sacri eisdem concedere videbantur; Et cum declarauerint sess. 7. sub *Paulo III.* init. Decret. de Reform. quod in omnibus hisce Statutis *saluam semper vellent Sedis Apostolicæ auctoritatem;* iterumq. sess. vlt. c. 21. *Omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, tam sub fælicis recordationis Paulo III. & Iulio III. quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus Maximis statuta sunt,* declarauerint, *ita decreta fuisse, vt in his salua semper sit auctoritas Sedis Apostolicæ, & sit, & esse intelligatur;* præstiterunt id, quod in nullo Generali Cōcilio dilucidè legitur præstitum; quamuis enim hæc exceptio contineri dicatur in cunctis similibus decretis a quorumcumq. Generalium Conciliorum Patribus conditis, non tamen adeo clara declaratio, ac submissio exhibita est in illis; Quæ quidem mirificè fauet Pontificiæ auctoritati præ Conciliari; adeoque minori iure conqueri possunt modò Episcopi, quam antea, si R.P. concessa ipsis a T.C. reuocet, aut moderetur, alijs ablata restituat priuilegia, nonnullorum permittat vltro inobseruantiam &c. Nec improbanda est illorum sententia, qui arbitrantur, cum R.P. derogat, aut abrogat quædam T.C. decreta, minimè opus esse, vt T.C. mentionem faciat, etsi saltem Generalis cæterorum Generalium Conciliorum mentio facienda esse censeatur, cum illorum decreta tollit, aut minuit; etenim hæc vim suam habet tantùm ab Apostolicæ Sedis approbatione iuxta placitum, & consensum ipsorummet T. C. Patrum.

48 Nonnullis pariter haud aptè, ac prudenter videtur Pal. hoc in Capite *Dictatoris* nomen attulisse, cum loquitur de Episcopis, ac Romano Pontifice: Nam 1. ille a Senatu nominabatur, sed dictatura conferebatur a Consule, licet primus Dictator dicatur electus a Senatu quidem, sed simul approbatus populi suffragijs e *Dionys.* lib. 5. Illius 2. potestas erat semestris regulariter

(nam

(nam aliquando in magnis periculis annua) ne ille sua abuteretur potestate, ac tyrannicum exerceret imperium, cognoscens se breuì tam sublimem depositurum dignitatem. 3. Tantùm hic instituebatur, cum immineret grauissimum aliquod externum bellum, aut seditio grauis domestica Reipublicæ statum perturbasset. 4. Nullos licebat eidem facere sumptus ex ærario sine Senatusconsulto, vel Populi iussu; de quo *Ioan. Rosin.* Antiqu. Roman. lib. 7. c. 17. Ad summum ergo Romanus Episcopus, dicent Protestantes, eligendus foret cæterorum Præses Episcoporum, cum hæreses vehementer Ecclesiam vexarent, & non perpetuus, sed annuus &c. Exemplum profectò Dictatoris ad alium finem allatum est a Pal. Verùm cautissimè omittenda fuerant, quæ Protestantibus hæc Volumina lecturis suggerebant argumenta aduersus Romanum Pontificatum, atque Primatum a nobis Catholicis approbatum.

Ad Cap. X. Introductionis.

49 CVM nomen ipsum REFORMATIONIS, hoc est, Nouarum legum, Nouorumque vinculorum, & vitæ Actioris, minùsque præterita hilaris, sit humanæ adeo molestum naturæ, vt dicatur a Pal. *Communitas qualibet, etiam e sanctioribus, ac spiritui mortificationis maximè deditis, sibique acriter imperantibus, illud odisse*; Non mirandum, si quis apertè ostenderet, Ordinem aliquem, licet ex instituto, ac legibus, alijsque nominibus præstantissimum, indigere in compluribus Reformatione, quæ exponeret, non e quorumdam manuscriptis, non ex fama a maleuolis, maledicisque orta, sed in primis ex Ordinis eiusdem libris suorum iussu supremorum Præsidum impressis, & apud nonnullos etiam externos vulgatis; Quod eiusmodi Ordinis homines hunc hominem communiter odio prosequerentur, illumque reddere niterentur omnibus odiosum, singularia eidem incommoda inferre omni studio contenderent, eum quasi capitalem Ordinis hostem habentes, ac Hostilitates quęcumque Reformationis capita iam exposita existimantes: Qui sensus si ab illis, vel eorum amicissimis reapse haberetur, notarentur sanè tanquam Regularium Ordinum hostes (adeoque tanquam de hæresi vehementer suspecti) T.C. Patres, Summique Pontifices, qui pro Regularium plurimorum Reformatione plurimas condiderunt leges, nec post T. C. destiterunt, nec desistunt R.P. ab eadem instituenda, & ita, vt teste Pal. lib. 4. c. 5. n. 9. *Multi conquerantur potius de illorum in hoc seueritate, quam offensionem patiantur de indulgentia.* Non est autem in Ecclesia nouum, quod putetur Ordinis inimicus, qui illius Reformationem optat, & ad id operam, quam potest, confert suam. Sapienter *Rayn.* eruditus e S.I. Theologus, de quo sæpiùs, in *Hoploth.* sect. 2. ser. 2. c. 17. vbi e *Luca Vvadingo* ad an. 1297. in Annal. Minor. retulit, *Petrum Oliui* Ord. Min. quod zelo Diuini honoris, & studio pietatis in gliscentes Ordinis sui abusus fuisset animosior, per calumniam omnibus infamibus notis respersum fuisse, inter Ordinis hostes recensitum &c. subdit; *Exemplo quod alicubi posterioribus temporibus expressit non nemo; quisquis enim in Religiosis Ordinibus pro puro Spiritu a Fundatore immisso stare in animum induxerit, nec seruiliter*

militer adblandiri amantibus primatum gerere fixum habuerit (tyrannos rotundè vocat Isid. Pelus. lib. 2. epist. 125 & 234. ac Ioan. Salisber. lib. 6. c. 28. & lib. 7. Polycr. c. 24.) illicò vt hostis Ordinis, & reus Maiestatis traducitur. Nec non superiùs prolatis ad id *Th. Cantipr. lib. 2. Apum* cap. 2. verbis subiungit, *Sanè iniuriâ, & omnino per calumniam haberi hostem Ordinis, qui ex zelo Diuini honoris subnascentes defectus corrigit, debet esse extra dubium. Idque Philippus Abbas de Contin. Cleric. c. 89. excusauit, allegatis D. Gregorio, & D. Hieronymo, qui tametsi Monachi fuerunt, nec odio status Monastici ferebantur, sed eum impensè diligebant, tamen Monachorum vitia, quibus sacro Ordini inurebant maculam, non liuoris, vt ait, toxico, sed zelo iustitiæ, liberrimè coercuerunt*. Quin etiam addere poterat scitissimè pariter, hosce, qui insistunt Regularium Ordinum Reformationi, esse illis verè amicissimos, hostes verò illorum potiùs, qui ab illa desistunt, vel in illam, cum licet, & facultas datur, non incumbunt pro viribus, nedum qui illam renuunt; sic enim *S. Bern.* doctissimus, & candidissimus Regularis in Apol. ad Gugliel. Abb. *Non ADVERSVS Ordinem, sed PRO Ordine disputare putandus ero, si non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo: Et quidem DILIGENTIBVS Ordinem in hac re molestum me fore non timeo, quinimmo gratum procul dubio accepturi sunt, si persequimur, quod & ipsi oderunt: Si quibus verò displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem NON DILIGVNT, cuius vtique corruptionem, idest vitia, damnari nolunt*. Maximum enimuero Christianæ Charitatis argumentum est operam impendere, vt in amplissimis, & conspicuis Ordinibus illi renascantur Virtutum flores, ac fructus, quos eorum Maiores protulere. Idem præterea *Rayn.* Partit. 1. Erot. 9. de Mal. ac Bon. lib. num. 167. significat, falsissimum esse interdum, non esse opus Reformatione illi Ordini, qui semet non illa indigere putat: Nam vbi rescripsit e *Mai.* in 4. d. 38. q. 23. *Esse aliquas Religiones adeo laxatas, & quibus Reformatio sit necessaria, res adeo est nota, vt nemo nisi non cœcus videat*; addit, *sed non est nouum, aliquos ita cœcutire, præsertim in causa propria, vt notū est ex eo exemplo, quod refert Nider lib. 2. de Reform. Reg. c. 0. Episcopi ex Ordine collapso assumpti, qui audiente ipso Nidero pertinacissimè inficiatus est, suum Ordinem esse collapsum, & Reformatione egere, quantumuis (inquit Nider) luce foret clarius toti Mundo, contrarium esse verum; sed nimirum sensibile iuxta, ac multò magis intra sensum positum, non facit sensationem*. Quod adhuc minùs tolerabile videretur, si istius Ordinis homines Regularibus alijs Ordinibus necessariò Reformationem indicendam dictitarent, & ad id consilium, operamque adhiberent; coram verò sibi amicissimis, vel imbecillis ingenij hominibus venditarent, minimè in se comprobari illud effatum ab experientia clarè deductum, *Principium feruet, Media tepent, Vltima frigent*; cum ipsi numquam tepentes, sed feruentes magis, etiam post immemorabile tempus, euaserint; Adeoque sic euulgarent, priuilegium sibi a Deo concessum, quod nulli planè Regulari Ordini, sed nec Ecclesiæ ipsimet Sponsæ suæ, elargitus est. Faxit Deus vt nunquam in Ecclesia talis adsit Communitas: Non solùm enim, vt ait *Lud. Viu.* lib. 1. de Corrupt. Art. vir commendatissimus, & a *Sixto Senensi* lib. 4. Biblioth. & a *Thom. Hurt.* de ver. Mart. Fid. in disput. de Torm. & Quæst. Christ. pag. 156. *PESSIMVM cœcitatis genus est, nescire se esse cœcum; damnare, & indignari, & iniuriam sibi fieri testificari, si quis ad sanitatem tentet reducere, est phreneticorum proprium*; ac post illum *Ambros. Catherin.* lib. 4. de Consid. & Iudic. præs. temp. &c. §. Sermo ad Past. Greg. Episc. Eccl. *PESSIMVM*,

MVM, & PERICVLOSISSIMVM ægritudinis genus, vim ſcilicet morbi non ſentire; idque ſignum eſt euidens, membra iam carere ſpiritu vitæ, ac quæ ſupra modum a morbi grauitate, atque exceſſu oppreſſa ſint: Verùm etiam fieret, vt cum inſignibus Eccleſiæ detrimentis ſpirituales illius Religioſæ Communitatis morbi in dies augerentur, cum periculo fermè euidenti, vt inſanabiles redderentur; *Etenim, quæ nihil eſſe videntur, facilè contemnuntur* (ait *S.Chryſoſt.* Hom.14. in Ep.ad Epheſ. præmittens, *propter hoc ipſum magnum malum eſt, quod nihil eſſe videtur*) *quæ verò contemnuntur, augentur, & multiplicantur etiam; quæ autem augentur, redduntur incurabilia*; adeoque ita læthales euadere poſsét, vt Eccleſia cogeretur illo vti remedio, quo vſa eſt anno 1311. die 1. Octob. vel Nouemb. iuxta ſententiam Concilij Viennenſis, cui præſedit *Clem.V.* circa *Templarios*, qui ob diuitias, quas habuiſſe pares Regijs opulentijs ſcribit *Tyrius* lib.12.c.7. (nobiles autem, diuites, ac potentes eſſe ſuperbos, quin etiam interdum calumniatores, tradit *Ariſt.* lib.2. Rhet. c.15. 16.& 17. afferens etiam rationem) ita fuerant elati, vt debitam Patriarchæ Hieroſolomitano obedientiam ſubtraxerint, ſicut inter cæteros habet *Simon Strauol.* de quo ſupra, in Epit. Conc. dum loquitur de *Honor.* II. pag.301. init. nec non ſuperiori, noſtroque ſæculo, nec ſemel, circa Ordines non Militares, ſed Regulares ipſos, vſa eſt. HAVD ſic ſenſit *P. Aquau.* Gener. 5. ampliſſimæ, & celeberrimæ S.I. init. litt. ad Prouinc. Soc. de Med. ad Conſeruat. eiuſd. Soc. ann. 1587. Mart.28. *Perſuadere nobis debemus nullam eſſe apud homines rem, vel per ſe tam ſanctam, vel tantis præſidijs firmatam, ac munitam, quæ tempore non labaſcant: Quod & ipſa multorum operum experientia, ſplendore non exiguo, magnaque ſanctitate inceptorum plus ſatis demonſtrat*; & mox allatis *S.Greg.Naz.* orat.1. in Iulian egregijs verè verbis, monet Prouinciales Soc. *Si vnquam accideret*, (quod auertat Deus) *vt hominum, qui ab illa perfectione ſpirituali degenerarent, quæ requiritur in Societate, inualeſceret valde numerus, manifeſtum fore vniuerſi corporis periculum*. De qua re, vt par erat, valde ſollicitus idem prouidus Generalis edit an.1600. voluit Libellum Induſt. pro Super. Soc. ad curandos animæ ſibi ſubditorum *Morbos*, quos enumerat Sexdecim; Qui omnes, an plerique, an multi irrepſerint in plurimos, aut complures e Soc. licet non ſinguli in pleroſque etiam ex illis, videant pijſſimi, ac prudentiſſimi nobiliſſimæ S.I. Præſides. Orandus ſuppliciter Deus, vt vera ſint coram Deo, Angelis, & Hominibus ſemper, quæ tradit Pal. in fin. pag.349. c.44. lib. Vind. relata iam *Not.* 43. pag.66 ſemperque pauci ſint pariter, qui allatis a *P. Aquau.* morbis laborent in Soc. Nam ſi multi fuerint, ſiue non pauci, præter periculum, ne reliqui iiſdem inficiantur fere omnes, COMMVNES Societati forent dicendi; *Neque enim exiſtimandum eſt*, addit idem *P. Aquau.* in lit. ad Super. Soc. de Sollic. & Vigilant. Sup. n.4. an.1604. Auguſti 20. *tunc COMMVNES tantummodo dici poſſe defectus, cum in eos prolapſi omnes fuerint, ſed etiam cum MVLTOS occupauerint*. HAVD huiuſmodi ſenſū de Romana Curia, hoc eſt, ſua habuerunt Romani Pontifices; immo poſt promulgatam in Lateran. Concil. a *Leone X.* ſeſſ.9. an 1514. Maij 5. Curiæ Reformationem, atque ab *Adriano VI.* an.1522. Septemb.1. in primo Conſiſtorio poſt ſuam Coronationem, die ſcilicet eam ſubſequente, ac tribus diebus poſt ſuum Romam aduentum, propoſitam Cardinalibus, vt vnicum Lutheranæ hæreſis antidotum, teſte Pal. lib.2. cap.3. num.5. acriter eidem inſtiterunt *Paul.III. Iul.III. Paul.IV. Pius IV. Pius V.* & alij; cum tamen ſibi ſuadere potuiſſent, haud illam Curiæ ſuæ eſſe neceſſariam, primæuas Summorum

morum Pontificum multi ponderis leges ibi non consenuisse, sed continenter potiùs complures fuisse additas ad augendum magis Diuinum cultum, ad magis pios mores inducendos &c. nec dandum esse hac in re locum hereticorum oblocutionibus, & Catholicorum querelis de suæ Consuetudinibus Curiæ, quæ non sine probabili causa fuerant inductæ, inter quas numerari rationabiliter poterat ipsius Curiæ splendor, ac Romanæ Ecclesiæ decus Ecclesiarum omnium Matris, ac Magistræ; e quo etiam importabatur maior totius Christianæ, & Catholicæ Reipublicæ apud populos veneratio: Hęc enim & similia ad Pontificum aures insusurrabant non pauci e Curialibus, quibus præ alijs forsan opus erat Reformatio; quorũ præstigijs non se illudi passi sunt P.R. sed & illam statui in multis a Tridentini Concilij Patribus indulserunt, & eamdem compluribus quoque Bullis decreuerunt, quarum nonnullæ, dum ipsum haberetur Concilium, conditæ, & Cardinalium, aliorumque Prælatorum Congregationes instituerunt ad huius Reformationis negotium, quarũ non semel Pal. meminit, loquens præsertim de *Paul. III.* in lib. 4. &c. Animaduerterunt R.P. euenire potuisse, vt multi *faciendo, quod malum est, etiam mala consuetudine se adeo implicassent, vt ipsa consuetudo mala* (sic loquitur *S. Aug.* ser. 44. in Ioan.) *non eos sineret videre, quia malum esset, & fierent defensores malorum factorum suorum* (patrocinantibus illis etiam nonnullis Doctoribus, vel Scriptoribus) *irascerentur quoque cum reprehenderentur*; adeoque *Consũmata esset eorum infelicitas*; hæc enim tunc est, vt ait Seneca in fin. Epist. 39. vbi turpia *non solum delectant, sed etiam placent*: atque licet ibi subiungat, *& desinit ibi esse remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores sunt*, animarum tamen Prothomedici remedia excogitarunt, & adhibuerunt ad prauos mores, seu improbas omnino consuetudines repellendas: atq. domesticã Familiam primò, postea Curiæ Romanæ reliquos, exemplariter componere, veraciterque reformare cæperunt, vt a Curiæ Romanæ reformatione, cum Romana Ecclesia sit omnium Ecclesiarum caput, inferiores Ecclesię morum haurirent puritatem; nec vllis calumniandi, ac maledicentiæ præstaretur occasio; Scientes duplex esse peccatum, quod in Romana patratur Curia, (vt significarunt sapienter in hoc Concilij Basileensis Patres sess. 23.) vnum quod ibi perpetratur, aliud longè grauius, quod inde sequitur: Quidquid enim ibidem agitur (subiungunt illi) facilè trahitur in exemplum; Vnde fit, vt languescente capite, reliquum postea corpus morbus inuadat. Memores sanè fuerunt verborum *S. Bern.* ad *Eugen. III.* init. lib. 4. de Consid. *Primò quidem Clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo præcipuè in omnem Ecclesiam Cleri forma processit. Deinde omne, quod perperam agitur Te præsente, id Tibi turpius. Interest gloriæ Sanctitatis Tuæ, vt quos præ oculis habes, ita sint ordinati, ita sint reformati, quatenus totius honestatis, & ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inueniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti, circumspecti ad se custodiendos in omni castitate.* Quibus illa eorumdem Patrum Concil. Basileensis cõsentanea, de quibus Pontificem monent, seu ad quæ potiùs hortari debebant e communiori opinione. *Pontificalis Domus, & Curia, tanquam speculum Mundum esse debet, in quo omnes prospicientes, ad eius exemplum se componãt, & viuant: Proinde ab ea penitus dissipet, & euellat, quidquid simoniacæ labis, quidquid concubinariæ sordis, quidquid denique vel Deum offendere, vel homines scandalizare potest. Curet, ne Officiales perperam officia sua administrent, ne quemquam grauent, nec per concussionem, aut illicitè quicquam extorqueãt,*

M   *& vt*

& vt hi, qui Officialibus præpoſiti ſunt, ipſorum exceſſus inultos non patiantur &c. Hinc e Pontificio Palatio præcipuè inſudarunt R.P. vt relegarentur prorſus odioſa illa, ſed conſueta Magnarum Curiarum vitia, *Luxus, Faſtus, Superbia, Auaritia, & Licentia*, illorumque loco in Sacerdotalem Regiam reuocarentur hæc duo Eccleſiæ Sponſæ ſuæ gratiſſima, *Deuotio*, ac *Scientia*; quod præſtitum fuiſſe ab *Alex.* VII. tradit Pal. in Epiſt. ad eumdem in fin. Volum. 2. repoſita; quibus tamen quidam aiunt notari *Innoc.* X. prædeceſſorem ſuum, alioſque ſuperiores Pontifices, & non congruè ibi Scientiam præponi deuotioni. Vniuerſim autem enixè curarunt. 1. Vt a Romana Curia auerterentur; TVM illa de quibus contra ſe actis Romæ conqueruntur inter cæteros *S. Hieron.* Præfat. in lib. Dydimi de Spir. ſanct. & *S. Paulin.* Epiſt. 1. ad Seuer. & quæ occaſionem dederunt *Tertulliano* e *S. Hier.* eodem de Script. Eccleſ. (de quo *Not.* 42.) a Romana deficiendi Eccleſia: Cui certè non expedit, ſicuti ſignificatum eſt *Not.* 41. homines doctos, ac fama probos irritare minùs æquè, ſi cæteroqui oſtendant ſe humiles, nec in ſuis ſenſibus pertinaces; ideoque mirificè laudatur prudentia *Pij* IV. *Pij* V. *Greg.* XIII. quod quamuis ſub *Paulo IV.* iam cæpiſſent in celeberrima Louanienſi Vniuerſitate *Mich. Bayus*, ac *Ioan. Heſſelius* inſignes illius Vniuerſitatis Profeſſores, aliquot propoſitiones tradere, ac tueri, e quibus non leuia Schiſmata inter Profeſſores, & Auditores orta fuerant (e quibus 79. a *Mich. Bayo* prolatæ, damnatæ fuerunt a *Pio V.* & *Greg. XIII.* vt iam dictum *Not.* 28.) nullatenus tamen a Catholico Rege, licet Romanæ Sedis ſtudioſiſſimo, ac in eoſdem Pontifices valde propenſo, petierunt vnquam, vt illi e Profeſſorum gradu remouerentur, Regiumque illis ſtipendium ſubtraheretur; quin etiam annuente *Pio* IV. benignè a T.C. Patribus excepti fuere, cum ad illud Concilium miſſi fuere anno 1563. tanquam Theologi Regis Catholici, in quorum Indice omnibus obuio in fine T.C. eorum nomina proponuntur; de quibus etiam Pal. agit lib. 15. c. 7. a num. 8. & lib. 21. c. 7. num. 4. TVM illa, *quibus captam fuiſſe Vrbem, quæ iam fere totum ſubegerat Orbem*, conqueritur *S. Thom.* Cantuarienſis ſcribens ad Archiep. Mogunt. deſcripta a *Coqu.* tom. 2. in Antid. cont. Oppoſit. 48. Morn. pag. 90. TVM illa, quæ duobus poſtea ſæculis repelli ab Vrbe cupiebat vehementer *S. Birgitta*, vt ex eius Reuelationū libro Romæ an. 1606. edito liquet, ac prę ſertim lib. 1. c. 41. lib. 3. c. 27. lib. 4. c. 49. 142. &c. TVM illa, propter quę perditur, vel minoratur deuotio erga Romanam Sedem, vt cum Card. *Zabar.* ad c. 1. de Simonia Card. ipſemet *Iacobatius* ſuperiori ſæculo lib. 4. de Concil. ar. 4. in fin. §. *hoc tamen intelligerem*, grauiſſimis ſignificauerat verbis. 2. Nullam habuerunt rationem imminutionis quorumdam Romanæ Curiæ temporalium commodorum, vt magis Curialium ſaluti, ac Romanæ Eccleſiæ honori conſulerent; quamobrem cum *Pius V.* Beneficiorum Reſignationes in fauorem tollere vellet, & accurriſſent Curiæ Romanæ Pragmatici (ſic refert *Annæ. Robert. Aur. Rer. Iudic* lib. 1.) & dicerent, *hoc eſt deſtruere Curiam*, reſpōdiſſe illis fertur, *Satius eſt deſtruere Curiam, & aſtruere Eccleſiam*. Etiam illud a *Iulio Capit.* in Vita *Imperatoris* Pertinaсis, licet non Chriſtiani, refertur, *Sanctius eſt inopem Rempublicam obt nere, quam ad diuitiarum cumulū per criminum, ac dedecorum veſtigia peruenire.* 3. Studuerunt quam maximè vt IVSTITIA in Romanis Tribunalibus ſeruaretur abſque vlla prorſus perſonarum acceptione, ita vt hæc eſſent cæterorum Sæcularium Principum norma Tribunalium; cauendo potiſſimè, ne *inde naſcantur iniuriæ, vnde iura naſcuntur c. Nonnulli de Reſcr.* atque *c. Qualiter, & Quando 17. de Accuſ.* adeo-

que

que reijcerentur ex iudicijs *Odium*, *Fauor*, *Timor*, *Cupiditas*, seu præmij expectatio; quæ quatuor passiones humana peruertunt iudicia c. *Quatuor modis*, 11.q.3.nec non cap.1.de Sent.& Re Iud.in 6. vbi monentur Iudices Ecclesiastici ab *Innoc.*IV. in Conc.Lugd.an.1245. vt in concipiendis, ferendisque sententijs solum præ oculis habeant Deum; quasque animi perturbationes ab Inquisitoribus peculiariter vitandas *Clem.I.* de hæret. monuit. Hinc non timuerunt, nec timebunt vnquam optimi Pontifices, Curialium complurium incurrere odium, cum eorum mores ad rectam reuocandi fuerunt, aut erunt formam; illosque potiùs e Romanis Tribunalibus remouebunt prorsus, immo & interdum seuerissimè punient, qui in ijsdem calumnias contra innoxios admitterent, hostium, vel æmulorum amicissimi, & qui quosdam opprimerent, dum non haberent, quod offerrent, aut minùs offerrent, quam alij, reipsa comprobantes c.*Pauper* 11.q.3. & consimiliter eos, qui in ijsdem Tribunalibus contra alios exponerent falsitates, seu mendacia, calumnias &c. Cũ ingens foret crimen de hisce pœnas, & seueras non sumere (sic enim innocentes, & planè innoxij puniri possent, & famæ detrimentum pati grauissimum facillimè) licet assererent, se non habuisse animum calumniandi, vel detrahendi, qui enimuero soli Deo patet. Vt hæc Iustitia seruaretur exactè in Romana Curia, variæ Cardinalium Congregationes institutæ profectò a iustitiæ amantissimis Pontificibus; inter quas est antiqua, quæ *Signaturæ Iustitiæ* dicitur, cui præesse solet vnus e primarijs Cardinalibus; illique multis annis cum summa commendatione præfuit Cardinalis *Iulius Sacchettus*, qui superiori anno cum proborum omnium lachrymis ad Cælum abijt, vt e singularibus eius virtutibus, ac zelo honoris Apostolicæ Sedis sperare licet: Et illius Referendarijs quidem Prælatis, vt essent ad munus suum perfectè exequendum alacriores, multa concessit priuilegia *Paulus III.* an.1540. Bulla 23. in Bull. aliaque *Sixtus V.* an.1586.Bul.41. qui & Congregationem secundam pro *Signatura Gratiæ* instituit ann.1588. Bull.74. Pro illius autem Reformatione, dum T. celebraretur C. nonnulla decreuit *Pius IV.* an.1562. Bull.59. Et *Paulus V.* an.1611. in Bul.71. Reformationis Romanæ Curiæ primo loco reformat in quibusdam vtramque *Iustitiæ*, *& Gratiæ Signaturam*: imò ad hoc ipsum *Greg.*XIII. Bul.24.an.1574.Nou.8. innouauit, ampliauitque Const. *Bonif.*VIII. ac nouissimè ALEX. VII. copiosiùs eamdem declarauit quoque, vt *Not.*43 p 69. 4. Non Rom.Pontifices puduit, sicut nec vnquam pudebit optimos, reuocare si quid minùs iustè, vel æquè fuisset, vel fuerit concessum, aut retractare sententiam, siue iudicium, vel factum minùs iustum, aut æquum, reijcientes omnino, nedum tanquam pessimos adulatores, verùm etiam, vt a Christianæ, & Moralis Philosophiæ principijs remotissimos, qui suasissent, vel suaderent sibi, ad S.A. honorem spectare, quod semel concessum, iudicatum, vel statutum est, licet minùs æquum, ac iustum deprehensum fuisset, aut deprehendatur, haud illud reuocare; multòque magis, vt e Politicorum, de quibus *Not.*43. p.62. Atheismo infectorum principijs deductum, existimantes, quod Principes interdum supremam habeant in subditorum famam dominium, sicuti & in fortunas quandoque; quod vtinam nulli etiam priuati factis comprobauerint, vel comprobent ipsis. Id certè prisci Pontifices, non solùm non egerunt, verùm & legem contrariam statuerunt, vt habetur 35.q. 9.c.*Sententiam*, & c.*Veniam*: Et suo tempore testatur viguisse *S. Bern.* epist. 181. ad *Innoc.*II. sic inquiens, *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes, vt non pigeat reuocare, quod a se fortè deprehenderit fraude elicitum, non verita-*

te promeritum. Res plena æquitate, & laude digna, vt de mendacio nemo lucretur, præsertim apud Sanctam, & Summam Sedem. Quæ viguit laus hac in re vndecimo sæculo, nedum in octauo sub *Nicolao I.* & in quarto sub *Innoc. I.* vt nunquam deficiat apud Romanam Sedē, probi Pontifices contendent; maximè cum nouerint, frequentes esse in Romana Curia mandatorum Subreptionem, & Obreptionem, vt ipsimet Pontifices indicarunt in tit. de *Rescriptis* præsertim: Et assiduam quidem esse illam in Principum Curijs, & passim de hoc bonos viros lamentari, cū tradiderit e *S.I. Laur. Forer.* p. 2. Antimel. cap. 32. *cum Andr. Gail.* lib. 2. Obseru. 58. num. 8. & *Vldar. Zasio* tom. 2. Oper. lib. 2. consil. 10. qui id tribuit, loquens de Romano Principe, seu Imperatore, multitudini negociorū, quibus premitur; multò magis id ibi euenit, & bonos viros magis de hoc lamentari non temerè asseri potest, propter maiorem negociorū multitudinē, quæ apud Romanū Pontificem viget, vt iam *Not.* 10. p. 14. significatum est. Summo sanè decori est R.P. eorumque Ministris, qui veræ laudis Apostolicæ Sedis sunt cupidi, nedum reuocare sententias non iustè, non æquè latas, sed & mandata, seu rescripta, seu breuia, siue Bullas Pontificias, vbi verisimiliter etiam constiterit Subreptio, vel Obreptio, vt planè retardentur plurimi a non integra veritate proferenda, multoque magis falsitate, quidquam a Romano Pontifice petentes. Obseruandum est autem, Romanos Pontifices post cæptam Lutheranam hæresim adeo Reformationis studiosos fuisse, vt tum Bullis suis quibusdam Cardinales ipsos comprehēderint, tum Tridentinis Patribus indulserint, vt dilucidè eosdem nominarent, vt sess. 23. c. 2. sess. 24. c. 1. 18. 19. ac sess. 25. cap. 1. qui & reuerenter monuerunt R.P. c. 1. sess. 24. de idonea Cardinalium, Pastorumque animarum electione (vt dictum *Not.* 10. p. 16. & grauissimis quidem verbis; Vnde *Henriq.* S.I. lib. 10. c. 27. num. 4. lit. I. ex eo capite haberi ait, Pontifices teneri sub peccato mortali ad Cardinalitiā nominatim dignitatem illos tantùm eligere. *Quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles iudicauerint, non quidem precibus, aut humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis:* Quin etiam Laicorum Reformationem cupientes, monuerunt clarè Principes ipsos Sæculares cap. 20. sess. 25. de debita Personis, Rebusque Ecclesiasticis obseruantia &c. Cum igitur non potuerint sapientissimi T.C. Patres, præcedente potissimùm consilio, & assensu R.P. ex vniuersa coacti Catholica Ecclesia, non illius spiritualibus morbis necessaria, & opportuna afferre remedia, contractis iam post Constantiense Cōcilium ab an. 1417. Cauendum esse monent pijssimi, ac prudentissimi viri, ne decreta eiusmodi medicinam afferentia, vel magna ex parte, vel quæ sunt maioris ponderis, consuetudine saltem abrogentur, & quorumdam praxis diligenter curetur, quorumdam negligatur (quod imprudentissimè fertur S. in sua significasse Historia) prout quorumdā commoda exegerint. Animaduertere quidem non possunt sapientissimi P. R. institutam Reformationem, ipsis etiam approbantibus, & confirmantibus, a Tridentinis Patribus esse *instar ædificij magni exquisitissima quadam architectura* a peritissimis illis viris *designati, quod ita compingit, colligatque ad inuicem diuersa membra eiusdem molis, ac structuræ* (sic loquitur *P. Aquau.* Gener. S.I. in litt. de quibus paulò ante, ad Prouinc. Soc. de Med. ad Conseru. Soc. num. 12.) *vt si vna pars deficiat, cætera cohærere, ac componi non possint, & ex defectu praxis* alicuius decreti grauis, aliorum, vel plurimotum saltem praxis, vel omittenda sit, vel difficulter, aut leuiter obeunda: Quis enim non videt, si passim violarentur decreta circa electionem Episcoporum sess. 6. c. 1. sess. 22. cap. 2. sess. 24.

cap. 1.

cap.1. & circa electionem Parochorum cap.18. & non tales communiter fint Episcopi, quales eos decernitur esse in sess.13.cap.2. sess.23.cap.1.sess.25. cap.1. nec Parochi similiter tales, quales postulat Proemium sess.14.de Refor.& c.1. sess.24. alia quæcumque decreta non multum roboris habitura? Cum verò *Nihil sit, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum*, vt *Innoc.*III. in Concil.Later.an.1215. cap.*Nihil* de Elec. sicut enim *integritas præsidentium est salus subditorum*, vt e c.*Miramur* dist.61. ipsum habet T.C. sess.6. init. cap.1. de Refor. ita non integritas præsidentium perditio est subditorum; Indigni omnino per se sunt, vt ad animarum regimen assumantur, qui postremis hisce sæculis illud appetunt e doctrina *S.Th.* dilucida 2.2.q.85.art.1. multoque magis, qui illud assequi satagerét, & adhuc multò magis, si modis ab ipsismet sacris Canonibus prohibitis. Et cum S. conspiceret, huiusmodi appetentiam non fuisse cohibitam post T.C. quin etiam sæpe eidem obsecundari, ac præterea legere potuerit ex eodem cap.*Miramur* desumpto e *S.Leone* epist.87. ad Episc.Afric. in qua loquitur de Pastorali fastigio per ambitum occupato, *Difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio*; hinc arbitrantur nonnulli, censuisse S. a T.C. Patribus propositam Reformationem, & a Romanis Pontificibus laudatam, quin etiam iussam, dum *Pius* IV.an.1564.Ian.26.T. confirmauit C. non valde quoad praxim fuisse efficacem, aut saltem non fore, dum decreta circa electionem Cardinalium, Episcoporum, & Parochorum non seruarentur. Ista quidem Tridentini Concilij Reformatio effecit, vt nunc non ea pecuniarum summa in Romanã Vrbem deueheretur, vel deuehatur, quæ priùs, ac Pontificij reditus ipsimet inde imminuti: An verò hæc imminutio compensata deinde fuerit, auctis ordinarijs, seu consuetis olim contributionibus, pro quibus nihil statutum, aut non seruatis quibusdam Tridentinis legibus, quæ ipsum Pontificem nullatenus obstringunt, vt apertè declarauerunt Tridentini Patres, aut nouis officijs in Curia constitutis, aut aliunde, norunt qui illis colligendis præfecti sunt. Non potuit quidem ipsum Reformationis nomen non esse Romanis Curialibus odiosum, quando Religiosissimis Cõmunitatibus quoque, Pal. ac experientia teste, sit pariter odiosum; quapropter ex hoc sensu, vt sic, naturæ consentaneo, minimè est in illos inuehendũ, atque si inueheret S. oppidò de hoc reprehendendus.

50 In litteris *Vnionis inter Latinos, & Græcos* an.1439. Iulij 6. quibus subscripserunt, vltra Græcorum Imperatorem *Ioannem Palæologum*, e Patribus Græcis, qui conuenerunt primò Ferrariæ, ac postea Florentiæ, Vigintiocto e Latinis verò Cardinales octo, Patriarchæ duo Hierosolymitanus, & Gradensis, Archiepiscopi octo, Episcopi quadragintanouem, si numerentur simul duo Episcopi Oratores Ducis Burgundiæ, & Brabantiæ (at quinquaginta Patres hi erunt, si addatur Archidiaconus Trecensis Orator eiusdem Ducis, qui pariter cum Episcopis subscripsit) Generales Ordinum quatuor, Abbates vnus, & quadraginta, ac fermè omnes ex Ordine S. Benedicti (cui amplissima *Eugen.*IV. cum concesserit priuilegia, quæ leguntur in Bullario Congregationis Casinensis, quæ ante Constitionem *Iulij* II. primam in Bullario an. 1503. *S.Iustinæ* appellabatur *Eugenij* IV. memoriã peculiariter celebrat) adeoque ijsdem subscripserunt litteris ex Latinis 109. & vnà cum Græcis 137 In his, inquam, vnanimi Latinorum, & Græcorum, si vnicus excipiatur Marcus Ephesius homo magis pertinax, quam ingeniosus, vnanimi cõsensu promulgatis, Sic habetur: *Desinimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum*

Ponti-

Pontificem in vniuersum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verũ Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Directorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Vniuersalem Ecclesiam a D.N.I.C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodũ in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. Quibus præiuit *Ioseph* Patriarcha Constantinopolitanus in cuius scriptis ad vitæ extremum peruenientis post repentinam eius mortem repertis, hæc inter cætera fuerunt lecta: *Beatissimum Patrum Patrem, ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam, D.N.I.C. Vicarium esse, concedere non inficior.* Ad quem consensũ, & subscriptionem deuenere Græci Patres post plurimam in Imperatoris domo, Latinis absentibus, inter se disputationem, lectis Græcorum Doctorum de R.P. potestate sententijs, quamuis priùs apertè coram *Eugenio IV.* professi fuissent, se sine totius Orientalis Ecclesiæ auctoritate quæstionem aliam tractare oon posse, cum pro illa tantùm de *Spiritus sancti Processione* Synodus conuocata fuisset. At Præsules Galli in T.C. vnà cum *Cardin. Lotharingio* (hic secum duxit e Gallia ad T. C. Episcopos 14. Abbates 3. Theologos 18. e maxima parte Sorbonicos, vt inquit Pal. lib. 18. in fin.) tunc Parisiensis Academiæ opinionem, cui vniuersum Galliæ Regnum subscribebat, secuti, *Florentinum Concilium* haud se admittere professi sunt; *non eò quòd* nullus Catholicorum Principum Orator illi adfuerit, præterquam Burgundiæ, & Btabantiæ Ducis peculiariter Basileensibus infensi Patribus; *non eò quòd* locum tenentes trium Patriarcharum Orientalis Ecclesiæ Alexandrini, Antiocheni, ac Hierosolymitani, alijque Græci excesserint Ecclesiæ Orientalis mãdatum pro sola quæstione de *Spiritrt sancti Processione* discutiẽda acceptum; *non eò quòd* tam pauci e Græcis Vniuersam Orientalem Ecclesiam non visi fuerit repræsentare, potissimùm cum defuerit plurimorum consensus aliorũ Præsulum Orientalium; *non eò quòd* tam pauci etiam e Latinis habentibus per se suffragium in Generalibus Concilijs Florentino adfuerint: VERVM eò quòd illud fuerit celebratum, dum pariter Basileense celebrabatur; Quod auctoritate *Martini V.* Bullæ (hæc est postrema in Bullario) prima Februarij anno 1431. & ipsius *Eugenij* die 30. Maij litteris ad Cardinalem *Iulianum* e præstantissima inter Romanas Cæsarina Familia, Apostolicæ Sedis Legatum, fuerit inchoatum anno eodem Decemb. 7. eiusque prosecutio, reuocatis Bullis, quæ illius dissolutionem indixerant, etiam iurata per Oratores *Eugenij* an. 1434. Aprilis 24. Et cum non potuerit (sic sentiebant Galli Præsules cum Basileensibus Patribus) maximè post concordiam hanc Pontificis cum illis, Concilium dissoluere, & aliò transferre absque ipsorum Patrum consensu, Concilium aliud Generale alibi nequiuit celebrari. In hoc autem sensu de Florentino Concilio, & propter hanc rationem, Gallicos Præsules cum Cardin. Lothar. constantes semper fuisse, disertè docet Pal. lib. 19. cap. 6. n. 9. ac 11. lib. 20. cap. 3. num. 3. & c. 6. n. 4. lib. 21. c. 4. num. 5. & 8. Cum igitur & Gallicani Præsules in T.C. & cæteri Gallicanę Ecclesiæ Præsules, & Parisiensis Academiæ Theologi, cum Galliæ Regno, Catholicam professi fuerint, ac profiteantur doctrinam, nec Florentinum Concilium vniuersim adhuc admittant, vt Generale, & Oecumenicum; fit vt non tanquam Catholicum dogma fuerit a Pal. proponendum, Florentini Concilij decretum *De Romani Pontificis Primatu*, licet cæteroqui sit ab omnibus plurimi æstimandum. Prudentiùs proposuisset Pal. ad astruendum hunc Primatum *Constantiensis Concilij* (quod

omni ex parte Gallicana ipsamet admittit Ecclesia cum vniuerso Galliæ Regno, & quod in summa est veneratione apud ipsos quoque Germanos, vt ait Pal.lib.1.c.16.num.9.c.21.num.4.c.27.num.3.cap.28.n.7.cui tamen aliquam adimit venerationem, dum lib.6.c.4.in fine tradit absolutè, ad illud non concurrisse Hispanicam Nationem, sed solùm Italam, Germanicam, Gallicam, & Anglicam, cum tamen constet e sess.39.sex ex Hispanica electores fuisse futuri Pontificis, & cum electus fuisset *Martinus V.* omnium quinq. Nationum consensu quoque approbatam ab illo damnationem articulorum Ioannis Vviglef, & Ioannis Hus factam iam a Patribus; nomina autem Electorũ Hispanorum recensentur eadem sess. & ab *Honuph.* *Panu.* in Cathalogo P.R. &c.) DECRETVM in sess.8.an.1415.Maij 4. condemnans inter articulos 43. Vviglef hunc nominatim num 41. *Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*; cui Patres subiunxerunt, *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat Vniuersalem Ecclesiam, aut Cõcilium Generale, aut pro quanto negaret PRIMATVM Romani Pontificis super alias Ecclesias particulares*, quorum damnationem articulorum vnà cũ additione hac ad 41. laudauit, vt dictum, *Martin.V.* ann.1418. Februarij 24. adhuc Constantiæ commorans non Concilio dimisso. Certa definitio R.P. Primatus erat proponenda, non quæ poterat esse inter Catholicos ambigua, attentis Catholicorum de Basileensi, & Florentino Concilijs sensibus oppositis. Equidem *Matthias Vgonius* Episcopus Phamaugustanus in lib. an.1565. edito, quem inscripsit *De Concilijs Sydonia Vgonia Episcopi Phamaugustani* (de quo etiam infra) postquam pag.20. col.2. egregiorum Doctorum retulit opinionem, tum reprobantium, tum probantium Basil. Concil. inquit, *Quid tenendum sit*, cum eodem tempore illud, & Florentinum habita fuerint, *soluat Iesus Christus Magister, & Doctor infallibilis veritatis pro sinceritate fidei Ecclesiæ inuiolabi is Sponsæ suæ*: Sed & tanquam Generale proponit vtrumque *Laurentiu a Villa vicent.* Doct. Theol. August. Herem.in lib.4. de Rectè formand. Theol. stud. Antuerpiæ impresso eodem pariter ann.1565. pag.475. Sic Ecclesia videtur admittere plures, tanquam legitimos Põtifices, eodem prorsus tẽpore, vt *Greg.XII.* & *Alex.V.* & postea eumdem *Greg.* & *Io.*XXII. nam *Greg.XII.* reponitur in libris, in quibus continentur vitæ, & res gestæ Romanorum Pontificum inter legitimos Pontifices; vnde & *Vgo Boncompagnus* Cardinalis electus Pontifex ann.1572. Maij 13. se *Gregorium* XIII. appellari voluit: Nec non *Rodericus Cardinalis Borgia* an. 1492. Augusti 10. *Alexandri VI.* nomen sibi asciuit, adeoque probauit, quod legitimus fuerit *Alexander V.* an.1410. Maij 19. electus: Et tamen nec videtur dubitandum, quin *Io. XXII.* fuerit legitimus, cum ille Concilium Constantiense conuocauerit, vt patet ex Bulla an.1413. Dec.9.promulgata, & vt talis habitus in sess.2. eiusdem Concilij an.1415. Martij 2. ab Imperatore *Sigismundo*, qui Corona deposita, flectendo genua osculatus est illius pedem. In hac tamen controuersia, etsi non adhuc authenticè dirempta, consultiùs est omnino stare pro Florentino, quod Romana ita admittit Curia, vt in Conciliorum tomis Romæ sub *Paulo V.* impressis Basileense non fuerit impressum, licet cum alijs alibi priùs fuerit apud Catholicos editum. Consultissimum est hunc R.P. PRIMATVM proponere, ac probare e Concilio *Constantiensi*, cum non tanquam certum omnino id proponi, ac probari e Florentino queat, quamuis maximi ponderis ad idem sit etiam illius auctoritat e Græcorum quoque testimonio ipsorũ.

51 Pariter incongruè proponitur, vt dogma Fidei, *quod Papa sit supra Cõcilium*.

cilium, e Concilio *Lateranensi* postremo: Nam quamuis sess. 11. sub *Leone X.* ann. 1516. Dec. 9. enimuero in Bulla, qua Pragmatica Sanctio in Bituricensi Cœtu confecta an. 1438. Iulij 7. (in eo leges Basil. Concil. admissæ fuerunt) abrogata fuit cui initium *Pastor æternus*, dicatur R. P. solum pro tempore existentem, *tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, ac potestatem habere* (vt omittatur appellatio interposita an. 1517. Martij 27. ab Vniuersitate Parisiensi, de qua *Coqu.* tom. 2. in Antid. cont Oppos. 65. Morn. pag. 334. vbi ostendit eam minimè huic impijssimo Caluinistæ fauorabilem esse &c.) ipsemet *Bellar.* lib. 2. de Concilijs c. 13. tradit, nonnullos e Catholicis dubitare, an Concilium istud fuerit Generale, & Oecumenicum: Quod dubium videtur nonnullis oriri præcipuè, quòd fere nulli adfuerint Episcopi, ne dum ex Gallia, sed nec ex Hispania, Germania, & Anglia (quod Regnum cum *Henrico* VIII. Rege, vt habetur ex ipsamet *Guicciard.* Historia, erat ijs annis circiter quinque, quibus Later. Concil. celebratum fuit, in R. S. propensissimum) quamuis adfuerint multi Principum Oratores, maximè a sess. 6. sub *Leone X.* an. 1513. April. 27 qui tamen non habent in Concilijs votum decisiuum, nec per se consultiuum. Legitur etiam in Actis T. C. sub *Paulo* III. *ac Iulio* III. conscriptis a *Thoma Campegio* Episcopo Feltrensi, cuius egregias laudes cōmemorat Pal. lib. 4. c. 11. n. 9. & lib. 6. c. 7. n. 5. (singulari tamen omissa ex Opusculo de Auctoritate, & Potestate R. P. cum alijs 21. Opusculis apud Aldum Venetijs an. 1555. editis ad *Paulum IV.*) an. 1547. in Congregatione habita die 5. Februarij Hispanos Præsules inter cætera, quæ proposuerunt, secundo reposuisse loco, *vt Concilium Lateranense nouissimum nullo modo probaretur, vt quod in pluribus suis capitibus Deformationem Ecclesiæ magis augeret, quā tolleret*. Verùm quidquid sit de hoc, non inter Generalia Concilia illud numerat *Laurent. a Villauic.* de quo supra: nec si huiusmodi fuisset, *Franciscus Victoria* Ord. Præd. celebris in Hispania, vt innuit etiam Pal lib. 6. c. 2. num. 5. Scholasticæ Theologiæ fundator Relect. 4. (huius Theologi Relectiones *per eruditas* nominat *Card. Bellarm.* lib. de Script. Eccles.) in fin. propos. 20. illa exarasset, *ab eo tempore, quo propter nouas opiniones Doctorum Pontifices cœperunt timere Concilia, Ecclesia manet sine Concilijs, & manebit cum magna calamitate, & pernicie Ecclesiæ*; Etenim non mansisset sine Concilijs, si Lateran. Conc. fuisset Generale. Hæ autem Relectiones absque dubio confectæ, postquam e Gallia *Ioan. Mai.* Parisijs Auditor regressus in Hispaniam, primarius Theologiæ Professor in Salmaticensi Academia fuit institutus; quod contigit an. 1526. vt ait *Bagn.* 2. 2. q. 1. art. 7. dub. 2. arg. 3. Et tamen huic Concilio non solùm a nouem annis iam finis impositus erat; verùm etiam eiusdem Concilij decreta cum Actis impressa, diligenter recognita ab *Antonio de Monte* Cardinali S. Praxedis (de quo *Not.* 10.) ad omnes, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos, & Doctores, & Scholares Vniuersitatum quorumcumque Studiorum, fuerant missa a *Leone X.* peculiaribus litteris an. 1521. Maij 25. illis mandans, *vt iudicijs, ac scholis illis vterentur, & in illis contenta inuiolabiliter seruari etiam ipsi mandarent &c.* Ipsemet etiam *Nauar.* c. 7. de Orat. n. 41. ait, Se primum in Salmaticensi Academia vulgatorem fuisse statuti Concil. Lateran. in sess. 9. §. *Statuimus* de restitutione fructuum (quod grauissimum enimuero est) a Beneficiarijs facienda pro rata temporis, quo Canonicas non recitauerint oras &c. Et cum ibi anno 1525. Iuris Canonici Professoris munus obire cœperit, vt colligitur ex

illius

illius Epist.ad Ducem Alburg. in fine Comment. de Act. Hum. vbi recessit e
Gallia, in cuius Tholosana Academia an. 1520. Ius Canonicum interpreta-
batur; Quare necessariò infertur Concil.Laterau.etiam post hasce postremas
Leonis X. litteras mandantes, non fuisse in Hispania receptum, quamuis Hi-
spania fuerit Catholicæ, ac Romanæ Fidei, atque Sedi etiam tunc addictissi-
ma. Ipse etiam *Dom.Sot*.lib.6. de Iust.q.1.art.6. loquens de Concil. Lateran.
decreto circa *Montes Pietatis* (a cuius tamen sensu cum Caiet. omnes fermè
Theologi recedunt) inquit, non omnia illius Concilij Acta fuisse recepta;
Nec non *Suar*. ipse disp.22.de Cens.sect.6.num.8.& 9. cum *Caiet*. in fin. verb.
Excommunicatio num.81.& ex eodem Præd.Ord. *Barthol.Caranza* in Sum.
Concil. in fin.Conc.Later. quorum etiam sententiam probare videtur *Nauar*.
c.27.Man.num.110.& 148. scribit non constare, an censuræ in hoc Later.Con-
cilio sint vsu receptæ. Verùm quidquid sit de his, quæ non spectant ad Fidei
dogmata, nisi e communi sententia excipiatur decretum de Montibus Pieta-
tis; asserendum videtur, Concil.Later. vel non fuisse Generale,& Oecumeni-
cum, vel hanc de Pontificia potestate supra Conciliarem controuersiam non
fuisse definitam; Nam secus habendi fuissent Hæretici procul dubio omnes,
& habiti, qui contrarium sensissent post Later.Conc.definitionem: Et nihilo-
minus, præter Gallicos Præsules cum Card.Lotharing. ac Theologos, qui ad-
fuerunt T.C. (hi nunquam ibi, vel de hæresi suspecti, propter hunc sensum
fuere habiti) alij quoque insignes viri e Catholicis eam opinionem, quod præ-
ferenda sit Conciliaris Potestas Pontificiæ; saltem vt probabilem admittunt;
quos iniquum foret accusare vel de leui hæresis suspicione. Sic sentiunt 1.
Ex Ordine Prædic. dilucidè *Franc. Vict*. qui supra, Relect.4. allata §. *De hoc
ergo* prop.3. vbi addit, *Quamlibet habere Magnos Assertores*; nec non *Dom.
Sot*. qui supra (hunc post Vict. præponit sæculo superiori omnibus Hispanis
Theologis P.lib.6.c.2.n.5. qui & illum celebrat c.5. num.5. lib.7 c.5. num.3.&
lib 12.c.11.num 2.) init. ac fin.art.4.q.1.dist.20. in 4. quamuis magis inclinare
ad Pontifici fauentem videatur, vt etiam dist.22.q.2. artic.2. §. *Dubium autem*.
2. E Minorum Ordine *Alph.Castr*. de quo *Not*.19.& 42.lib.1. adu.hæreses c.2.
& lib.1. de Iust.Hæret.punit.c.5.ait, esse varias hac de re Theologorum, nec in-
fimæ sortis, sententias: Cui etiam accedit *Ant.Cord*.(hic sæpissime appellatur
a *Rodriq*. in tom.Quæst.Regul.Doctissimus) q.4 de potest. Papæ lib.4. Quæst.
Theolog. vbi nullatenus contrariam damnat sententiam: immo distinguens
quoad certitudinem definitionis in materia Fidei, ac Morum præfert per acci-
dens Concilium Papæ; quod & priùs non semel qu. 1. docuerat; vbi etiam
prop.10. §. *Igitur*, e *Castr*. eod.lib. 1.de Iust. punit. hæret. c.6. causis tribus tradi-
tis, propter quas Concilia petãt Confirmationem a Papa, licet legitimè con-
gregata errare non possint in Fidei, ac Morum decretis, Quartam ipsemet e
propria addit sententia; immo quamuis quoad *Potestatem Iurisdictionis* Cõ-
ciliarem posthabeat Pontificiæ, adhuc tamen id certum non esse significat, vt
colligitur ex his, quæ scribit de Concil. Basil. de quibus infra. *Cordubam* se-
quitur *Franciscus a Coriolano* ex Ordine Capuccinorum in Prælud. Summæ
Concil. dicatæ *Greg. XV*. Præl.2. §. *Dicamus*. 3. Ex Ordine Canonicorum
Regularium, tum *Raphael Comensis* in Malleo Hæreticorum, quo confutat
hæreses Bernardini Ochini ann.1543. impresso §. *Breues Annotationes de Pot.
Concil. & Potest.Petri* a pag.16. vbi illam huic absolutè anteponit; tum *Mar-
tin.Nauar*. Comment. in c.*Nouit* de Iud. (quem recognitum vulgauit Romę
an.1575.), Notab.3. in fin. num.84. addens, Canonistas frequentiùs ex *Decio*

Consil.15. (sed hic scripsit ante Later,Conc.& dicitur pro Pisano stetisse Con-
ciliabulo &c.) fauere Concilio. 4. Ex Ordine Heremit.S.Aug. celebris *Coqu.*
tom.2.in Antid.cont. Opposit.65.Morn.pag.322. vbi ait, *Iacobo Almaino Do-
ctori Sorbonico controuersiam fuisse cum Thoma Caietano, non de Primatu
Romani Pontificis, & num esset caput Ecclesiæ, & haberet iurisdictionem in
omnes Ecclesias, sed esset ne Papa supra Concilium, & Concilium supra Papam,
quod ille asserebat, & adhuc multi Catholici citra vllam suspicionem hæreseos
contendunt, cum neutrum sit ab Ecclesia definitum*. 5. Ex ipsamet S.I. *Bellar.*
lib.2.de Concil.c.13.allato inquit, *De hac re quæstio superest etiam inter Catho-
licos*: Quin etiam *Ioan. Mariana* lib.1.cap.8.de Reg. Instit. sic habet; *Multi
viri prudentes, ac graues, eruditione maxima, Pontifices Vniuersæ Ecclesiæ su-
bijciunt in Conuentu Generali de Religione, & Moribus deliberanti, Regiæ po-
testatis instar*. 6. *Matthias Vgon.* Ep. Phamaug. de quo supra, in libro quem
ante impressionem cum *Paulo III.* obtulisset, idem Pontifex Auctorem com-
mendauit litteris Apostolicis an.1534. Decem. 17. quemque priùs miserat ad
quinque primarios Cardinales ann 1531. Iul 1. eos supplex orans, vt illum re-
cognoscerent, ac emendarent, a pag. 113. ac 131. c. *Quæ sit potestas Concilij in
Papam*, hanc tuetur, soluere nitens rationes Card. *Turrec.* in Sum. Ecclesiæ
vnà cum solutionibus datis *Glosæ* in cap. *Si Papa* dist.40. verb. *A fide deuius*,
iterumque a pag.131. ad 137. c. *Quæ sententia, Papæ, an Concilij præualeat, si
contraria, vel diuersa sentiant*, & sic in alijs de translatione, ac dissolutione
Concilij, ac similibus Concilio suffragatur. 7. *Ioannes Driedo* Louaniensis
Theologus de dogmat. Eccles.lib.4.cap.4. apertè pro Concilio stat. 8. Narrat
Barthol. Garamont. vir valde a Sectarijs alienus lib.1. Histor. Gall. ab excessu
Henrici IV. cum Hispanus Theologus toties iactatam, neque vnquam probè
decisam quæstionem, non in problema, vt assolet, sed affirmatiuam, dum Pa-
risijs an.1610. Comitia Ord. Præd. Generalia haberentur, in hæc verba assi-
gnasset, *Nullo casu Concilium est supra Papam*, & adessent *Papæ Nuncius*,
Cardinalis Peronius, & Galli omnium facultatum Doctores, & hi nedum in-
tercessissent positioni, vt falsæ, verùm vt & hæreticæ, excanduissetque *Nũcius*,
& imperitos magna contentione affirmasset eos, qui arguebant (in quo raros
habuit acclamatores, versis in contrarium Coronæ sententijs) Cardinalem
Peronium virum doctum iuxta, & politicum, molliendæ inuidiæ causa quæ-
stionem Problematicam dixisse, *pro Summo Pontifice Italos omnes, & magna
pars Hispanos; reliquam pro Concilio Europam esse*. Sic profectò huic opinio-
ni Galliæ Regnum adhæsit (legi possunt ad hanc rem Oratoris Regis Chri-
stianissimi verba ad Pontificios Legatos in T. C. relata a Pal. lib.19. c.4. num.
4.) vt *Nauar.* d.5.de Pænit.in Grat.principium in Glos.Summ.n.32. referat ex
Almain. in 4.d.17. (an id seruetur modò, videant alij) *in Francia iudicatum
iri, tanquam Hæreticum, qui negaret Concilium Vniuersale esse supra Papam*.

OBSERVANDVM tamen est complures, quamuis existiment non esse hæ-
reticam, vel suspectam de hæresi opinionem, quæ primas partes defert Con-
cilio Generali, adhuc tamen cum *Bellarm.* c.17, lib. 2. allati, damnare aliquos
illam, vt temerariam, alios, vt falsam, ac erroneam: Qui tamen non sapien-
ter sentiunt, ac scribunt; nam si opinionem constituere probabilem, adeoque
non temerariam, non falsam, non erroneam, potest vnius grauis Doctoris
auctoritas, vel efficax ratio, iuxta id, quod habet ex ipsa S. I. *Valentia*, & *Sà*
apud *Sanchez* lib.1.Moral.c.9.num.7. & sequitur *Filliuc.*tom.2.trac.21. cap.4.
num.134. & huic præferendus *Layman* tom.1 trac.1,c.5. §.2. Multò æquiùs
cen-

censenda erit probabilis, pro qua stant multi, & doctrina conspicui Doctores, & quæ grauibus etiam innititur rationibus; nec poterunt leues existimari, nisi ab ijs, quos partium studium occœcat, similibus illis Iudicibus, de quibus *Quintil.* lib.6. cap.2. sic ait: *Sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum prævenit amor; ita omnem inquirendæ veritatis* (multoque magis Auctorum sapientiam, rationumque pondus examinandi) *rationem Iudex amittit occupatus affectibus; æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur.* Vt verò omittatur, nonnullos etiam censere probabilem sententiam, quam celebres proponunt Doctores, dum illam non damnant, vt improbabilem, qui alias damnare solent occurrentes sententias, vt improbabiles; & quibusdam eam tribui auctoritatem, vt nomen solummodo ipsorum, nulla etiam allata ratione, idonea indicetur ad conciliandam cuique opinioni probabilitatem, vt de plurimis suæ Soc. Scriptoribus scribit P. c.27. lib. Vindic. p.222. init. quemadmodũ significatum est *Not.* 10. & 34. quibus comparari queunt meritò aliqui ex illis, qui stant pro Concilio: ipsemet *Vasq.* 1-2. d.62. c.4. num.13. vbi præmisit, *Nec censeri debet temeraria opinio vnius Doctoris contra reliquos in re obscura, & opinabili, si maturo fundamento excogitata sit,* subiungit, *nam vt rectè admonet Cord. lib.*1.q.17.§.13. *Temeraria opinio non est absolutè censenda, quæ communi sententiæ Doctorum Scholasticorum contraria est, sed quæ absque sufficienti ratione, & fundamento excogitata est.* Idem ante *Vasq.* tradiderat *Bagnes* p.1.q.1.art.8. §. *Dubitatur circa tertium, QVIA potest iudicium vnius æquiualere pluribus.* Sequitur *Vasq.* quasi eius semper assecla, *Turr.* disp.65. de Fide dub.3 ac *Turr.* sequitur *Anton.* Barrad. Vesperar. Mag. S. Theol. in Colleg. Conimbr. ex Apolog. *Facund.* num.124. At non est vnius, nec Recentioris tantùm, opinio præferens Concilium Papæ, sed plurium, & antiquiorum quoque; nec vna, vel altera fulcitur ratione, sed compluribus, e quibus numerat sexaginta quatuor Cardin. *Iacob.* lib 10. de Conc. art.7. quarum multæ multùm vrgent, quibus tamen ibi adhibet solutionem: Ergo minùs sapienter illa damnatur, vt Temeraria: Quæ prætere si Falsa foret; An nõ falsitatem perspexissent tot celebres sapientia viri cuiuslibet fermè Nationis tempore Basileensis Concilij, qui *crimen hæresis* patrari censebant ab ijs, qui posthabebant Concilium Papæ, *vnaque omnium vox Concilium Eugenio præferret*, vt testatur ipsemet *Pius II.* in Bul. Retract. an.1463. Aprilis 26. postr. in Bull. vbi inquit quoque, Scholam Parisiensem, cæterasq. Germanię Vniuersitates idem sensisse, nec non *Ludouicum Romanum*, & *Nicolaum Panormitanũ* celeberrimos I.V.D. quibus præiuerant doctissimi Cardinales *Zabarella* in c. *Significasti de Elect.* & *Aliacensis in trac. de Auct. Eccl.* quibus etiam consensit deinde clarissimus vir inter Germanos *Nicolaus de Cusa* cap. vlt. lib.2. de Conc. Euangel. qui nihilominus Cardinalis creatus fuit a *Nicol. V.* an.1448. Dec.19? An non similiter, qui sęculis subsequentibus ijsdem adhæserunt, & qui non vt sophisticis fulcitam rationibus eam reiecerunt, sed potiùs, vt validis munitam argumentis, eam defenderunt, ab illa falsitatem abesse ostenderunt? Potiùs ex doctrina *Nauar.* c. 27. Man. num. 289. quam inter cæteros nouissimè complectitur *Aluiset* sect.4. dub.3. in fin. n.17. hæc potest dici etiam Communis, & non solùm probabilis, vt sic.

Neque obest, quod Pal. habet lib.9. cap.6 n.4. Romæ haberi, vt erroneam, & damnatam a communi Theologorum, & Canonistarum sensu opinionẽ, quod Papa Concilio subiaceat; Neque enim Doctorum multitudo vt sic, maximè si ita opinandi publicas, vel priuatas habeant causas, opinionem reddit

probabiliorem, vel etiam probabilem, vt iam *Not.* 45. ostensum; & quiuis Theologus, & Canonista, si paucos viros, modò graues, secum habeat, poterit stare aduersus plurimos, vt significat *Canus* laudatissimus apud Pal. lib.8. de Loc. Theol. cap.4. immo cum hæc habeat plusquam decem Auctores graues, & cum iudicio, seu examine eam deligentes, poterit dici etiam communis, vt iam significatum est. Nonne etiam aliquis Recentior posset eam reddere probabilem contra vnanimem fermè aliorum sententiam, vt colligitur e *Vasquez*, & *Valentia*, quorum nomen solùm tribuere cuilibet opinioni probabilitatem Pal. asserit? Quare eo nomine haud erronea censenda est, multoque minùs improbabilis, quod frequentiori modò Doctorum calamo reprobetur. Nomine profectò ROMÆ nequiuit Pal. intelligere vllam definitionem Pontificiam e Cathedra authenticè promulgatam, sed dumtaxat Curiales, & qui Romæ degunt, Theologos, & Canonistas, quorum etiam omnium internus nequit nosci sensus; & ad summum hanc opinionem reddere possunt probabiliorem: Et communiter quidem Doctores, qui superioribus sæculis, & hoc nostro fauerunt Concilio, vel hanc opinionem, vt probabilem admiserunt, iam cognouerant, haud eam Romæ laudari. Prudenter sanè Pal. tradidit, eam opinionem haberi erroneam *Romæ*, non verò a *Romana Ecclesia*, cum nullum extet Pontificium e Cathedra decretum vllam quoque notam inurens opinioni pro Concilio, cum tamen R.P. compertum sit, etiam post Lateran. Concil. nonnullos adhuc & acerrimè eam propugnasse, ac propugnare, multosque etiam suæ auctoritati admodum propitios, eamdẽ vt probabilem admittere. *Hæc* non eo allata sunt consilio, vt tanquam improbabilis, vel minùs quoq. probabilis censenda sit opinio fauens Pontificiæ auctoritati supra Conciliarem, cum etiam probabilior forsan sit, ac meritò possit quoque cum singulari laude sustineri; sed solùm, vt apertè demonstretur, apertè Pal. errasse, vel saltem minùs prudẽter egisse, dum docet in vltimo Lateranensi, quod reponit inter Generalia cum ceteris Lateranensibus, & alijs Generalibus, contineri maioritatem Papæ, & Concilij minoritatem; prætérquam enim ex his iniuria infertur, & grauissima, pluribus Catholicis viris singulari pietate, ac doctrina præditis, & singularem obtinentibus auctoritatem apud Catholicos, quorum aliquis etiam interfuit T. C. & cum laude, vt ipsemet de *Castrensi* nominatim tradit, dũ eos velut hæreticos haberi vult, vtpote aduersantibus definitioni Conciliari de Fide; ipsemet Fidei Catholicæ iniuriosus est, dum tãquam Fidei dogma certum proponit, quod est dubium, & controuersum inter Catholicos; & propter hoc a nonnullo posset de hæresi suspectus haberi, sicut colligi potest e doctrina eiusdem *Castr. Vasq. & Hurt.* cuius mentio facta *Not.* 19. Seipsum exponit pariter, suamue Historiam, irrisioni hæreticorum, ne dum minori suæ sapientiæ æstimationi apud Catholicos, dum animaduertunt ab eo in hac Historia, pro qua tamdiu desudatum est, proponi, vt certas definitiones e Concilijs Generalibus nonnullas, quas ex illis nõ haberi optimi, & sapientes etiã Catholici norunt, ac tradunt. Videri etiam potest Pal. sibi repugnans, dum in hoc capite prelationem Pontificiæ potestatis exponit, vt dogma definitum in hoc Lateranensi Concilio, alibi verò videtur ad summum eam damnare opinionem, vt erroneam, non explicans quoque sensum suum, sed tantummodo inquiens haberi vt talem, quemadmodum allato num.4.cap.6.lib.9.

52 Falsum est eiusdem P. pronunciatum, quod nec vna e sillabis legatur in hoc Concilio, quæ Pontificis auctoritatem augeat: Etenim, vt omittatur,

Tri-

Tridẽtinos Patres oſtendiſſe, dum de quibuſdam obſequiosè, ac fraternè monent duntaxat Romanum Pontificem, ſeu ad quædam ſolùm hortãtur eumdem, vt in fin.c.1.ſeſſ.24. ſe a Baſilienſium ſenſu Patrum recedere, qui multa imperarunt R. P. etiam circa quotidianas ipſius actiones, vt patet e ſeſſ.23. an.1436. Matt.25. PRIMO Apoſtolicæ Sedis auctoritati, vt iam *Not.*47. indicatum eſt, ſua quælibet decreta ſubiecerunt ſeſſ.7. init.cap.de Reform. &c. ſeſſ.25. quod nullius Generalis Concilij Patres ad illam diem apertè egerant. SECVNDO eadem ſeſſ.25.cap.2. præceperunt *omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & omnibus alijs, qui de iure, vel conſuetudine in Concilijs Prouincialibus intereſſe debent, vt in ipſa prima Synodo poſt finem præſentis Concilij celebranda, veram obedientiam Summo Romano Pontifici ſponderent, & profiterentur: Idemque in poſterum quicumque in Patriarchas, Primates,* Archiepiſcopos, *Epiſcopoſque promouendi in prima Synodo Prouinciali, in qua ipſi interfuerint, omnino obſeruarent*: Atq. priùs ſeſſ.24.c.12. decreuerunt, vt Quicumque prouiſi de Eccleſiaſticis Dignitatibus, Canonicatibus, & alijs quibuſcumque Beneficijs curam animarum habentibus, *Orthodoxæ ſuæ Fidei publicam facerent profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obediẽtia ſe permanſuros ſponderent, ac iurarent*: In forma autem iuramenti profeſſionis Fidei (quam facere ſolent etiam Catholici ad Doctoratum quemlibet promouendi in Italia ſaltem communiter) e Bulla *Pij.IV.* an.1564. Dec.9. edita, hæc inter cætera iurantur; *Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici* B.Petri *Apoſtolorum* Principis *ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro*. TERTIO in fine Concilij *De Recip. & Obſeru. Decr. Conc.* Romani Pontificis iudicio committunt, ſi *inciderent etiam, quæ definitionem poſtulent*, nedum declarationem, *conſulere* Pro*uinciarum neceſſitatibus, vel Concilij Generalis celebratione, vel commodiore quacumque ratione ei viſum fuerit &c.* Plura quoque alia eiuſdem iudicio cõmittunt Tridentini Patres, nec leuis quidem ponderis, inter quæ Conceſſionem Calicis in fin.ſeſſ.22. pro qua Principes Catholici non pauci, ac fere omnes Germani, vehementiſſimè rogabant. QVARTO Epiſcopi, & Ordinarij in nonnullis auctoritatem Delegatorum Apoſtolicæ Sedis acceperunt, in quibus frui auctoritate ordinaria videbantur. Oppidò nullum eſt Generale Concilium, in quo apertè tam ſingularis honos, ſicut in Tridentino, delatus fuerit Romano Pontifici, eiuſque poteſtati; & meritò quidem ad retundendam hæreticorum petulantiam, qui R. P. e ſibi debito honoris, & poteſtatis gradu propellere omni ſtudio contenderant, & contendebant. Hinc Pontifices hoc etiam nomine T.C. auctoritatem validiſſimè propugnant, ac vt illud ab omnibus reciperetur, & recipiatur, ſedulam adhibuere, & adhibent operam. Attamen obſeruant ſagaces quidam homines, cum tot occurrerint difficultates in incipiendo, proſequendo, & conficiendo T.C. ex parte tum Pontificum, tum Principum, tum Patrum ipſorum, qui Tridentum conuenerunt, difficillimè aliud in poſterum celebrandum fore Concilium Generale; quod non poteſt, vt aiunt, non eſſe Pontificibus Romanis gratiſſimum, ſicut & Romanæ Curiæ, ac Regularibus ipſis; in his enim fermè Concilijs Generalibus ſolent detrahi multa Regularium priuilegijs, Curiæ emolumentis &c. ac Romanus Pontifex videtur cogi ad multa, cæteroqui non conſenſurus, ob maiorum timorem incommodorum ſuæ poteſtati inferendorum &c.

Ad Cap. XI. Introductionis.

53 HAVD *Primum* absolutè ab Apostolis habitum Concilium est illud, de quo fit mentio Act.15. & ad Galat.2. sed est *Tertium*; nam *Primum* fuit pro electione Matthiæ loco Iudæ Actor.1. *Secundum* pro electione septem Diaconorum Act.6. *Tertium* de non præcipienda Circumcisione his, qui Christi fidem amplectebantur, siue Gentilibus, siue Iudæis Act. 15. *Quartum* de permittendo Iudæis conuersis vti cæremonijs veteris Testamenti ad tempus, dummodo spem salutis minimè in ijs collocarent Act.21. Hæc quatuor Concilia recenset *Glos.Ordin.* in Act. Apost. quæ præmitti etiam solet Conciliorum Tomis. Cardinalis autem *Iacob.* lib.1. de Conc. art.10. tria tantùm prima recenset: At Cardin. *Turrec.* lib.3.Sum.Eccles.cap.2. Octo numerat ab Apostolis celebrata; quæ tamen (si excipiatur postremum, in quo conuenisse Apostolos omnes ad condendum Fidei Symbolum communis opinio fert) non videntur ita fuisse vniuersalia, sicuti prima duo: Et magis quidam vniuersale fuit *Tertium* a Christi ortu an.51. quam *Quartum*, & iuxta *Turrec. Sextum* Act.21. Nam ad hoc conuenerunt solùm Paulus, & Iacobus Episcopus Hierosolymitanus, qui ad eam Synodum conuocauit Seniores, qui erant Hierosolymis, habitumque fuit tantummodo ad tollendam suspicionem Iudæis subortam, quòd Paulus doceret a Moyse dissensionem &c. Quare nec potest dici Generale, siue ex parte Præsidentis, cum non adfuerit Petrus, siue ex parte conuocatorum, cum duo tantùm adfuerint Adostoli, siue ex parte negocij tractandi, cum de vnica Pauli tollenda suspicione actum fuerit. Potest tamen *Tertium* vocari *Primum* Christianismi contra Iudaismum; & cum in illo actum sit de Fidei controuersia, tanquam exemplar cæterorum in similibus controuersijs proponi solet: Qua de causa a multis *Primum* nuncupatur. Concedatur id, & S. & Pal. Verùm a Pal. petendum, vndenam habeatur, quod ad Concilium *Tertium* Act.15. non conuenerint omnes Apostoli? Licet enim Gal.2.v.9. fiat mentio dumtaxat Iacobi, Petri, Ioannis, & Pauli, non tamen hinc fit, vt cæteri ab illo abfuerint Apostoli; meminit autem peculiariter Paulus illorum trium, quia *videbantur*, vt ibidem habet, *columnæ esse*, cũ Iacobus esset Hierosolymæ Episcopus, Petrus, & Ioannes essent ex Apostolis, quos peculiaribus beneuolentiæ signis Christus est prosecutus. Istud quidem sensit *S.Clemens* cap.12. lib.6. Apost.Constitut. nec *Turrian.* in earum explicatione ibi dissentit; nec non *Corn.a Lap.* in Act. Apost.eo cap. concedit Matthiam, vicinosque Apostolos conuenisse &c. quin etiam indefinita illa Act.15. v.6. *Conueneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*, videtur æquiualere Vniuersali iuxta Regulam cõmuniter receptam a Dialecticis, immo etiam I.V.C. apud *Barb.* Axiomat.123. Profectò cum materia tractanda esset ad fidem pertinens, vtpote circa Mosaycæ Legis, ac potissimùm Circumcisionis, obseruantiam, ac certè maioris per se ponderis, quam electio Matthiæ, & septem Diaconorum, est saltem probabile, quod, sicuti ad condendum Symbolum, omnes Apostoli accesserint ad eiusmodi Concilium; in quo S. Petrus, tanquam Princeps omnium primus locutus est, sententiamque suam proposuit, eique Iacobus consensit, subdens quoq. Tria tantùm ad Fidem conuersis, & conuertendis præ-

cipienda,

cipienda. Cum verò approbassent horum dicta reliqui Apostoli, ac Seniores, conditum fuit decretum, & ad Gentes illicò transmissum &c.

54 Sicuti negligentiæ reprehendendus est Card. *Turrec.* vbi supra & c. 16. inter hos, qui hoc *Tertium* Concilium Act. 15. celebrarunt omittens Ioannem, commemoratum tamen tertio loco Gal 2. v. 9. Sic temeritatis cuiusdam accusari posse nonnulli sentire queunt P. qui arguit S. quod Quatuor solùm Apostolos huic interfuisse Concilio affirmet: Nam profectò solùm Quatuor interfuisse dilucidè in sacris habetur litteris; Etenim *Barnabas* nunquam fuit ex duodecim Apostolis, sed ex septuaginta duobus Christi Discipulis, vt Cardinalis *Baron.* ex communi planè sententia docet, tum in Notis ad Martyrol. Rom. die 11. Iunij, tum in Annalibus. Vocatur quidem Apostolus, quia peculiariter cum S. Paulo ad Gentilium conuersionem constitutus fuit ipsis annuentibus Apostolis &c. Animaduertit etiam *Mald.* ad initium capit. 10. Matthei, veteres Auctores vim secutos nominis, septuaginta quoq. duos aliquando Apostolos vocasse, vt *Iren.* lib. 2. c. 7. ac *Tertul.* lib. 4. adu. Marc. Quo valde decoroso nomine insigniti sunt alij posterioribus sæculis, licet non in vniuersum Terrarum Orbem missi, vt duodecim Apostoli, ad prædicandum Euangelium, sed ad peculiaria Regna, vel ad peculiares Prouincias, vel Ciuitates; vnde non simpliciter Apostoli vocati fuere; inter quos numerari solet ex Ordine S. Benedicti, qui triginta & amplius Regna ad Christianam, & Catholicam Fidem reuocasse dicitur, *S. Bonifacius* Germaniæ Apostolus dictus; ac nouissimè assecutus est simile *S. Franciscus Xauerius*, vt liquet e Bulla Canonizationis, tum ipsius, tum *S. Ignatij* an. 1623. Aug. 6. ab *Vrb. VIII.* condita, atque Romano Martyrologio, vbi Indiarum Apostolus nuncupatur. Equidem *S. Barnabæ*, quamuis simpliciter Apostolus appellari soleat propter indicatam rationem, memoria solemnis tantùm est in Officio sub ritu Duplicis Maioris per annum, quo ritu celebratur etiam Conuersio S. Pauli &c. Nullatenus verò quoad abstinentiam ab operibus seruilibus, & obligationem Missam audiendi; qui cultus exiguntur in cæterorum duodecim Apostolorum honorem apud Catholicos quoscumque.

55 Quæritur pariter a Pal. vndenam habeat, quod illi Sacerdotes, quos nomine *Seniorum* vers. 6. Actor. 15. vocari ait (*Glos.* tamen exponit *Seniores ætate, vel gradu*, de qua voce legatur *Lorin.* in Act. Apostol. cap. 4. vers. 5.) & Laici, quos designari significat illis vocibus *cum omni Ecclesia* vers. 22. Decretum illud Apostolicum laudasse solummodo, nec suffragium tulisse? Et vrgetur quidem difficultas maximè circa *Seniores*; nam apertè horum nomine, sicuti & Apostolorum, conditum fuit illud decretum vers. 23. atque vers. 25. dicitur *Placuit nobis collectis in vnum &c.* quin etiam in fin. eiusd. cap. additur, *Paulum cum Sila perambulasse Syriam, & Ciliciam confirmantem Ecclesias, præcipientem custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Si Traditio tollatur, quæ habetur e monumentis Sanctorum Patrum, & Conciliorum, haud vnquam solos Episcopos iure Diuino votum habere decisiuum in Generalibus Concilijs suadebitur legenti hæc Actorum verba, quæ non minùs illud Episcopis, quam Presbyteris, concedere videntur. Præterea, nisi ad eam confugiatur, qua ratione suadebitur Sectarijs, nomine *Seniorũ* intelligi Presbyteros, seu Sacerdotes ab Episcopis gradu seiunctos, maximè cum nomen Presbyteri, & Senioris synonimum non semper significet Sacerdotes, ac non potiùs intelligi etiam selectos quosdam Laicos, quorum nomine, vt præcipuorum, approbantibus tamen cæteris Fidelibus, designatis quoque per

ly vers. 22. *Cum omni Ecclesia*, scriptum, missumque fuerit Decretum; adeoque prorsus immeritò Protestantes iterum, atque iterum petijsse, vt ex ipsis Primores, ipsorumque Theologi, alijque docti Laici vnà cum reliquis Catholicis Episcopis essent pariter Iudices Controuersiarum de Fide in T. C. dirimendarum? Nisi sanè Sectarijs opponatur Traditio, dicent Pallauicini, aliorumque interpretationem esse sacris Codicibus ipsis repugnantem, nedum minùs consonam. Et nihilominus contra Sectarios agendum esse potiùs, ac denique solummodo, e *Philosophicis rationibus*, *quàm testimonijs Patrum*, & *Conciliorum*, licet *aptis*, & *egregiè allucinari eos*, qui contra sentiunt cap. 28. lib. Vind. vt *Not.* 10. & 37. Pal. tradit. Neque dixerit Pal. se satis probasse, Laicos non potuisse ad istud conuenire Concilium, quia cum S. Petri Act. 2. sermone tria circiter hominum millia baptismum susceperint, factus sit Act. 4. credentium numerus quinque millia, ac postea Act. 5. & 6. subsecutæ conuersione aliæ; In quonam loco tunc tot Christiani conuenire potuissent? Dicent enim Sectarij; Tum non fuisse opus, vt vno in loco congregarentur omnes, sed potuisse diuersis in locis omnes congregari, & ab ijs peti suffragium ad Apostolos transmittendum; Tum satis fuisse, vt præcipui e Laicis a reliqua electi multitudine suffragium dederint; vnde nec ipsi volunt omnes planè Laicos habere votum in Concilijs, sed quosdam selectos, & hos comprehendi nomine *Seniorum*, qui alios repræsentant, sicuti etiam soli Episcopi ex vniuerso Orbe Catholico coacti in Generali Concilio, immo pauci quidam ex multis Prouincijs, dicuntur a nobis vniuersam repræsentare Ecclesiam; nec non constitutio facta a nostro Pontifice Romano dicitur facta ab vniuersali Ecclesia c. *Pia* de except. in 6. in ipso siquidem repræsentatur tota Ecclesia, & ideo ipse dicitur Ecclesia corporalis 1. qu. 3. cap. *Si quis obiecerit* 7. q. 1. cap. *Scire debes*, vt scribit Card. *Iacob.* de Conc. lib. 5. art. 7. §. *Dici tamen in proposito*. Sic in ipsomet T. C. pauci Episcopi (etiam duo, vel vnus) dicuntur repræsentasse aliquot Prouincias, & Regna; opus tamen fuit, vt vel illis præfuerint in spiritualibus, vel electi a reliquis Episcopis, vel Clero pro more &c. Sic etiam duo, aut tres Legati a R. P. missi ad Orientalia octo Generalia Concilia, vel etiam vnus sui Vicarius in ijs constitutus, dicuntur Ecclesiam Occidentalem repræsentare vniuersam. Cur ergo, subiungent Protestantes, excluduntur a Concilijs e Laicis Primores, præsertim cum agitur de condendis Fidei decretis, quæ est vniuersalis, quando illi fuerunt conuocati ad *Tertiū*, siue *Primum* hoc Concilium ab Apostolis, vel a Petro Apostolorum Principe, ab ijsdem discussa quæstio de Mosaycis cæremonijs, Decretum non minùs eorumdem, quam Apostolorum nomine, licet horum primo loco, conditum, sicut & præcepta ambor ū seruata &c.? Nisi tandem Traditio afferatur (quā esse pro Episcopis tantùm e more Conciliorum, maximè antiquissimorum, quæ non videtur probabile ab Apostolorum exemplo discessisse, tandem concludit *Lorin.* in fin. huius cap. 15. Act. Apost. e *Bellarm.* lib. 1. de Concilijs cap. 16. & 16.) facilè omnes, nec omnino temerè, Responsiones reijcientur a Sectarijs; Qui ideo hunc secundum Theologiæ locum vehementissimè aduersantur; sciunt enim hoc sublato Primum e Diuino Verbo scripto facillimè eludendum. Hinc Tridentini Patres sapientissimi sess. 4. ann. 1546. Aprilis 8. *Traditiones ipsas cùm ad Fidem, tum ad Mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas PARI cum sacris Scripturis pietatis affectu, ac reuerentia suscipere, ac venerari* professi sunt, & postea *anathematizauerunt*, qui

tradi-

traditiones prædictas sciens, ac prudens contempserit. Obseruauit quidem iam
Can. in aureo, quem semper ita nominat P. lib. de Loc. Theol. 3. cap. 2 in fin.
Nullum inter omnes Theologiæ locos esse certiorem nullum stabiliorem, nullum
sacris litteris exponendis magis necessarium, quam eum, quo Ecclesiæ Traditio
continetur; quæ tandem habetur e Patrum, Conciliorumq. testimonijs: qua-
propter & ibidem Patres Tridentini vetuerunt, ne vllus *auderet interpretari*
Scripturam contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia,
aut etiam contra vnanimem consensum Patrum: Hi certè sunt etiam testes
sensus, quem tenuit Ecclesia a priscis sæculis. Ex his obiter patet, oscitanter
procul dubio *Cani* libros fuisse a P. lectos, cum pro illa sua contra vnanimem
verè Theologorum, & omnium rectè, & Catholicè sentientium opinionem
Canum afferat pag. 232. lib. Vindic. Est siquidem euidentissimum legenti, vel
cap. 1. lib. 1. in quo de Theologicorum Locorum numero, atque Ordine agit,
& initium c. 1. lib. 9. quem citat P. a *Cano* RATIONEM NATVRALEM
esse collocatam, non inter *Locos Theologiæ proprios*, sed *ascriptitios, & velut*
ex alieno emendicatos, seu breuì *alienos*. Quin addit allato cap. 2. lib. 3. init. *va-*
nam, & futilem fore cum Lutheranis disputationem, cum hunc maximè Tradi-
tionis locum labefactare, ac funditus delere nitantur; ideoque cum eis, vt negan-
tibus principia, non esse disputandum; volunt enim circa Scripturæ sensa non
sentiendum, quod alij senserint, sed quod Ratio Propria præscripserit.

56 Tradit *Panor.* q. 1. n. 26. in Concilio Senis habito tempore *Martini V.*
ann. 1423. (in quam Vrbem fuerat ex electa iam in Constantiensi Concilio
Vrbe Papiæ translatum, causa, vt fertur pestis, & vtrobique electa Basileen-
sis Vrbs pro futuro post septennium Concilio iuxta decretum eiusdem Con-
stant. Concil. sess. 39. vt patet e Bullis eiusdem *Martini* an. 1423. Februarij 22.
& 1431. Febr. 1.) An Laici deberent in Generalibus Concilijs suffragium ha-
bere, *propter iurium varietatem dicta fuisse a varijs varia, nihil tamen circa*
hoc determinatum fuisse; ipse tamen, vbi attulit *Glos.* dist. 63. cap. *Hadrianus*
Papa verb. *Inuitantur* docentem, Laicos in causis Fidei, etiam non vocatos *de-*
bere, vel *posse saltem interesse* iuxta id, quod indicat d. 96. cap. *vbinam legistis*,
e Nicolai Papæ Epist. ad Michael. Imperat. *immo & subscribere* arg. cap. *Epi-*
scopus de loco 7. q. 1. Concludit tamen sapienter contra illam, non necessario
eos esse admittendos, in quibus agitur de Fidei Decretis, *Cum in Concilijs*
principalibus a Sanctis Patribus editis nec legatur illos fuisse vocatos, causaque
Fidei sit merè spiritualis; Existimat nihilominus, si Laici sponte se offerant
ad Concilium in causa Fidei, tunc debere admitti, & sic propriè loqui c. *Vbi-*
nam legistis; Sed quamuis concedat illis tractatum de Fidei quæstionibus, &
non tantummodo consilium, vel suarum, vt sic, opinionum relationem, deci-
sionem eisdem prorsus adimit. Etiam Cardinalis *Iacob.* lib. 2. art. 2. *de vocan-*
dis ad Concilium, vbi pro vtraque parte multas protulis auctoritates, §. *Sed*
contrarium, ait, *ex ista varietate iurium videri materiam valde difficilem*; ac
deinde post hæc, *in ista materia, quæ a paucis est posita (in qua & Doctores tran-*
seunt, sicut muscipula inter prunas, vt dicit Abb. in cap. graue de Præb. in fin.)
collectis aliquibus ex disputatione eiusdem Abb. (hæc est quæst. 1. iam allata)
quæ incipit Episcopus, concludit; *Necessariò Laicos non esse vocandos ad Con-*
cilium Generale, quando tractatur de rebus, & personis Ecclesiasticis, vtpote de
duobus contendentibus de Papatu, vel de depositione Papæ, vel de similibus, quæ
concernunt statum Ecclesiæ; quia ad eos, cuiuscumq. sint gradus, non spectat tra-
ctare Ecclesiastica, ac de spiritualibus disponendi data est tantum potestas Pe-

iro, & Ecclesiasticis personis; Nisi eis essent concessa aliqua de priuilegio, vel de consuetudine &c. ac nisi Papa vellet Laicos vocare, & facere eos capaces rerum Ecclesiasticarum, siue spiritualium, vt vocis dandæ &c. *Et isto modo*, subiungit, *possunt intelligi omnia iura*, in quibus apparet, Laicos interfuisse Concilijs, in quibus tractatum fuit de rebus spiritualibus, *quia interfuerunt, tanquam inuitati, non autem tanquam, qui iure suo necessariò fuerint vocandi*; tradit postea vocandos tantùm Episcopos, & alios maiores Prælatos. Iterum art. 6. *qui possint interesse Concilio*, inquit eos tantùm admittendos, qui necessariò sunt vocandi; *Alios autem inferiores admittendos secundum necessitatem, & occurrentiam rerum, secundum quod visum fuerit Papæ, & Concilio, vt ad consulendum, & disputandum*; præmiserat autem in Pisano, Constantiensi, & Basileensi Concilijs omnes Abbates, Magistros, Doctores, Licentiatos, Presbyteros, Religiosos, ac Procuratores fuisse admissos. Cum igitur hæc quæstio, an in CAVSIS FIDEI non solùm Clerici Episcopis inferiores, sed & Laici habeant votum quoque decisiuum in Generalibus Concilijs, non facilem habeat solutionem apud Canonistas, quæ difficilis antiquioribus visa est Canonistis, testibus *Panor.* & Cardin. *Iacob.* atque nonnulli e Catholicis post Cardinalem *Iacob.* secuti fuerint, minùs sapienter tamen, opinionem *Glos.* ex eo etiam, quod modo Episcopi (de quo grauiter conqueritur Card. *Turrec.* lib. 3. c. 4. Sum.) non ea censeantur fulgere doctrina, ac pietate, sicuti antiquiores, non animaduertentes hunc suppleri posse defectum e præcedentibus Theologorum, aliorumque peritorum, inter quos possunt esse aliqui quoque Laici, disputationibus, & consultationibus: Sapientis erat Pal. non ita nudè interpretari sacræ Scripturæ verba in eiusmodi controuersia non leui, & ex vi verborum ambigua, nullius e sanctis Patribus, vel antiquissimæ Traditionis facta mentione, addendo minimè VERITATIS Spiritum doctioribus (neq. enim negari potest, quin inferioris ordinis homines, ac Laici quandoque, sint plurimis doctiores Episcopis, ac in omni fermè sæculo quidam pariter e Laicis præstiterint multis in doctrina Episcopis) sed Ecclesiæ Pastoribus, quorum est pascere Christi oues pabulo in primis sanè doctrinæ, ac præsertim Romano Pontifici vniuersali omnium etiam particularium Pastorum Pastori: Etenim Pontifices, nec non Pastores animarum in Concilio Generali, soli sunt ex omnium consensu Catholicorum Iudices constituti a Christo controuersiarum Fidei; licet teneantur, antequam aliquid definiant, ac toti Ecclesiæ proponant explicitè credendum, diligentiam nec mediocrem adhibere (priusquam enim S. Petrus suam ferret sententiã in Concilio, de quo *Not.* 52. Act. 15. v. 7. dicitur, *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus &c.*) conuocando viros doctissimos vndequaque, & non solùm degentes in Romana Curia, vel certę nationis, si alibi doctiores sint, magisque habiles propter prudentiam quoque, ac sinceritatem ad idoneam consultationem, antequam vllas opiniones hæreticas, vel erroneas in fide declarent, quæ haud tales antea apud Catholicos sapientes nonnullos haberentur. Quod sanè præstitum & a Romanis Pontificibus, & a Tridentinis Patribus, Theologos, & Canonistas plurimos celebres conuocando, & admittendo e præcipuis omnibus Catholicis Prouincijs, eorumdem sensum exquirendo, priusquam Fidei Decreta conderentur; memores etiam e Græco Vaticano in lib. 2. Nicæni Cõcilij 1. an. 325. hæc legi; *Interea per singulos dies agebantur Conuentus, nec facile, nec temerè* (& tamen dogma definiendum vnicum erat) *de re tanta statuere audebant. Euocabatur frequenter Arrius in Concilio*, (hoc idem gestum

fuisset

fuiſſet cum Lutheri, qui mortuus eſt an.1546. Febr.18. poſt tres Seſſiones Tridenti habitas, aliorumque hæreſiarcharum ſectatoribus, ſi T. C. voluiſſent adeſſe, præſertim poſt ampliſſimos illis cõceſſos Saluoſconductus 25. Ian.1552. & 1562. Mart. 4.) *Et aſſiduo tractatu aſſertiones eius diſcutiebantur, & quid aduerſum hæc teneri deberet, aut ſtatui, ſumma cum deliberatione quærebat.* Iidem Patres Tridentini prudentiſſimè quidem, nec ex vrbanitate, vlli Laicorum concedere votum deciſiuum voluerunt (vt etiam ſenſerant Summi Pontifices) immo nec vlli Clerico in inferiori gradu Epiſcopali conſtituto, niſi Religioſorum Ordinum Præſidibus ſupremis, & quibuſdam paucis Abbatibus; qui mos etiam in Concilio Lateranenſi poſtremo ſeruatus fuit: Quin ab eo excluſi ſunt quoque ipſorummet Epiſcoporum Procuratores; ſic enim maiorem conciliarunt apud pleroſque T. C. venerationem hos tantùm admittentes, & ſi potuiſſent alij admitti; vnde & hoc etiam nomine Baſileenſe Concilium a non paucis parui æſtimatur, quòd a plurimis non Epiſcopis illud fuit celebratum: Conſtantiſſimi verò fuerunt, optimo ſanè iure, in nullo e Proteſtantibus admittendo ad votum quoque conſultiuum, cum illi haberentur hæretici, licet ab hæreticorum nomine abſtinuerint in Saluiſconductibus, tanquã ignominioſo valde, vt eos faciliùs allicerẽt ad acceſſum in Tridẽtinam Vrbem, quo tamen digni erant: Hæretici enim tanquam Catholicæ aduerſantes Fidei, repelli debent a voto quocumque in Generalibus Concilijs, nec in illis admittendi, niſi ad diſputandum, vel ad eorum conuincendos errores, vt fert communis quoque ſententia apud Cardinalem *Iacob.* allato art.2. §. *Repellendi* (qui hoc ipſum ſentit de Schiſmaticis §. *Et idem*, ac meritò; nam hi ſemet ab Eccleſia ſegregauerunt Catholica) vnde licet Concilio Niceno 1. adfuerint aliqui ex Epiſcopis hæretici, id tamen non patuit, niſi poſt illud abſolutum; antea enim exteriùs tales non habebantur; de quo legi poteſt Cardinalis *Baron.* ad an. 325. num.40.& 41. Hinc patet, duplici de cauſa repulſos fuiſſe Proteſtantes, eorumque Principes id enixè petentes, a ſuffragio ferendo in T.C. & quod Laici ſaltem plerique, & quod homines hæretici planè a Catholicis haberentur.

Ad Cap. XII. Introductionis.

57 SCitè quidem Pal. commendat Regulam apud Dialecticos, & Iuris Doctores receptam, vt hominum famæ, ac exiſtimationi fauentem, *Quoties verba multiplicem ſortiuntur ſignificationem*, ſeu ambiguus eſt verborum ſenſus, *hiſce ea eſt tribuenda interpretatio*, quæ vera ſit, ſeu ad Veritatem magis accedat, hoc eſt *aptior*, ac *melior*. Equidem non ſolùm *Greg. Arimin.* vir ingenioſiſſimus (e quo plurima hauſerunt Recentiores Theologi, ac Philoſophi, & tanquam ſubtilia ab illis excogitata argumenta rudes lectores, ac diſcipuli putantes, horum ingenium mirificè extollunt) in 1 diſt.28.q.2.artic.1. & 3. *Beneuoli*, ait, *eſſe lectoris in bonum ſenſum interpretari Auctorem*; verùm & *P. Vitell.* in litt.ad vniu.Soc.1617.Ian.2. inter linguę vitia quinque, quibus e ſibi ſubditis non paucos laborare ſcribit, tertio reponit loco, *aliena, ſeu dicta, ſeu facta in deteriorem accipere partem*.

Christi etiam præceptum est Matth.7. init. vt non malè iudicemus de his, quę bene, & malè interpretari possumus; vt *Mald.* ostendit e *Basil. Aug.* ac *Beda*, addens *August.* videri nimis restringere sensum, dum scribit, *Nihil aliud præcipi, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*; cum non solùm de animo alterius, sed etiam de rebus ipsis dubijs iudicare prohibeamur Rom.14.vers.4.c.10.vers.15.1.Corint.cap.4. vers.5. Iacob.cap.4.vers.11.& 12. Et *Less.* quidem lib.2.c.29. ad art.4. q.60. 2.2. tradit num.36. Quemcumque teneri *lege Iustitiæ dubia interpretari in potiorem partem Negatiuè, & Practicè, ita vt non propter dubium habeamus proximum pro improbo, aut auctore criminis:* Et licet num.37. & 38. scribat, non esse contra Iustitiam, sed videri esse dumtaxat contra charitatem opinari, seu suspicari aliquem esse improbum, cum dubium est positiuum; subiungit tamen illicò num.39. *Si est negatiuum, vbi in neutram partem suppetunt rationes, esse contra iustitiam malè opinari, cum quisque habeat ius, vt de se non habeatur mala opinio, nisi indicia id suadeant:* Quæ doctrina tam factis, quàm dictis, scriptis, editis alienis, non immeritò accommodari potest. An verò id præstiterit P. agens contra quosdam in lib. Vindic. & contra alios in Historiæ Voluminibus, præter ipsum etiam S. iudicium sit penes horum lectores librorum; qui etiam iudicare poterunt, an Historiam S. aspexerit ipse oculis ad examen, instar Machinatorum, an verò dumtaxat ad oppugnationem, instar bombardas explodentium; quæ est similitudo eiusdem Pal. in fine huius cap.

58 Falsissimum planè est, quod Pal. docet, qui & S. verba in hunc sensum, tanquam verum, exponit, persistentibus Ecclesiæ persecutionibus, hoc est vsque ad annum 312. non fuisse hæreses professos homines, qui vnà profiterentur Christi cultum, & sacris Codicibus fidem, adeoque non requisitos fuisse Generales Episcoporum Cœtus, qui controuersias examini subijcerent. Etenim 1. est id apertè contra *S. August.* in lib.83.Quæst.q.69. *Non potest error*, inquit, *oriri palliatus nomine Christiano, nisi de Scripturis non intellectis;* quæ verba affert *Castr.* init.cap.4.lib.1.adu.hæres. addens, *Sic enim a principio nascentis Ecclesiæ vsque ad sæculum nostrum factum esse reperimus.* Idem quoq. *Aug.* trac.18.in Ioan. *Neque natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacius asseritur:* Et trac.97. peculiariter obseruat, *omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait* Ioan.15. adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, *quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere, atque prædicare, quantalibet feratur audacia, spiritus erubescit immundus*; sed & lib.8. de Ciu. init. cap.51. *Videns diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen libertatis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos mouit, qui sub nomine Christiano doctrinæ resisterent Christianæ:* Hæc autem in sacris principaliter litteris continetur: Quin etiam multò ante *S. Aug.* qui secundo vixit sæculo *Tertul.* lib. de præscript. cap.15. *Omnes hæretici agunt ex Scripturis; vnde enim de rebus Fidei, nisi ex litteris Fidei, vrgerent?* Et qui paulò post *August.* floruit S. *Vinc. Lyrinens.* in libello (quem *Aureum* meritò cum alijs appellat Cardin. *Baron.* in Notis Martyr. Rom. ad diem 24. Maij) adu. Proph. omn. hær. nouit. inquit, *Hæreticos ita vehementer vti sacræ Scripturæ testimonijs, vt nihil vnquam pe-*

ne de

ne de suo proferant, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur; & in horum Opusculis nullam prope paginam omitti, quæ non Noui, aut Veteris testamenti sententijs fucata, & colorata sit; sciunt enim fœtores suos nulli fere citò esse placituros, si nudi, & simplices exhalentur, atque idcirco eos cælestis eloquij, velut quodam aromate aspergunt, vt ille, qui humanum facilè despiceret errorem, Diuina non facilè contemnat Oracula; atque præter alia in hanc rem elegantissima, morem etiam hunc fuisse Apostolorum tempore significat dilucidè, *Tales*, inquiens, *erant ij, quos percutit Apostolus* Paulus 2.*ad Corinth. dicens*, Nam eiusmodi Pseudoapostoli operarij subdoli transfigurant se in Apostolos Christi; *Quid est transfigurant se in Apostolos Christi? Proferebant Apostoli Diuinæ legis exempla, proferebant & illi; Proferebant Apostoli sententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant: sed cum ea, quæ similiter proferebant, interpretari non simi iter cæpissent, tunc simplices a subdolis, tūc infucata a fucatis, tunc recta a peruersis, tunc postremò veri Apostolis a falsis Apostolis discernebantur &c.* Ac subdit, *hæc esse callida diaboli machinamenta, quæ nunquam ille profectò comminisceretur, nisi sciret, omnino nullam esse ad fallendum faciliorem viam, quam vt vbi nefarij criminis subinducitur fraudolentia, ibi Diuinorum Verborum prætendatur auctoritas*. Qua arte vsum etiam fuisse diabolum cum Christo Domino Matth.4. post illius ieiunium, postea elegantissimè, ac eruditissimè ostendit. E quibus patet: TVM tempore etiam Apostolorum eos, qui Apostolicæ aduersabantur doctrinæ, sacræ Scripturæ testimonijs vsos fuisse in ea reprobanda, suaque propria proponenda, nec absque illis ausos fuisse fideles decipere, quos imitati sunt subsequentes hæresiarchæ &c. TVM opus fuisse, vt obeuntibus Apostolis (nam ad eos viuentes, ac præsertim ad S. Petrum, id munus spectabat) aliqui essent in Ecclesia Iudices Controuersiarum Fidei, seu quænam esset legitima sacrorum interpretatio testimoniorum; nam & Hæretici, & Catholici illa adhibebant, sed oppositos sensus ijsdem tribuebant: Et sic successiuè eadem semper horum Iudicum necessitas fuit in Ecclesia. 2. Nullæ fuissent iuxta Pal. hæreses, nulli hæretici ante Arrium, & Arrianam hæresim. Quid enim est hæresis, nisi Dogma Falsum Orthodoxæ Fidei repugnans, seu error intellectus Catholicæ Fidei contrarius? Et quis hæreticus, nisi qui baptizatus pertinaciter asserit aliquid repugnans, seu oppositum Orthodoxæ, seu Catholicæ Fidei? At ista innititur Verbo Diuino, seu scripto, seu tradito; Ecclesia enim, seu Generalia Concilia, ac Pontifices se habent solùm, vt proponentes vtrumque verbum, diuinamque reuelationem dubiā explicantes, spiritus veritatis lumine Patrum, qui Concilijs intersunt, Summorumque Pontificum intellectui peculiariter illapso, ne in propositione, ac explicatione errent, vbi fecerunt, quod in se est. Quis, quæso, Christianus inter Christianos opinionem suam serere ausus fuerit, nisi Christianæ doctrinæ palliatam nomine cum verè eidem repugnet? Hæc autem nonne primariò in Canonicis habetur scripturis? 3. Profectò & Historiæ Ecclesiasticæ, & illi, qui scripserunt de hæreticis, ac hæresibus omnes, plurimas hæreses, plurimos hæreticos ante Arriū enumerant, quod solū penitus idiotæ ignorare queunt; ac id e prauo Scripturarum sensu ortum fuisse in primis asserunt. Si legisset P. vel primum *Conciliorum Tomum*, etiam solummodo vsque ad Nicenum Concilium, illi, præter alia, occurrisset Concilium Chartaginense sub *S. Cypriano* an.254. vel 258. celebratum ab octoginta septem Episcopis Africæ, Numidiæ, ac Mauritaniæ, in quo, quod hæretici redeuntes ad Ecclesiam ab alijs baptizati hæreticis essent

ſent rebaptizandi, Epiſcoporum plerique fermè ſemper ex aliquo Scripturæ loco confirmarunt, vt ibi apertè legitur, ſicuti & in Operibus eiuſdem *S. Cypriani* cuique obuijs: Peculiariter autem non ſolùm Donatiſtas, vt probarent Sacramenta per peccatores adminiſtrata irrita eſſe, adhibuiſſe verba cœci, cui Chriſtus viſum reddidit Ioan. 9. v. 31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non exaudit*, affirmat *S. Aug.* lib. 2. cont. Epiſt. Parmen. cap. 8. & lib. de Bapt. 5. contra Donat. cap. 20. ſed eadem quoque *S. Cyprianum* miræ ſanctitatis virum, epiſt. 64. & 80. vt probaret Baptiſmum ab hæreticis datum eſſe repetendum, obſeruat *Mald.* ad ea cœci verba. An non opus tunc fuit Concilio Generali, ſeu Plenario, vt loquitur *S. Aug.* ad id examinandum, iſtumque errorem relegandum, qué e ſacris potiſſimè litteris aſtruebant illi cum *S. Cypriano* allati Patres? Sine illo quidem errorem hunc non potuiſſe penitus remoueri ab Eccleſia, non ſemel fatetur idem *S. Aug.* in lib. 7. cont. Donat. de Baptiſmo; in quibus Reſponſionem affert in primis ſacrarum teſtimonijs litterarum, qui pro iſto errore ſtabiliendo ab hiſce Epiſcopis fuerant allati: Qui error deinde cenſetur vniuerſim damnatus in Niceno Concil. 1. in cuius Can. 19. decretum fuit, vt baptizati a Paulianiſtis (horum princeps fuit Paulus Samoſatenus in Syria ſub Victore I. & Seuero Imperatore, vel potiùs ſub Dyoniſio, & Claudio Imperatore) rebaptizarentur, quia ſcilicet illi in Trinitatis nomine non baptizabant 1. q. 1. cap. *Paulianiſtæ*; qui qua forma vterentur, ait *Caſtr.* lib. 3. adu. Hæreſ. verb. *Baptiſmus* hæreſ. 2. non conſtare: Ideoque tacitè ab eo Concilio approbatus fuit Baptiſmus a cæteris collatus hæreticis. 4. Omnes Eccleſiaſtici Scriptores cum *Iſid.* lib. 6. Ethym. cap. 16. qui refertur etiam init. cap. 1. d. 15. aiunt, *Canones Generalium Conciliorum a temporibus Conſtantini Imperatoris cœpiſſe; in præcedentibus namque annis perſecutione feruente, Chriſtianitate in DIVERSAS HAERESES ſciſſa, non fuiſſe licentiam Epiſcopis in vnum conueniendi.* Ad has autem hæreſes condemnandas ante annum 325. ſatis fuerunt, vel Romanorum Pontificum Decreta, maximè Vniuerſalis Eccleſiæ ſubſecuta probatione, vel etiam Prouincialia Concilia, quorum aliqua recenſentur ante Nicenum Generale, primumque poſt Romanum ſub *Victore* Papa ann. 198. fuit *Cæſarienſe* in Paleſtina de celebrando Paſchate Dominico die poſt 14. Lunam, & Vernale Æquinoctium occurrente, vt eod. an. *Victor* in Conc. Rom. ſtatuerat; *Pius* autem I. videtur ſolùm in ſua Decretali ſtatuiſſe, vt Paſcha die Dominico celebraretur cap. *Noſſe vos*, & cap. *Celebritatem* diſt. 3. de Conſecrat. Prouincialibus enim Concilijs tunc affuiſſe S. Spiritus illuminationem, ne errarent, exiſtimat *Cord.* lib. 4. Quæſt. Theolog. q. 1. *Arma Fidei* in fin. §. *Quia ibi*, ſubdens, *Nam vix aliquod eorum erraſſe reperitur, niſi quando illegitimè fiebat, aut notabiliter deficiebant in faciendo, quod in ſe erat; vnde & illa fere omnia iam per Eccleſiam, ſicut & Concilia Generalia, approbata ſunt; & ſimiliter nunc Spiritus ſancti illuminatio ſemper adeſſet Concilio Prouinciali, aut alteri Congregationi in nomine Chriſti congregatæ, vbi ſimilis eſſet caſus, ſiue neceſſitas, & periculum eſſet in mora, nec ad Concilium Generale, vel ad Papam commodè poſſet eſſe recurſus ad rem Fidei, vel Morum definiendam; & ſecundum hæc S. Greg. in Reg. lib. 12. cap. 31. S. Auguſt. cap. 12. contra duas Epiſt. Pelag. alijque Doctores ſunt intelligendi.* Exiſtimandum tamen videtur, vt hæc etiam ante Nicenum cunctos planè fideles obligarent ad internum fidei aſſenſum, neceſſariam fuiſſe, e communi ſententia, tacitam ſaltem R. P. approbationem. Illud quidem conſtat e Romanorum Pontificum Decretalibus Litteris, quæ leguntur in 1. & 2. Concilio-

rum

rum Tomo, priſcis ſæculis eos fuiſſe in ſacris verſatiſſimos Litteris, e quibus
ipſimet, vel Fidei decreta condebant, ſeu Fidei Catholicæ dogmata explica-
bant, vel reſponſiones afferebant frequentiſſimis Epiſcoporum maximè, alio-
rumque interrogationibus: Quod idem videre eſt in libris SS. Patrum, quo-
rum plerique fuerunt Epiſcopi; ex ijs enim hæreſes oppugnarunt, complu-
reſque hereticos fuiſſe demonſtrarunt: Hoc autem ſtudium ſanè in poſterio-
ribus ſæculis apud Primores Eccleſiaſticos adeo deferbuit, vt *Canus*, de quo
ſæpius, c.9. lib.9. de Loc. Theol. ſcripſerit, *Nos ipſi præſertim in Italia* (in qua eſt
principatus Religionis, ac Fidei Catholicæ) *VIDIMVS* (fuit *Can.* in Italia,
dum adfuit T.C. ſub *Iulio III.* an.1551. quod & ipſe teſtatur lib.5. c.5. §. *Non-
ne igitur*, & lib.11. §. *Quod ſi Prophetias*, ſcribitque Pal. lib.12. cap.1. num.6. &
cap.2. num.5. & 7. immo ſe illum Florentiæ vidiſſe an. 1560. in ædibus D.Ma-
riæ Nouellæ hoſpitem tranſeuntem affirmat *F. Seraph. Ract.* Ord. Præd in
Collect. ac Explicat. Prælect. in Loc. Theol. eiuſdem *Cani*) *MVLTOS*, *qui
Scriptura ſacra neglecta ad Philoſophorum doctrinas, tanquam ad Syrenum
ſcopulos, adhærebant*, *POSTQVE GALEROS ETIAM*, *ET IN PV-
LAS*, *non Prophetas*, *non Apoſtolos*, *non Euangeliſtas*, *ſed Cicerones*, *Pla-
tones*, *Ariſtoteles perſonabant*; Et vtinam quoque non Tacitum, & Scripto-
res huic affines, non Boccacciũ, Petrarcham, alioſque Latinæ, vel Hetruſcæ
linguæ Principes viros, & in vocum Hetruſcarum, vel Latinarum Ethymo-
logijs noſcendis, ſeu inueſtigandis ſtudium reponentes ſuum, quaſi deeſſent
curæ eorum muneri, interdum ampliſſimo, grauiſſimę; quibus pro hiſce nugis
tempus ſubtrahendum foret, opera alijs data incumbendi in ea, quæ potiſſi-
mè ad eos ſpectarent. Quæ *Cani* iuſtæ enimuero querelæ tunc, modò poſt T.
C. vtinam meritò nunquam ab vllo proferantur; & de Italia præſertim; cum
T.C. Patres primum Reformat. de S. Script. lect. decretum condiderint, vt
planè ante omnia illi neceſſarium, ne *Cæleſtis ſacrorum librorum*, *quem Spi-
ritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit*, *neglectus iaceret &c.* Qui
ſanè, niſi neglectus iacuiſſet apud pleroſque etiam Theologos, quo tempore
Lutherana hæreſis cæpit, vel ſtatim extincta, vel non latè fuiſſet propagata,
vt inquit idem *Canus* init. eiuſdem lib.9. indicatque Pal. lib.1. cap.2. num.3. c.
6. n.3. & cap.12. num.8. Omnibus Epiſcopis indicuntur illa Pauli ad Thim.1.
in fin. cap.4. *Attende tibi*, *& doctrinæ* (ſeu *verbis Fidei*, *& bonæ doctrinæ*, *non
ineptis*, *& anilibus fabulis verſ.6. & 7.* ſeu *doctrinæ*, *quæ ſecundum pietatem eſt*,
non quæſtionibus, *& pugnis verborum cap.6. verſ.3. & 4.* in quibus ſitæ ſunt, ni-
ſi pleræque, ſaltem plurimæ, ac ex præcipuis quandoque modò, inter Philo-
ſophos, ac Theologos controuerſiæ; ſeu *ſacris litteris*, *quæ poſſunt inſtruere
ad ſalutem*, *non ſtultis*, *& ſine diſciplina quæſtionibus*, *quia generant lites 2. ad
eund. c.3. verſ.15. & cap.2. verſ.23.*) *INSTA IN ILLIS*; *hoc enim faciens*,
& teipſum ſaluum facies, *& eos*, *qui te audiunt*. In his Fidei verbis, ac doctri-
næ cum inſtitiſſent priſci Pontifices, potuerunt facilè ante Nicenum Conci-
lium e ſacris ipſiſmet Scripturis reprobare errores, qui e praua earum intelli-
gentia irrepere cæperant in Eccleſiam; vt *Nouationorum* ſub *Cornelio* anno
254. qui negabant eos, qui poſt Baptiſmum peccatis ſe obſtrinxiſſent, ac no-
minatim ijs, quæ dicuntur *peccata ad mortem* Ioan.1. cap.5. alijſque grauiſſi-
mis illis ſimilib. quæ dicuntur in ſacris litteris *irremiſſibilia* Matth.12. verſ.31.
Marci 3. verſ.26. eſſe recipiendos, quamuis pœnitentes, ab Eccleſia, nec ab
eadem abſoluendos; *Sabellianorum* circa an. 265. ſub *Sixto II.* perſonarum
diſtinctionem in Diuinis negantium; *Pauli Samoſateni*, de quo ſupra, anno

263, ſub

263. sub *Dionysio* alia inter impia dogmata affirmantis Christum purum hominé esse: Quæ & similia, qui inficiaretur hæreses non fuisse, & non occasionaliter desumpta e sacris litteris, & non ex ijsdem a Romanis præcipuè Pontificibus reiecta ante Nicenum Concilium, negaret etiam Solem esse luminare maius, sed Lunam. Earum profectò studium in Apostolico vigere Palatio voluit *S.Bern.* lib. 1. de Consid. ad *Eugenium*, non Legum Ciuilium, ac similium, quibus adiungi solent lites, contentiones, clamores, strepitus, &c. addens, non esse per se Pontificij muneris, Pontificiæ dignitatis audire causidicos, forensibus, ac temporalibus negocijs vacare, cum maiora sint amborum propria, *Cura Ecclesiarum &c.*

59 Fauere videtur Pal. vehementer hæreticorum causæ contra R.P. dum habet, Niceno Concilio nullum interfuisse Occidentalis Ecclesiæ nomine; cum apertè *Osius* Cordubensis Episcopus, *Victor*, & *Vincentius* Vrbis Romæ Presbyteri subscripserint, & primo loco inter 318. Patres, qui conuenerunt; in subscriptionibus autem habitam fuisse Ecclesiarum dignitatis rationem in primis, non doctrinæ, non prudentiæ personarum Concilijs assistentium, nemo non peritus nouit. Potest ne vlli etiam apparenter verisimile videri, quod illis tribus, e quibus duo erant quoque Presbyteri tantùm, primas in subscriptione tribuissent partes illi Occidentales Patres, nisi quia erant Legati, & missi a *S.Syluestro* Romano Pontifice? Et eos quidem illius nomine affuisse scribunt *Cedrenus* in Compendio Historiarum, & *Photius* ipse in lib. de sept. Synod. vterque Græcus. Idem *Sozom.* lib. 1. cap. 26. supposito tamen nomine Iulij loco S. *Sylu* ac *Gelas.* Cyzicen Episc. in Comment. Act. Conc. Nic. Sed & *Theodor.* lib. 1. cap. 7. (cui consentit *Euseb.* cap. 7. lib. 3. Vitæ Constantini) apertè ait, Episcopum Romanum propter ætatem admodum ingrauescentem ab eo abfuisse Concilio, verum duos misisse Presbyteros, potestate illis concessa Niceni Actis Concilij assensum præstandi; iam enim ab anno 318. *Osius* a *S. Syluestro* fuerat in Oriētem Legatus, tum ad *Constantinum*, tum ad celebrandam Alexandriæ Synodum vnà cum *Alexandro* illius Ciuitatis Episcopo ad sedandos tumultus ab Arrio iam excitatos, vt ad eum annū Cardinalis *Baron.* Certè *Athanasius* in Epist. ad solit. vit. agent. scribit, *Osium fuisse Principem in eo Concilio, ac scripsisse Nicenum Symbolum*; qui etiam in *Sardicensi* Concilio (quod cum appendix Niceni censeatur, licet fuerit Generale an. 347. sub *Iulio* coactum e 376. vel saltem 300. Episcopis ex Oriente, Occidente, Septemtrione, omnibusque fermè Prouincijs Christiani Orbis, nō tamen inter Generalia seorsim collocatur) *Osius* fuit, & solus, qui proposuit 20. Canones probatos a Patribus; inter quos fuit Patriarcha Alexandrinus, vt liquet e subscriptione, sicut & in Niceno etiam Antiochenus, & Hierosolymitanus, cum alijs Metropolitis &c. cum tamen *Osius* esset tantùm simplex Episcopus. Legantur ad hanc rem inter alios *Baron.* ad an. 325. & 347. potissimè, *Coqu.* qui & affert *Bellar.* lib. 2. de Rom. Pont. tom. 1. in Antid. cont. Oppósit 4. Morn. pag. 152 157. 164. 165. & 177. Satis quidem fuit, quod hi fuerint a R.P. missi, eiusue nomine interfuerint Nicæno, ad hoc vt Occidentalis Ecclesiæ Episcoporum nomine illi adfuisse censeantur, cum solus ille in Occidente Patriarcha sit; sed quia simul est Pater, & Pastor omnium, etiam Episcoporum, Patriarcharum &c. ideo illius Legati cæteris omnibus in hoc Cōcilio, sicut & in alijs, fuere prælati. Docet sanè *Bellar.* lib. 1. de Concil. c. 17 vt haberetur, & diceretur Oecumenica Synodus celebrari in Oriente, ex toto Occidente mittendos fuisse a R.P. aliquos qui aliorum supplerent locum: Atque

que probabiliſſimum eſt, antequam duos Roma mitteret Presbyteros, & cum ijs conſtitueret Legatum primo loco *Oſium*, qui in Oriente iam degebat, ex Epiſcoporum complurium conſenſu id etiam præſtitiſſe; cum enim ſcribat *Baron.* vt notat *Coqu.* pag. 164 ante Concilium Nicænum collectam eſſe Romæ Synodum a *S. Sylu.* in Traiani thermis ex 230. ſiue 284. Epiſcopis an. 320. E ſuffragijs quoque Epiſcoporum Italiæ ſaltem, qui faciliùs etiam Romam conuenire poterant, vel etiam ſolùm ab ijſdem, & alijs per litteras petitis, vt Occidentalem Eccleſiam auguſtiùs Legati repræſentarent, hos loco ſui, & Occidentalium Epiſcoporum videtur ſubſtituiſſe, maximè cum illi ſenſum totius Occidentalis Eccleſiæ circa Arrij opinionem eſſent primo expoſituri loco: Non conſueuerunt autem priſci Pontifices, & potiſſimè, vbi pax reddita fuit Eccleſiæ, grauis res ponderis ſtatuere ſine Concilijs Epiſcoporum, ac Italiæ præſertim; quorum loco modò ſunt Conſiſtoria Cardinalium, quæ ſolent bis in ſingulos menſes ſaltem indici, & haberi; & cum illorum pleriq. Romæ degant, faciliùs ex eorum conſilio multa decerni queunt &c. Heu quam imprudenter omnino, ſuffragatur Pal. illis, qui Romanis Pontificibus præſidentiam in Concilijs abnuunt, conceduntque ijs tantum conuocationem Conciliorum Generalium; cum oporteat eſſe aliquem, qui cæteros cōuocet Epiſcopos, vt fit etiam in cæteris Collegijs, & Communitatibus; facta autem conuocatione Epiſcoporum nullum concedunt ius R. P. conuocationem illam diſſoluendi, aut aliò transferendi (Quod ſanè in nonnullis caſibus illis adimit Cardinalis ipſemet *Iacob.* lib. 10. art. 6. cuius auctoritatem attulit Cardinalis *Pacec.* cum actum fuit in T. C. ſub *Paul. III.* de illius Bononiam translatione, vt refert Pal. lib. 9. cap. 14. num. 2. qui num. 3. & 6. affert reſponſionem *Cardinalis a Monte*, & aliorum) Atq. huiuſmodi translationem primò aiunt factam ab *Eugenio* IV. (quem ſecutus eſt poſtea *Paulus III.* an. 1544. Febr. 22. in Bulla concedens etiam duobus Cardinalibus Legatis poteſtatem ſupprimendi, & diſſoluendi Concilium in Vrbe Tridentina, & in aliam transferendi opportuniorem, vel tutiorem, prout eis videretur; quod factum anno 1547. Mart. 11.) anno 1433. Iul. 29. ac iterum Septemb. 13. atque Decemb. 15. quoque, ſi tertia Bulla *Eugenij* foret, quod ipſe inficiatus eſt: Ideoq. addunt, hoc Cōcilium legitimè celebratum fuiſſe, cum a *Mart.* V. fuerit conuocatum, & ab *Eugen.* quoque talis conuocatio cum illius etiam Concilij proſecutione approbata: Subduntque, haud tunc fuiſſe neceſſariam ipſius *Eugenij* præſentis, aut eius Legatorum præſidentiam; ſecus enim pro Papæ arbitrio nihil poſſet ſtatui, cum ipſe poſſet nolle accedere, vel Legatos mittere; & ſic fruſtra inſumpti labores Epiſcoporum, & aliorum, qui ex omnibus cōueniſſent Catholicis Prouincijs, atque nullatenus obtineretur finis, propter quem illi cōueniſſent, & Bulla Conuocationis propoſuiſſet: Quare Baſileenſes Patres, licet poſt reuocationem Bullarum diſſolutionis Concilij an. 1434. Februar. 5. admiſerint Aprilis 26. quinque *Eugenij* Oratores loco eius in Concilio Præſidentes, admiſerunt tamen ſine vlla iuriſdictione coactiua (ideoq. tantùm honoris ergo Romanæ debiti Eccleſiæ) huic ſeſſ. 17. præſentibus centum Præſentibus centum Prælatis cum Mitrijs albis, & Sigiſmundo Imperatore coronato &c. Quam Præſidentiam cum poſtea ſubſtuliſſet *Eugenius*, adhuc tamen perſeuerarunt in condendis ſtatutis, vtpote quam non exiſtimarunt neceſſariam ex ratione allata. Profectò R. P. cuius dignitati erant infenſiſſimi Proteſtantes, in T. C. Præſidentia per ſuos Legatos, non fuit vltima e cauſis, propter quas detrectarunt ſemper ad illud reipſa accedere: At cum audiſſent, in

1.sess.sub *Pio IV.* quæ est 17.T.C.an.1562.Ianuar.28. concessum dilucidè, vt
soli Legati Pontificij proponerent agenda, & decernenda a reliquis Patribus
(quorum explicationem verborum ipsimet Patres inseruerunt cap.21. sess.24.
petente id præ cæteris vehementissimè Catholico Rege, eiusque Oratore
Comite Lunensi) euasit vna e præcipuis ad Concilium non accedendi, quam-
uis die 4.Martij deinde amplissimum Patres T.C. illis Saluumconductum
benignissimè fuissent elargiti, vulgaruntque ipsorum Theologi apud vulgus,
hac de causa potissimè, & non dumtaxat, quia illud conuocasset R.P. minimè
T.C. esse legitimum, nec fuisse adhuc dictitant. Erat potiùs hæc Romanæ
Pontificiæ dignitatis in Præsidentia Legatorum Apostolicæ Sedis ratio habi-
ta in hoc primo Generali Concilio, cui & ipse interfuit Orientis, & Occiden-
tis Imperator Constantinus, Protestantium oculis cum reliquis Scriptoribus
Latinis, & Græcis subijcienda a Pal. non verò subtrahenda, eorum votis de
Romani Pontificis depressione annuendo dilucidè.

60 Non erat quoque Pal. omittendum, Ephesinum commemoranti Con-
cilium anno 431. habitum, quod primum ibi habuerit locum, illique præfuerit
S.Cyrillus Alexandrinus, quoniam esset *Cælestini* Papæ Legatus, siue illius
personam gerens; quod scribunt e Græcis ipsimet *Euagr.* lib.1 cap 4. *Photius*
quoque cap.3. de sept. Synod. *Balsamon*, cæteroqui in R.P. auctoritatem non
propensus, in Nomocanone tit.8. cap.1. vbi & addit, vt constaret *Cyrillum*
habere ius, & auctoritatem Papæ, *Sedisse cum Phrygio, & condemnasse Ne-
storium, & ab eo tempore Patriarcham Alexandrinum cum Phrygio celebras-
se*: Quibus subscribit *Niceph.* pariter Græcus lib.14.cap.3. subiungens, *ex eo
tempore factum est, Mitram illum, & Papæ appellationem, ac vt Orbis Vniuer-
si Iudex appellaretur, accepisse, quæ deinde omnia per successionem ad eos etiam
peruenerint, quibus fortè Ecclesiæ Alexandrinæ Thronus legitimè peruenisset,
sacros Episcopos.* Atqui *Baron.* ad ann.431. solùm de Mitra, ac Phrygio con-
sentit. Etiam *Bellarm.* lib.1. de Concilijs cap.13. & 19. præter *Niceph.* affert
Prosp. in Chron. ac Epist. *Cælestin.* ad *Cyrillum*: Et hæc quidem reponitur
tom.1.Conc.Eph. cap.6. sicuti & cap.17. Epist. satis prolixa eiusdem *Cælestini*
ad Nestorium, in cuius fine habet, se sui in ipsum iudicij formulam ad *Cy-
rillum* transmisisse, *Vt*, inquit, *nostra in hac parte Vicarius efficiat, quo nostrũ
decretum, & Tibi, & reliquis quoque omnibus Fratribus patefiat*; & cap.18. in
fin. litt. ad Clerum, Populumque Constantinop. idem scribit; nec non tom.2.
in Epist.17. Synodica ad Imperatores Theodos. & Valent. apertè scribunt Pa-
tres, *Cælestinum Cyrillo, vt suas in hac parte vices subiens Romæ definita perfi-
ceret, commisisse*: Quamobrem Exauctorationis Nestorij cap. 10. relatæ ini-
tio dicunt Patres, *Per sacros Canones, Sanctissimique Romanæ Ecclesiæ Epi-
scopi Cælestini Patris nostri litteras, lachrymis suffusi, & pene inuiti ad lugubrẽ
hanc sententiam vrgemur*; cui sententiæ primo loco subscripsit *Cyrillus*, ac post
eum Hierosolymorum Episcopus; cui tamen primus honos post Alexandri-
num, & Antiochenum a Nicæno Concilio can.7. iuxta consuetudinem fuit
probatus. Idem testati sunt tres Legati ab eodem *Cælest.* ad hanc Synodum
missi, vt habetur cap.13. qui cum ad præfinitum diem tempestatibus iactati
Ephesinæ Synodo non potuissent adesse, illam confirmarunt Exauctoratio-
nem, & Acta illius Synodi nomine *Cælest.* cum omnia iuxta sententiam, &
placitum ipsius Ephesini Patres effecissent. Equidem cum 200. fuerint Patres,
& plurimi haud Patriarchæ Alexandrino subiecti, nisi *Cyrillus* prærogatiuam
locumtenentis *Cælest.* R.P. obtinuisset, non ante omnes planè sedisset, locu-

tus fuisset, subscripsisset &c. Adeo quidem venerati sunt illi Patres Rom. P. vt præter acclamationes illius Fidei singulares cap. 15. tom. 2. semet etiam executores illius sententiæ declarauerint. Ista a Viro in R. P. verè propenso, qualem se declarat init. cap. 6. commemoranda erant, vel saltem indicanda, & nõ suppeditanda Protestantibus argumenta ad adimendam R. P. Præsidentiam in quocumque Generali Concilio per Legatos saltem suos. Sic Mornæo cum suis Caluiuistis patrocinatur Pal. qui R. P. auctoritatem in Conciliorum celebratione ex hoc Ephesino Concilio clarè collectam, *Cyrillo* eidem Præsidēte, contendunt eneruare. *Neque dixerit aliquis*; Multa ex his, ac similia reperiri apud *Bellarm. Baron.* aliosque & maximè Controuersistas, ac legi posse *Coqu.* in Antid. contr. Opposit. 10 Mornæi tom. 1. pag. 228. 232. 233. 234. *Respondetur* enim 1. Sic facilius fuisset P. illa describere, vel integrè, vel ex parte, vel saltem quosdam suggerere Lectoribus Scriptores e præcipuis, quos consulere possent. 2. Cum prætereferre videatur illis fidem non habere, videtur quoque illos reijcere. 3. In hac Introductione Protestantes istorum omissiones legentes sic magis in suis firmantur sensibus, & Catholici minorem in R. P. concipiunt venerationem; & præterea parum periti, cum alium morem seruatum fuisse in T. C. obseruauerint non seruatum in prioribus Concilijs ab omnibus admissis, tum Latinis, tũ Græcis, non planè immeritò Protestantes istud reijcere Concilium suspicari poterunt, & ipsi non eodem in pretio habere, in quo antea. 4. Omnia ferè, quæ ipse Pal. exponit agens de Dogmatibus, ac Ecclesiasticę eruditiones, quas duobus inserit Voluminibus, nonne reperiuntur apud *Baron. Bellarm.* & alios e sua etiam Soc. Controuersias agitantes cum Lutheranis, Caluinistis &c.? Si illa descripsit, cur non hæc quoque? Consultius profectò fuisset complurium loco, quæ parum, aut nihil ad T. C. Historiam attinebant, ac latè explicauit, ista reponere, quæ spectant ad Conciliorum materiam, & ad R. P. prærogatiuam in illis. Opportunum equidem erat Romanæ Ecclesiæ commodis hæc, & alia in sequentibus capitibus de Concilijs præterijsse.

Ad Cap. XIII. Introductionis.

61 ŒCumenici Concilij nomen Nicæno Concilio imponi potuit, eò quòd, annuente tamen *S. Siluestro*, vt non solùm scribit *S. Damasus* Papa in Pontificali, & colligitur e *Ruffino* lib. 1. Hist. cap. 1. verùm & habetur Act. 18. Synodi sextæ ann. 680. sub *Agathone*, & *Constantino Pogonoto* Imperatore (idque ex antiquo Canone Ecclesiastico, quem referunt *Socr.* lib. 2. cap. 5. & 13. *Sozom.* lib. 3. cap. 9 & *Niceph.* lib. 9. cap. 5.) a CONSTANTINO Imperatore euocati ad illud fuerint omnes Episcopi in suo commorantes Imperio, quod tunc Orientale, & Occidentale comprehendebat, licet non ex vniuerso planè Christiano Orbe ab illo conuocati fuerint; huiusmodi enim appellatio ipsismet sacræ Scripturæ verbis consentanea videtur. Sic Lucæ 2. init. dicitur *Octauianus Augustus* imperasse, vt *describeretur vniuersus Orbis*; & tamen homines solummodo in Imperio Romano (aliqui inquiunt, in sola Syria, in qua Iudæa tunc censebatur)

tur) commorantes descripti fuere: Nec non Matth.27.v.45. Marci 15.v.33. Lucę 23 v.44. imminente Christi morte dicuntur *tenebræ factæ esse super vniuersam terram*; & nihilominus super solam Iudæam factas esse communis opinio fert; immo nec potuisse illud accidere, cum in media Orbis terrarum parte nox tũc fuerit, & in plerisq. alijs partibus, vbi dies erat, hora certè sexta, idest meridiana, esse non potuerit (nam diuersis in locis diuerso tempore meridies est) scribit *Mald.* ad vers.45.cap.27. Matth. *Origenem* secutus, reijciens in hoc *Chrys. Euthim.* ac *Theophil.* (quibus tamen assentitur ex eadem S.I. inter Mathematicos *P.Ioseph Blancanus* lib.10. de Mundi Fabrica cap.19. in Corollario de Miraculosa Ecclypsi Solis in Passione Domini) respondetque *S.Dionys.* testimonio: Sed & idem *Mald.* similes in nouo testamento haberi locutiones ad cap.2. Lucæ obseruauit, vt Matth.21.vers.10. Act.10. vers.28. & 24. vers.5. Roman.1. vers.8. Colossens. 1. vers.6. Quidni ergo multò magis Nicænum Concilium dici Oecumenicum potuerit, cum accersiti fuerint Episcopi omnes vtriusque Imperij? Equidem Oecumenici nomen non solùm legitur in *Codice Iustiniani* (licet Romanus Pontifex ibidem a *Iustiniano* cap. 6. de Summ. Trinit. *PASTOR omnium Sacerdotum etiam Orientalium*, & *Constantinopolitani ipsius Præsulis* agnoscatur, ac ibidem *Ioannes II. CAPVT omnium Sanctarum Ecclesiarum* dilucidè appelletur) tributum Patriarchæ Constantinopolitano, cum tamen esset tantùm Vniuersalis in Oriente; imò nec in omnes Orientales Episcopos iurisdictionem haberet, cum tres alij Patriarchæ forent, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, quorum singulis complures Episcopi, ac Metropolitæ erant tantummodo subiecti: Verùm & huiusmodi titulum sibi apposuit *Ioseph* Patriarcha Constantinopolitanus in Chirographo, quod breui moriturus Florentiæ a se scriptum reliquit in quo tamen R.P. Primatum agnoscit, vocans eum *Summum Pontificem*, *Patrem Patrum, ac Iesu Christi Vicarium*, vt *Not.* indicatum 50. Et Romano sanè Pontifici dumtaxat presse, ac proprijssimè debetur hic Titulus, vtpote soli totius Ecclesiæ Pastori; cui etiam oblatus fuit a Chalcedonensis Concilij Patribus 650. an.451. vt testatur ipsemet *S.Greg.* lib.4. Epist.32. ad *Mauritiũ Augustum*; & cum de hoc mendacij notasset Mornæus Sanctissimum, ac doctissimum Pontificem, eumdem Mornæum calumniæ notat *Coqu.* tom.1. in Antid. cont. Opposit. 11. pag.254. Attamen ne huius significatio vocis e solis habeatur Græcis, cum tamen ab illis, vtpote origine Græca, solùm desumenda videri queat; an non *Eugen.*IV. vbi Ferrariam *Ioan. Paleologus* Græcorum Imperator an.1438. Mart.4. & *Ioseph* Patr.Constant. die 8. conuenissent, elapsis quatuor mensibus, vrgentibus Græcis, vt Synodus celebrari, Sessionesq. fieri inciperent, tametsi nemo eorum, quos expectabant, conuenisset, æquo animo dicitur satisfecisse sic inquiens, *Vbi Ego, & Imperator, & Patriarcha sumus, ibi Christianorum omnium Synodus esse creditur, præsentibus præsertim* (quæ sanè dictio denotare videtur, satis esse ad id tantùm eos Tres, vt colligitur e *Barb.* dict.277 cum dic.274 & 197.) *cæterorum Patriarcharum Legatis, nostrisque Cardinalibus*. Quin etiam addit Cardinalis *Iacob.* lib. 5. art.7. §. *Dicit tamen*, Papam cum vno solùm Episcopo, aliorum absentia non obstante, facere Concilium Generale, & Oecumenicum. NEC obstat, quod alij sex Episcopi e Prouincijs Constantino non subiectis Nicæno interfuerint Concilio: Quia potuerunt, VEL inuitari a Constantino in Catholicam Religionem propensissimo; VEL conuocari etiam peculiariter a *S. Silu.* VEL etiam ex ipsius præscripto ab ipsomet Constantino accersiri, quemadmodum

signi-

significatur in Præfat. Codicis Greci Vaticani Comment. Nic. Concil. quem in quatuor libros distributum vertit in latinum *Alphonsus Pisanus* e S.I. VEL etiam ipsi vltro illud concedere, scientes esse Synodum Generalem indictam cum *Silu.* consensu, ac se, vt Episcopos, in illa suffragij ius habere. Hoc tamen non tollit, quò minùs etiam per *Constant.* conuocationem Nicænum Cōcilium adhuc appellari Oecumenicum potuerit per solam sui Imperij Episcoporum conuocationem; alioquin nec alia Septem Concilia in Oriente celebrata potuissent Oecumenica appellari, cum a solis Imperatoribus, annuētibus tamen Romanis Pontificibus, fuerint conuocata. Si errauit S. dum scripsit, Nicænam Synodum non vocatam fuisse Oecumenicam; errauit & Pal. in huius acceptione vocis, vt mox ostendetur.

62 Haud est congrua Oecumenici Concilij definitio tradita a Pal. quod sit, *Consessus omnium Christianarum Prouinciarum, ad quem aut Christianæ omnes Prouinciæ conuenerint, aut legitimè fuerint conuocatæ, aut illarum nomine omnium fuerit celebratus, ac deinde omnes illum approbauerint, seu ratum habuerint*: Nam, vt omittatur posse aliquibus videri prolixam nimis hanc definitionem, si breuior præberi potuit, contra Dialecticæ regulas, ac potiùs species Generalium Conciliorum indicare, quam præferre genericam Oecumenici Concilij rationem; ambiguus valde redditur sensus ex illis vocibus, *Omnes Christianæ Prouinciæ*, cum illis comprehendi possint etiam Hæreticæ, ac Schismaticæ, & alij quoque præter Episcopos, immo Laici consimiliter; Logicas verò leges non seruat, qui pro viribus æquiuoca non vitat in definitionibus, quæ instituuntur ad rerum naturæ notitiam audientium, vel legentium intellectui impertiendam. Præterea 1. Licet Christianæ omnes Prouinciæ conuenirent præter Romani Pontificis Certi consensum, & auctoritatem, celebratum ab illis Concilium minimè legitimum foret. 2. Nec sufficit Christianarum omnium Prouinciarum conuocatio, nisi & multæ ex ijsdem per suos conuenerint Prælatos. 3. Nec satis est rathibitio subsecuta, nisi Pontificia præcesserit conuocatio. 4. Cum nulla R.P. mentio fiat, legitimum censeri poterit Concilium, etsi illius, licet indubitati, auctoritas omnino desit; & cum hæc præcipua existimetur ad rationem Concilij Generalis legitimi, non erat omittenda maximè illi, qui profitetur se illam tueri aduersus S. & Protestantes. Aliqui probant, vt aptiorem, traditam definitionem a Card. *Iacob.* lib.1. de Concilijs *§. Quid autem sit Concilium, EST Congregatio Prælatorum ex Vniuerso Orbe, & aliarum personarum auctoritate, & de voluntate Papæ conuocatarum ad aliquid communi intentione communiter tractandum in Religione Christiana, Papa in ipso Concilio præsidente, vel alio loco eius, & aliquando Christi siue ipsiusmet Concilij auctoritate suffulta*. Hæc postrema addit verba, *pro quando, vel Sedes vacaret, vel Papa esset Hæreticus, & nollet Concilium conuocare, in quo non præsideret Papa*; prætermisit, *vel quando dubius esset Papa, siue duo, aut plures, de Papatu contenderent*. Ista, licet longior, explicat tamen clarè causam Efficientem, Finalem, ac Materialem Generalis Concilij; traditæ verò per eiusmodi causas definitiones sunt per se magis laudandæ. Alijs placet, quæ colligitur e *Melch. Cano* lib.5. de Loc. Theol. cap.3. vt breuior; *EST omnium Episcoporum Euocatio legitima, Generalisque eorum Congregatio*. Et sanè conuocationem Episcoporum omnium, aliorumque superiorum Prælatorum necessariam esse ad Oecumenicum, Plenarium, simpliciter, & proprijssimè, seu strictissimè Concilium Generale, omnes docere videntur. Sic Cardinalis ipsemet *Iacob.* lib.2. art.2. *de*

vocan-

vocandis ad Concilium, cum congregatur pro causa graui concernente omnes Christianos; qui postea art. 3. *de Citatione ad Concilium*, ait nihilominus satis esse, si citentur, & requirantur singuli Metropolitæ, vt ipsi moneant omnes Episcopos, ac Prouinciales suos. Sic Cardinalis *Bellarm.* cap. 17. lib. 1. de Concilijs eamdem omnium requirit conuocationem, ita vt nemo Episcopus, nisi excommunicatus, excludatur: Quibus consentiunt cæteri Canonistæ, ac Theologi; Et ex vi vocis primaria id innotescere videtur; vnde & dicitur propriè Concilium Generale *Vniuersalem Ecclesiam repræsentare*; Quomodo enim hanc repræsentabit, nisi saltem Catholici omnes Episcopi conuocentur? Subiungit *Can. Generalisque eorum Congregatio*; neque enim est necessarium, vt omnes conuocati adsint; *tum quia* nullum hactenus Concilium sic fuit celebratum, immo Generalibus Concilijs ab omnibus admissis modò maior, modò minor Prælatorum numerus affuit, & Constantinopolitano Primo interfuerunt 150. tantùm Patres; *tum quia* pessimus quisque Episcopus per malitiam non præsens calumniari posset, illud Concilium non esse Generale: Addit; *Et Princeps in Republica quilibet, si illi Synodus displicuerit, imperturbare eam minimo negocio poterit, causarique Episcopos suos, vel morborum, vel tumultuum causa interesse non posse.* At prudenter postea inquit; *Non satis est quidem ad* Concilium *Generale, si Euocatio sit Generalis, quando adeo pauci congregantur, vt maior, meliorque Prouinciarum pars relicta esse videatur, præsertim si causa legitima sit, cur Episcopi Synodo non affuerint. At si per malitiam hominum pessimorum vna, & etiam altera Prouincia desit, non propterea* Concilij *Generalis nomen amittitur. Sed ne si per negligentiam quidem, aut aliam occasionem quamlibet Episcopi aliquot desint, nominis sui iacturam Generale* Concilium *faciet, nisi in dubium vertamus, an Cõcilia illa Quatuor, Nicenum, Ephesinum,* Constantinopolitanum*, Chalcedonense Generalia sint. Quamobrem vt fideles, ita nos hoc loco loquimur, vt Synodum Generalem omnium Episcoporum Euocatione legitima finiamus, licet non sit omnium* Congregatio: Et paulò post, *Nec satis est ad Generale Cõcilium, nisi sit etiam Congretio Generalis, sed ad Generalem* Congregationem *omnium Episcoporum* Congregatio *non requiritur.* Equidem *Ioan. XXII.* in Bulla Conuocationis Concilij Constantiensis an. 1413. Dec. 9. excusat se, quod Romanum Generale Concilium iam indictum non fuisset celebratum, *Quia, scilicet, veniente postea tempore constituto,* Prælati, *& cæteri, qui huiusmodi Concilio interesse debebant, nequaquam in tanto numero conuenerunt, quantum rerum agendarum pondus, & magnitudo requirere videbatur:* Nec non in Bulla 3. dissolutionis Concil. Basil. quam tamen *Eugen.* professus est se nesciẽte confectam, & est reposita sess. 16. dicitur, *Fere octo menses effluxerant, postquam ipsa initiari debuit sancta Synodus, nec adhuc Basileæ conuenerant tres Episcopi, aut alij in tanto numero decem Prælati, Regumque, & Principum* Procuratores, *siue Nuncij pauci, siue nulli aderant &c. Doctorum, & Magistrorum fere nulli intererant &c.* E quibus pariter intelligitur: CVR impulsus fuerit *Paulus III.* an. 1538. Iunij 28. ad prorogandam, & an. 1539. Iunij 10. suspendendam celebrationem Concilij, quod iam Vincentiæ indixerat, humanissimè Venetis annuentibus, cum in hanc Vrbem, etiamsi iam tres Legatos Cardinales *Campegium, Simonettam,* & *Aleandrum* illuc misisset, *Vix vnus, aut alter ex externis Nationibus se contulisset, & maior Prælatorum frequentia, quæ sperabatur postea, maiorem dignitatem* Concilio, *&* Christianæ *Reipublicæ presentiorem esset allatura salutem,* vt ipsemet *Paulus* inquit in Bulla Indi-

ctionis C. T. an. 1542. Maij 22. CVR idem *Paulus* in Instructione data Legatis tribus, quos hoc anno 1522. Tridentum misit pro Concilij celebratione, *Morono*, *Parisio*, ac *Polo*, iniunxerit, vt non aperirent Concilium, nisi frequentia adesset Prælatorum e præcipuis Nationibus Itala, Germana, Gallica, Hispanica, vt scribit Pal. in fin. cap. 1. lib. 5. qui & cap. 10. n. 2. tradit ijsdem Cardinalibus significasse Pontificem, cum pauci accessissent Tridentum Episcopi, vt maiorem Prælatorum frequentiam expectarent, priusquam Concilium aperirent. CVR in instructione data *Sebastiano Pighino* a *Iulio III.* repositum fuerit de opera danda, vt Gallici aliquot Præsules T.C. adessent, vt significat idem Pal. lib. 11. cap. 9. num. 3. CVR diligenter curatum, vt e Gallia sub *Pio Quarto* Galli aliquot Præsules cum Cardinali *Lotharingio* adessent saltem tribus postremis sessionibus: Vnde & coram illis, & alijs Episcopis, qui eo tantùm an. 1563. quo T.C. confectum est, petijssent Tridentum, Sacra Synodus iussit, *recitari, & legi* immediatè antequam imponeretur Concilio finis, *Omnia statuta, ac definita quoad Dogmata, & Morum Reformationem, tam sub fel. record. Paulo III. quam Iulio III.* Quomodo igitur Pal. solùm conuocationem Christianarum omnium Prouinciarum ait reddere Concilium Generale, & Oecumenicum? Ipse pariter initio huius capitis apertè ait, *Concilium Oecumenicum haud significare præsentiam quinque Patriarcharum*; quæ tamen sententia solet tribui *Turrec.* dist. 17. in Sum. & lib. 3. Sum. Eccl. cap. 5. (sed immeritò, cum per Maiores Prælatos intelligat Episcopos, vt cap. 12. explicat) sed colligitur non incongruè ex Act. 6. Synod. 7. sub *Adrian. I.* Papa an. 787. & Act. 9. Syn. 8. sub *Adrian. II.* an. 880. adeoque multò minùs significat Conuentum, cui adsint Papa, Imperator, & Patriarcha Constantinopolitanus, vt sensisse *Eugenium*. IV. iam *Not. 61.* significatum est; & adhuc multò minùs Conuentum, cui adsit Papa cum vno dumtaxat Episcopo cęteris vocatis non accedentibus ad Concilium, vt scripsisse Cardinalem *Iacob.* eadem *Not. 61.* indicatum est; his enim tribus sententijs cæteri omnes Canonistæ, ac Theologi aduersantur, & meritissimò quidem, tum ex ratione, tum e praxi Conciliorum, Summorumque Pontificum ipsa, qui nunquam, etiamsi conuocatio fuisset Generalis omnium Episcoporum, si paucissimi adessét, & maximè si nulli ex præcipuis Nationibus, vel Prælatis, Concilium Generale haberi voluerunt: Et certè si aliter agerét, periculum immineret, quod talis Concilij decreta non haberentur, vt Generalis, & Oecumenici. Profectò in omnibus Concilijs, quæ Oecumenica habita sunt absque vlla dubitatione Oecumenica in Occidente, nedum in Oriente, semper frequens numerus Prælatorum fuit, & multi e qualibet quasi Natione præcipua Christiana illis affuerunt. Quibusdam vt exactior, arridet magis definito allata a *Cani* eiusdem discipulo *Bagnes* 2. 2. q. 1. art. 10. *Dubitatur tertiò §. Nota secundò. SYNODVS GENERALIS est Synodus Catholicorum Episcoporum* (hinc excluduntur Laici, & alij inferiores Episcopis, vt etiam sentit Cardin. *Turrec.* lib. 3. Sum. Eccl. cap. 12. *Simanc.* de Cathol. Instit. tit. 12. num. 2. cum alijs communiter, qui id deducunt ex aperto Chalcedonensis Concilij testimonio, & facto, quod ibi cuique obuium est; pariterque excluduntur Episcopi Hæretici & Schismatici) *Generali Conuocatione* (ad differentiam Concilij Prouincialis, vel Nationalis, ad quod dumtaxat conuocantur Episcopi vnius Prouincię, vel Regni, vel Nationis) *& Congregatione* (sufficit enim, quod cum omnes vocati fuerint, maior pars illorum adsit, vt sit verè Concilium Generale; immo etiam sufficit, vt minor pars adsit, vt plerique sentiunt, ac meritò, vt

patet

patet etiam e priscorum praxi Conciliorum in ipsomet Oriente) *Summi Pontificis auctoritate celebrata*: Nam ad illud certè, dum certus est, spectat in primis Concilium conuocare, illi per se, aut suos Legatos præsidere, vt Sacri Canones antiquissimi, & praxis Ecclesiæ pariter antiquissima ostēdunt. Hęc tamen definitio aliquibus non planè arridet; tum quia finalem causam non explicat; tum quia indicat, Generalia solummodo Concilia habenda, quæ R. P. auctoritate congregantur, cum aliunde legitima haberi quoque possint, necdum debeant. Alijs verò attentis maximè ijs, quæ Cardinalis *Reginaldus Polus*, non minùs dignitate, quam pietate, & scientia Eminentissimus, initio lib. *de Concilio*, de quo *Not*.41. habet, eiusmodi definitio Concilij Oecumenici, magis placet: *Est conuocatio omnium Episcoporum Catholicæ Ecclesiæ Sacramenta iure participantium, & Generalis eorumdem Congregatio ad deliberandum sincerè de ijs, quæ ad Fidelium spirituale commodum spectant, consentiente Romano Pontifice, cum certus est; consentientibus verò ijs, ad quos de iure, cum ille non existit, aut incertus est*. Ista, licet longior videri queat, cum tamen causas explicet clariùs, quam aliæ definitiones, videri potest cæteris potior. Dicitur 1. CONVOCATIO. Quamuis enim omnes, etiam Primores, omnium verè penitus Catholicarum Episcopi Prouinciarum conuenirent (quod moraliter vix fieri potest) si a nullo conuocati fuissent, Congregatio illa Concilium dici nequiret: Si autem id aliquando accideret, vt quandoque Apostolis euenisse censetur, & saltem dum Apostolicum condiderunt Symbolum, vt e *S. Clemente, Leone, & Ambrosio*, scribit *Turrec*. lib.3. Sum. Eccl. in fin. cap.2. vt deliberarent de re aliqua spectante ad Fidelium salutem &c. tunc illa Cōuocatio esset Deo, tanquam primario Auctori, ascribenda: At de hac miraculosa Conuocatione hoc in loco minimè sermo est. Et illam quidem esse ad Generale Concilium necessariam omnes fatentur teste *Bellar*. c.17. lib.1. de Conc. vt iā dictū: Qui addere tamen solent, vnicā sufficere Conuocationem, ita tamen vt Episcopi omnes fiant planè de Vocatione certiores: Sed quamuis non sit necesse, vt Euocantes litteræ ad omnes prorsus Episcopos deferantur, cum satis sit, vt illæ ad Metropolitas mittantur monendo eos, vt omnino de Conuocatione certiores faciant Episcopos sibi subiectos; non tamen ad omnem tollendam abiguitatem satis esset, quod Bullæ Conuocationis Romę, vel vbi Romana degit Curia, promulgarentur; nam excusare se a pręsentia Episcoporum plerique possent, cum nō ab omnibus admittatur sententia, quod vnica Romæ Pontificiarum Bullarum promulgatio inducat in reliquis omnibus Prouincijs obligationem eisdem obsequendi, & si earum notitiam haberent fideles; nam absolutè in singulis Prouincijs, ac Diœcesibus illarum promulgationem requirunt ex ipsa S. I. *Serar. Sà, Molin*. eamque probabilem, ac tutam in conscientia putant *Laym. Becan. Less. Vasq. Gran*. apud *Dian*. p.1. trac.10. resol.8. Sufficeret tamen, si Episcopi haberent legitima Bullæ Pontificiæ transumpta, vt in Bullarum fine solet inseri. Consueuit quidem in hisce Bullis, seu litteris, quibus vocantur, seu citantur Episcopi ad Concilium; Tum mandari sub sanctæ obedientiæ præcepto, ac excommunicationis pæna, & sub præstiti vinculo iuramenti, vt accedant ipsi, aut legitimè semet excusent; Tum concedi saltem annum pro accessu; quamobrem *Iul. II*. in Bull. Conuocat. Concil. Later. an.1511. Iul.18. ait, Prædecessores suos ad similia Concilia Generalia celebranda, nunquam minùs, quàm annum, ad illa inchoanda assignasse, reddens vnà rationem, propter quam illud Lateranense inchoandum præscripserit anno insequenti die 19. Aprilis;

quod

quod etiam significauit *Paul. III.* in Bulla an.1542. Maij 22. significans pariter, cur inchoandum mandauerit Tridenti Concilium 1. Nouemb. eiusdem anni; quod tamen non factum, cum ibi non initium illi datum, nisi 13. Decembris an.1545. Dicitur 2. OMNIVM. Quare si Papales Bullæ tantùm vnius, vel alterius Prouinciæ, aut etiam plurium Regnorum, & non omnium Catholicorum, Episcopos euocarent ad Concilium, etiamsi nonnulli ex alijs Prouincijs, vel Regnis venientibus concederet Papa, vt simul cum euocatis haberent suffragium decisiuum, non propter hoc Concilium illud propriè, & strictè euaderet Generale, seu Oecumenicum. Dicitur 3. EPISCOPORVM. Quorum nomine intelligũtur omnes, qui Episcopali caractere insigniti sunt, in quo Episcopi omnes sunt pares, licet in Dignitate, ac Iurisdictione sint impares, vnde & peculiaris honos quibusdam tribuitur, quales sunt Patriarchę, Primates, Archiepiscopi, seu Metropolitæ, & ante omnes Romani Pontifices; hi enim sunt per se animarum Pastores, qui tenentur a prauæ pabulo doctrinæ, prauorumque morum morbis læthalibus Christi oues sibi commissas arcere, & Catholicæ doctrinæ, Christianorumque morum pascua eisdem suppeditare: Non autem intelliguntur, qui Episcopali ordine carentes Episcopali iurisdictione tantùm fruerentur, licet ex priuilegio ijs multa fuissent cõcessa, quæ ad ordinis potestatem per se pertinere dicuntur. Et quamuis possit esse difficultas, an Episcopi solummodo Titulares habeant ex Episcopali munere suffragium in Generalibus Concilijs, cum non pauci, & nobiles Theologi arbitrentur, eos non esse propriè Episcopos, ideoque multi saltem Episcopi in Concilijs Generalibus non debeant esse Titulares; non dubitandum tamen, quin Summus Pontifex, & Conciliorum Patres, qui extra controuersia sunt propriè Episcopi, consulto saltem Summo Pontifice, Titularibus cõcedere suffragium queant. At Cardinales Episcopi duplici titulo Generalibus adsunt Concilijs, & quatenus Episcopi, & quatenus Cardinales vnum corpus efficientes cum Papa cap. *Fælicis* de pœnis in 6. & cap. 1. de officio Legati pariter in 6. vnde & in Concilio Constantiensi sess.40. Octob.30. ac sess. 41. Nou.8. an.1417. primus in electione futura Pontificis (qui fuit *Martin.V.*) datus est locus vnanimi omnium consensu Cardinalibus, qui aderant; & in ipsomet Basileensi Concilio idem concessus est *Ludouico* Cardinali Arelatẽsi Titul. S. Cæciliæ, Patribus illis protestantibus, se eumdem concessuros, si qui Cardinales alij futuræ electioni adesse voluissent, vt legitur sess. 38. an.1439. Octob.29. Et consueuerunt quidem Cardinales etiam non Episcopi ob Cardinalitiæ Dignitatis prærogatiuam subscribere primi ante Episcopos omnes; atque primo loco recensentur in Concilio Florentino, & Lateranensi postremo; ac præterea peculiarem sedem obtinuerunt supra Episcopos, & ante illos primi quoque in T.C. suffragium tulerunt Cardinales etiam non Legati, qui adfuerunt, vt *Paceccus*, *Madrutius*, *Altemps*, *Lotharingius*. Dicitur 4. CATHOLICÆ ECCLESIÆ SACRAMENTA IVRE PARTICIPANTIVM. Hinc excluduntur Episcopi Hæretici, & Schismatici, immo & Catholici excommunicati, cum tunc sint, velut Ethnici, & Publicani, nisi priùs absolutionem obtinuerint: Hæresis verò interior, sicuti nec excommunicatio occulta, nec in foro exteriori patens, non obstat, quò minùs legitimum sit Concilium, in quo isti votum præbuissent. Dicitur 5. ET GENERALIS EORVMDEM CONGREGATIO. Quinam autem, & quot necessarij sint ad hoc vt censeatur huiusmodi Generalis Congregatio, adhuc planè non est statutum, nec a iure, nec a consuetudine, nec a Doctoribus. Non satis

tis est enimuero maximus congregatorum numerus, cum multò plures ad quædam conciliabula (ad Ariminense an. 363. accesserunt 600. Episcopi) legatur conuenisse, nedum ad Concilia Prouincialia, nam Concilio Carthaginensi e sola Africa tempore S. *Augustini* adfuerunt Episcopi 317. e *Prosper.* in Chron. an. 420. cum tamen ad primum Constantinopolitanum Concilium, & ad Tridentinũ ipsum pauciores, & adhuc pauciores ad Lateranense postremum, ac Florentinum conuenerint: Quamuis verissimum sit, quò amplior est Prælatorum numerus, & præsertim ex qualibet Catholica Natione, eò maiorem sibi vindicare venerationem Concilia: Inter quæ celeberrima sunt in Occidente, *Lateranense* sub *Innoc.* III. an. 1215. ad quod conuenere 400. Episcopi, & 800. alij Patres, Abbates, Decani, ac Priores Conuentuales; nec non *Lugdunense* sub *Greg.* X. ann. 1274. ad quod dicuntur conuenisse plusquam 700. Episcopi &c. Inter Orientalia *Chalcedonense* est etiam celeberrimum, cui interfuerunt 630. Episcopi. Neque est necesse, vt omnes Patriarchæ conueniant, vel personaliter, vel per Procuratores, seu Vicarios suos, qui locum ipsorum in Concilijs teneant, vt factum est in Conc. Flor. litteris enim vnionis, de quibus *Not.* 50. subscripserunt tres locum tenentes Patriarc. Alex. Antioch. & Hierosol. defuncto iam Patriarcha Constantinopol. Non solùm quia modò Orientis Patriarchæ censentur vel Hæretici, vel Schismatici, alieniue a Romana Sede, irritaque sit eorum electio, quamuis Catholici forent, si facta a Canonicis prædictarum Patriarcharum Ecclesiarum inconsulta Sede Apostol. vigente obseruantia Extrau. *Bened XII.* an. 1341. Dec. 23. inter Extrauag. com. de Elect. cap. *Sancta Romana Ecclesia*: Verùm etiam quia Synodus Ephesina sine Patriarcha Antiocheno damnauit Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum, & Chalcedonensis Synodus sine Patriarcha Alexandrino omnia fere conclusit; qui quoque solus Sardicensi interfuit. Cum igitur e praxi antiquissimorum quoque Conciliorum ab omnibus admissorum, nec multitudo, nec qualitas Congregatorum, vt sic, attendenda sit, vt dicatur Congregatio Generalis, dummodo excipiantur Summi Pontifices, vel eorum Legati; *Azor.* p. 2. Instit. Moral. lib. 5. cap 10. §. *Tertiò quæritur*, inquit, satis esse, vt ex singulis Prouincijs aliqui Episcopi conueniãt, vel saltem, vt maior, meliorque pars Prouinciarum earum, quæ ad Cõcilium venire possunt commodè, Concilio intersit; tunc enim communi dicendi more omnes Episcopi congregati censentur, cum omnes quidem sunt legitimè euocati, & euocatorum maior, & melior pars conuenit. Similiter *Bellarm.* allato cap. 17. lib. 1. requirit, vt saltem ex maiori parte Christianarum Prouinciarum aliqui adueniant: Et siquidem Concilium fiat in Oriente, semper visum est sufficere, si ex Prouincijs omnibus Orientis Episcopi conueniant multi; ex toto autem Occidente mittantur aliqui a Summo Pontifice, qui suppleant locum aliorum; si autem celebretur in Occidente, conueniant ex omnibus Prouincijs Occidentis multi; ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum: Nequeunt autem aliorum nomine Episcoporum venire, nec eorum nomine votum etiam consultiuum ferre, nisi eos alij ad id peculiariter elegerint, vel e legitima consuetudine id munus præscripserint; quinetiam si excedant hi mandatum, vel suffragium ferant contra consensum maioris illorum partis, a quibus electi sunt ad ferendum votum consultiuum, vel decisiuum, in quo excessissent, quantum ex parte istorum foret, irritum foret votum, vt meritò dicitur de Pontificijs Legatis, qui soli etiam instructioni datæ a R. P. haud se conformarent. Consultissimum esse

arbi-

arbitrantur nonnulli prudentes viri, vt post Generalis Concilij Indictionem habeantur Prouincialia Concilia, in quibus examinentur quædam in Generali proponenda Concilio, votum exquiratur Prouincialium Episcoporum, & aliquis saltem eligatur ibidem, præ alijs quærens, quæ Iesu Christi, non quæ sua sunt, doctus, ac prudens, qui reliquis ex iusto impedimento non valentibus ad Generale proficisci, Prouincialium Synodorum sensum deferat, & iuxta illum ferat votum, nisi meliora ab alijs ibidem proponi cognoscat; hęc enim limitatio necessaria est: Si autem nullus ex aliqua Catholica Prouincia concedere posset Episcopus ad Generale Concilium, tunc Procurator aliquis mittendus interioris Ecclesiastici Ordinis, qui Prouincialium Episcoporum ferret suffragium; & huic concedi posset Votum vnà cum Episcopis in ipsis sessionibus. Non satis quidem foret, vt diceretur Congregatio Generalis propriè, vt ex Hispania, vel Gallia tres, aut quatuor Episcopi adessent, electi etiam in tribus, vel quatuor Prouincialibus Synodis, vel ab Episcopis per litteras ad tres, vel quatuor Archiepiscopos, nisi ad idem munus adeundi Concilium Generale, & in eo suffragium ferendi nomine aliorum, electi fuissent à cæteris Episcopis illorum Regnorum, in quibus sunt plurimi Archiepiscopi; qui tamen censerentur consensisse, si non repugnarent, scirentque illos haberi, tanquam forsan Primarios in illis Regnis propter Prouinciarum prærogatiuam, aut habendos tales in Generali Concilio, adeoque tanquam repræsentantes Nationem Gallicam, vel Hispanicam &c. Dicitur 6. AD DELIBERANDVM. Neque enim Episcopi in Generalibus Concilijs sunt Consiliarij solùm, sed & Iudices, in quo discrepant a Cardinalibus in Consistorio e communi sententia: Quod e praxi, ac Traditione Apostolica haberi censetur. Dicitur 7. SINCERE. Si enim ex priuatis affectionibus, vel passionibus aliquod conderent Decretum Generalis Concilij Patres, non veritatem, non iustitiam, non Deum præ oculis solum habentes, magis placere hominibus, quàm Deo cupientes, huic Congregationi, legitimè quamuis cõuocatæ, non adesset peculiariter Diuinus Veritatis Spiritus, ne errarent, cum tunc non facerent, quod in se esset, vt ille adesset, quemadmodum supra *Not.* 45. significatum est. Hæc tamen sinceritas omnino præsupponenda in Patribus Generalium quorumcumque Conciliorum hactenus. Dicitur . DE IIS, QVÆ AD SPIRITVALE FIDELIVM COMMODVM SPECTANT: Nam si pro re temporali merè Conuocatio, & Congregatio foret, cum ad hoc non sint instituti a Christo Animarum Pastores, sed ad directionem Christi ouium ad æternæ fælicitatis pascua, minimè Concilium Generale, prout istud nomen ad hunc diem vsurpatum est in Ecclesia, nuncupandum esset; Primariò enim Generalia Concilia fuere instituta pro deliberando de Fide, ac Moribus, hoc est, ad definiendas Fidei controuersias contra Hæreticos, Catholicamque Fidelibus proponendam doctrinam, & ad Morum efformationem, vel Reformationem in omni personarum genere, sed præsertim Ecclesiasticarum, vt legentibus Concilia patet. Equidem Cardinalis *Turrec.* cap.9.lib.3. Sum. Eccl. duodecim constituit vniuersim causas Generalia celebrandi Concilia; quibus similes leguntur apud Cardinalem *Iacob.* lib. 4 ar.2. vbi latè de illis agit: Aliquibus tamen omissis *Azor.* p.2. lib.5 cap. 10. *Sextò Quæritur*, septem tantùm enumerat, sicuti & septem *Episc.Gaddic.* Hispanus e Butr. & Mathes. apud eumdem *Iacob. §. Reperio* ibidem. Omnes, licet non pertineant ad Fidem, vel Mores, spectant tamen ad Fidelium spirituale commodum, vt pax inter Christianos, & Catholicos Principes, bellum contra

Turcas suscipiendum &c. Nō est autem necesse, vt hoc spirituale commodum proximè, & immediatè sit omnium Fidelium; si enim vel vna Prouincia inciperet Hæretici infici opinionibus, nec posset sine Generali Concilio obstari, ne eiusdem Prouinciæ plerique, vel plurimi quoque, & multò magis, si periculum immineret, ne aliæ proximæ inficerentur Prouinciæ, sufficiens foret causa ad Generalis Concilij Conuocationem; sicuti etiam si Turcarum Imperator Christianam aliquam Ciuitatem, vel Prouinciam aggrederetur, e cuius occupatione sibi facilem aditum pararet ad alias Christianas Ciuitates, vel Prouincias suo dominatui subijciendas, si e Concilij Generalis auctoritate prudenter speraretur, arma a Christianis Principibus suscipienda, quibus audaces Turcarum impetus reprimerentur; vel si ex bellis inter Christianos, & Catholicos Principes innumerarum perditio animarum, & innumerorum strages corporum sequeretur, vel Religio minueretur, ac pietas vehementer in Christiana Republica, atque Generalis Concilij Patrum opera existimaret Summus Pontifex pacem ineundā &c. Dicitur 9. CONSENTIENTE R. P. CVM CERTVS EST. Et consensum quidem illius saltem ad conuocationem necessarium esse fermè omnes consentiunt, dum R.P. indubitatus est, nec Basileenses ipsimet Patres in hoc dissenserunt; & sic antiquissima Ecclesiæ praxis fuit, vt præter R.P. sententiam Generalia non celebrarentur Concilia, vt iam dictum *Not.60.* & dicetur *Not.* seq. Imò *Mald.* ad cap.18. Matth. vers.20. (quod priùs tradidit *Laur. a Vill.* vbi supra p.4. c.2.) tunc ait, Concilia quælibet *In nomine Christi* congregari, cum R. P. auctoritate congregantur. Cuinam certè magis potest eiusmodi Conuocatio congruere, quam omnium planè fidelium Pastori? Si ista antiquissimis etiam sæculis cōcessa R.P. prærogatiua tollatur, vt eā tollere videtur P. validissimum pro illius Primatu, etiam Honoris, seu Dignitatis, tollitur argumentum. Non fuit quidem necesse, vt hic consensus, sicuti a multis sæculis iam fit, per Conuocationis Bullā exprimeretur. Satis fuit, si ore tenus, vel per internuncios, vel per litteras ad Imperatores, qui in Occidente degebant, ille exprimeretur. Hæc autem Conuocatio nulli prorsus licet, etiam R. P. Legato a Latere, cum sit vnum ex his, quæ inter cætera potissimè R.P. immediatè reseruantur. In Concilio quidem Constantiensi sess.39. statutum fuit, vt in singulos decem annos Generalia haberentur Concilia a R. P. conuocata (illud tamen *Mart.V.* successores non seruarunt; tum quia existimarunt non potuisse, nec posse a Coucilio sibi hanc imponi legem; tum quia legitima fuerunt impedimenta ad huiusmodi Conuocationem &c.) ac Basileenses Patres sess. 37. an.1439. Octob.24. in Iuramento, quod a Pontifice eligendo (vt ipsi sentiebant) præstandum erat, hoc peculiariter inseri voluerunt, *Iuro etiam prosequi celebrationem Conciliorum Generalium iuxta Decreta Sacri Cōcilij Basileensis*; Sess. autem 11. an.1433. Aprilis 27. Concilij Constantiensis Decretum innouarunt, illudque latè explicarunt; & reipsa iurauit electus Pontifex (ex ipsorum sensu tamen) Amædeus Dux Sabaudię degens in Ripalię Gebennensis Diœcesis solitudine, dictus in sua obedientia *Fælix* V. an. 1439. Nou. 17. vbi consensum præstitit electioni die 17. Decembris: Quinimmo hoc ipsum sess.23. ann.2436. Mart,25. statuerunt, præstandum a quocumque R. P. deinceps eligendo. Id tamen non legitur in forma Professionis faciendæ a futuro Pontifice præscripta a Const. Concil. Patribus sess.39. Nullam tamen ex his formis posteriores *Mart.V.* ac *Eugen. IV.* Pontifices in Professione, vbi electi seruarunt; licet aliqui Pontifices iurauerint, adhuc in Cōclaui existentes,

flentes, se etiam intra tale tempus Generale Concilium celebraturos, vt liquet e Bulla Conuocat. Concil. Constant. *Ioan. XXII.* & *Iul.II.* pariter, de quibus paulò ante. Et *Iulius* quidē II. vbi testatus est nihil magis se *Alex.VI.* reddidisse odiosum, quam studium, & curam Generlis Concilij celebrandi, soluit obiectionem e Conc.Const. allatam sess.39. quæ incipit *Frequens*, quam illi opposuerant quatuor Cardinales, qui eodem anno 1511. ad 1. diem Septembris Pisanum Conciliabulum die 16. Maij indixerant, tres menses tantùm, & quatuordecim dies ad conueniendum assignantes; de quo multa, & Catholicè, scripsit *Guicciard.* in fin.lib.9.& lib.10. Dicitur 10. CONSENTIENTIBVS VERO IIS, AD QVOS DE IVRE, CVM ILLE NON EXISTIT, AVT INCERTVS EST. Non existit Sede Vacante; quamobrem si Cardinales diutissimè Pontificis Electionem cum grauissimo prorsus Ecclesiæ detrimento differrent, posset tunc Concilium conuocari ad tollenda electionis impedimenta &c. Incertus est, quando Schisma est in Ecclesia, duobus, aut pluribus de Papatu contendentibus, & Prouincijs aliquibus Catholicis agnoscentibus pro Papa vnum, alijs alium: Et cum tunc Episcopi, qui essent sub obedientia vnius Pontificis, non agnoscerent se obligatos ad obtemperandum Conuocationi alterius Pontificis, exigenda foret ab vtroque Conuocationis Bulla; vnde opera adhibita, vt *Ioan.XXII.* Bullam Conuocationis Cōcilij Const. promulgaret, ac eidem Conuocationi *Greg.* quoque *XII.* consentiret, vt patet e sess.14. Conc.Const.an.1415.Iulij 4. §.*Schedula authorizationis Concilij*. Si autem dubij Pontifices nollent consentire in Concilij Conuocationem, aut non præstare assensum, vt illud in certo haberetur loco, tunc ad Schisma tollendum, illud conuocare per se erit Cardinalium, *quorum consilio* apud Pontificem *Administratio Vniuersalis Ecclesiæ innititur*, vt dicitur in fin.cap.1.sess.35.T.C.de Reform. Si verò illi renuerent, aut non possent, ad quos tunc pertineat Conuocatio, in præsentia non est examinandum. Legatur Cardinalis *Iacob.* lib. 3. art.1. qui etiam art.2. §. *Item tertiò* explicat, pluribus modis Papam dici posse Incertum. Ad hoc Caput reuocatur Concilij Congregatio, quando Papa esset vehementer de hæresi suspectus, nec illam suspicionem purgaret; vt quando nominatim esset fautor, defensor, & receptator hæreticorum, & monitus nollet resipiscere, cum non planè immeritò, dum factum esset notorium, dubitari posset, an tunc sit Iure Diuino Pontificia priuatus iurisdictione (sunt enim doctissimos inter Catholicos variæ de hac re opiniones) posset congregari Concilium, cuius Patres declararent, sic publicè peccantē nullum habere ius in Pontificatu; vt dilucidè affirmat *Azor.* p.2-Instit. Moral.lib.4.cap.7. *Quartò quæritur*; tunc enim deijceretur e Pontificatu ob hæresis causa. Existimari tamen potest, si conuocato Concilio illum facti pæniteret, ac emendationem certò polliceretur, & de illa moraliter certi forent Patres, eum minimè deponendum. At non esset habendus de hæresi suspectus Papa, qui hæreticorum opera vteretur, vel aliquod cum ijs commercium haberet, dūmodo illis in hæresis causa non faueret, non eos defenderet &c. Posset tamen aliunde, & grauiter, peccare, si inde scandalum in ignorantium, ac pusillorum animis ingens oriretur; hoc enim præ cæteris vitandum esse R.P. docuit ipse Christus, & verbo, & exemplo, dum pro se, & Petro tributum quatuor Iuliorum (hoc est, didracmata duo, seu staterem Matth. 17 vers.24.& 26.) soluere voluit, licet ad id ipse non teneretur vers.25. præmittens vers.26. *Vt autem non scandalizemus eos*; ad quod declinandum etiam scandalum patrare miraculum voluit ibidem descriptum; *gloria* enim

Dei

Dei postulabat, ait *Mald.* ibi, *vt cum facilè posset soluere tributum, publicanos non offenderet, & maleuolis Iudæis criminandi occasionem non daret*. An verò possit Concilium congregari, quando Papa certus notabiliter Ecclesiã scandalizaret, vel in aliquo vitio appareret incorrigibilis per se ad fidem non spectante, licet non ad illum deponendum; legatur inter Canonistas Cardinalis *Iacob.* lib.4.art.2.& lib 9.art.12. latissimè, nec non inter Theologos *Silu.* verb. *Papa*, & *Victoria* Relect 4.proposit.23 qui & affert Cardinalem *Turrec.* lib.3. Sum. Eccl.10. SATIS SIT MONERE cauendum esse, ne maiora in Ecclesiam dimanent incommoda e Concilij Conuocatione, & Congregatione, Pontifice Summo renuente, qui pro se contra Concilium hoc habebit semper multos,& Prælatos,& Doctores,qui illud dicerent,scriberent,ac imprimerent Conciliabulum esse, etsi verè dignus esset accusatione &c. quapropter Ecclesia Schismati exponeretur; Quod amplius timeri meritò posset,cum ad illum deponendum congregaretur; plurimi siquidem existimantes in tali casu congregari posse Concilium, putant tamen, haud Pontificem certum, ac indubitatum, extra casum hæresis,& manifestæ, & quam detestari renueret, a Concilio deponi posse. Prudentius videri potest illa eo tempore remedia adhibere, quæ scitissimè proponit Card. *Caiet.* trac.1. de auct. Pap. & Concil. cap.27. *Ad Quintam Rationem*. Ait tamen Pal.cap. 10. huius Introd. *Non omnibus ijs Pontificibus*, sub quorum regimine actum est de Concilij contra Lutheranas hæreses Conuocatione, *gratum fuisse, vt omnes ipsorum actiones coram tali theatro exponerentur, ac præsertim propensio in carnem, & sanguinem, quæ in nonnullis immodica fuit*. Quibus significat, vtilem, & quandoque posse necessariam esse Concilij Congregationem ad nonnullos Pontifices retrahẽdos a quibusdam gestis non laudabilibus verè, & peculiariter a nimio affectu erga Fratres, Nepotes, Propinquosque: Hunc autem monuerunt T. C. Patres Episcopos omnes, ac Cardinales vt deponerent, quia inde MVLTORVM MALORVM IN ECCLESIA SEMINARIVM EXISTIT, cum prius iisdem interdixissent, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos suos, Familiaresque augere studerent: Sed & illa multò ante Basiliens.Conc.Patres sess.24. *Ne Summus Pontifex carnalitatis trahi videatur affectu magis, quam iudicio rationis, atque vt scandalis obuietur, quæ (experientia teste) sæpe secuta sunt, nullum de cætero Consanguineum, vel Affinem vsque ad tertium gradum inclusiuè, Ducem, Marchionem, Comitem, Feudatarium, Emphyteutam, Vicarium, Gubernatorem, Officialem, Castellanum alicuius Prouinciæ, Ciuitatis, Oppidi, Castri, Fortalicij, aut loci Romanæ Ecclesiæ, nec super his iurisdictionem, seu potestatem aliquam habere, nec Capitaneum, seu Conductorem Gentium armatarum faciat, aut esse permittat. Ipsi quoque Cardinales Summo Pontifici secus agere volenti nequaquam assentiant; quodque succedens Pontifex aliter facta prorsus retractet, ac reuocet*: Nec non infra apertè inquiunt; *Non fiant Cardinales Nepotes ex Fratre, vel Sorore Romani Pontificis*. His tamen non tenentur R. P. e communi sententia, cum inferiori leges superiori præscribere nõ liceat: Nec vrgere dicitur,quod e *Greg.VII.* legitur 1.q.3.& 16. q.7. c. *Peruenit*; Quia post *Maiorem* in 4. d.24. q.17. ac *Sotum* lib.10. de Iust. q.4.art.3. quos sequuntur passim Recentiores, ac in primis Theologi e S.I. & Primarij, vt *Molina*, ac *Lessius*, inuenti sunt modi, e quibus Beneficiarij (& multò magis Summi Pontifices) talia suis elargiantur Consanguineis, vt ditiores fiant, statumque notabiliter etiam mutent; de quibus *Rayn.* in lib.2. sect.3.cap.5. num.345. in *Lucubrat. Mala e Bonis Ecclesiasticis &c.* Quamobrem

brem multò minùs reprehendendi Pontifices, si non e reditibus Ecclesiasticis, vel facultatibus Ecclesiæ, sed aliunde satagerent, vt Consanguinei ad valde sublimiorem honoris gradum, ampliorem que diuitiarum possessionem eueherentur; dummodo tamen ex hac procuratione nullum debitę sollicitudini curæ Pastoralis Dominici totius Gregis detrimentum sequeretur, & scandala apud plerosque non emanarent: Quæ duo cum vix vitari queant moraliter, non illa prorsus imprudenter Pal. scripsit. Hic quidem timor non reuocauit *Paulum III.* ab inchoando, *Iulium III.* a prosequendo, *Pium IV.* a conficiendo T.C. quamuis tres hi Pontifices, ac in primis *Paul. III.* humanum vehementem in suos præsetulerint affectum, conuentione facta in primis a *Clem. VII.* ac deinde a *Paulo III.* cum *Carolo V.* ne in T.C. ageretur de R.P. ne a Catholicis ipsismet amplior præberetur ansa hæreticis in Romanum inuehendi Pontificatum, cum potiùs Catholicorum partes forent Romani Primatum Pontificis velis, remisque sustinere, quem cadentem, ac funditus euersum cuperent, & curarent Protestantes; qua de cause Principes ipsimet Catholici tunc senserunt, minimè discutiendam quæstionem de potestate Pontificia, & Conciliari. Non destiterunt tamen integerrimi Patres Tridentini a monendis tacitè R.P. de moderando affectu erga suos verbis paulò ante relatis, quæ omnes vniuersim comprehendunt; ac difficillimè Cardinales, Episcopi, reliquique Beneficiarij præcepto illi, ac monitioni obsequentur, si R.P. *reuelanti carni, & sanguini* obsecundarint; nam si verùm est illud *S. Ambros.* cap 6. de dignit. Sacerd. *Nulli iam illicitum esse videtur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur, sed ipsum homines credunt esse laudabile, quidquid Episcopus habuerit delectabile*; Multò magis in Episcoporum Episcopo, cuius *conuersationis solius exemplum, non docentis imperium*, cogit reliquos fideles ad suam in omnibus imitationem, vt colligitur e *S. Hieron.* epist. 11. ad *S. Aug.* ex eiusdem *Aug.* sententia explicantis illa Gal. 3. v. 14. Pauli verba ad S. Petrum, *Cogis Gentes* iudaizare, quem locum, tanquam tamen e *S. Hier.* sensu, adducit *Simanc.* de Cathol. Instit. in fin. tit. 23. Et quamuis Tridentini Patres, hunc affectum multorum malorum in Ecclesia Seminarium existere apertissimè asserant, illum tamen in *Paul. III.* cujus ante alios Pontifices studiosissimum semet declarat, excusare contendit lib. 3. cap. 17. num. 5. & lib. 11. c. 6. n. 4. cum tamen lib. 2. c. 3. n. 4. & c. 3. a num. 8. non solùm non excuset, verùm acerbè accuset quædam gesta ab *Adriano VI.* religiosissimo prorsus Pontifice, quæ commendabilia per se possunt esse, silentio obruens alto factum insigne eiusdem *Adriani*, quo se humanum hunc in consanguineos affectum deposuisse coram vniuersa Romana Curia, adeoque Catholico Orbe vniuerso declarauit apertissimè; quod tamen exponit *Rayn.* vbi supra num. 15. Omittens pariter, cum tamen accuratus sit in illorum narratione, quę post *Paul. IV.* obitum illicò acciderunt, insigne, ac in æuum semper commendabilem reddens *Adriani VI.* memoriam, Epitaphium ad eius tumulum, *Adrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit*. Qua vtique parte statim subiungit *Onuphrius in eius vita*, Elogium verum dixit; *Quippe nunquam ei in Pontificatu ita bene fuisse adnotari poterat, quin intra priuatam vitam consistere multò malle videretur*. Oppidò vult videri Pal. hoc in loco ingenuus; alibi verò in *Pauli III.* gratiam (non *Leonis* X. aut *Clementis* VII.) condonandum esse hoc vitium, quod *multorum malorum in Ecclesia Seminarium existit*, in Romanis Pontificibus significat, vtpote humanas exuperans vires; quasi illis, qui cæteros fideles regunt in spiritualib. Vicarij Dei,

& Christi

& Christi in terris cæleste auxilium in primis non adsit, quo illud amouere possint, quod tot MALORVM in Ecclesia, cui præsunt, SEMINARIVM existit; ac reipsa illud experti sunt *Clemens IV. Cælest. V. Bened. XII. Vrb. V.* & post *Adrianum VI. Marcel. II.* vt refert *Rayn.* ipse, vbi supra, a num. 11. Quæ eo dicta sunt consilio dumtaxat, vt ostendatur Pal. pro libito semet ingenuum profiteri, & iuxta propensionem suam, modò laudare, modò vituperare, modò accusare, modò excusare; non verò, vt accusentur Pontifices, qui ditarent suos, & sublimibus eos gradibus, seu honoribus decorarenr, vel summo contenderent studio, vt ab alijs ijsdem decorarentur, cum possent semet conformare doctrinæ superiùs allatæ, & quorumdam potissimè præcipuorum e S.I. Theologorum; vnde & quidam Pontifex, cæterà valde probus, cum a quodam Cardinali insigniter pio, ac docto monitus fraternè, ac humiliter fuisset, ne adeo effusus esset in suos diuitijs, ac Principatibus augendos Nepotes, ei fertur respondisse, *Domine mi Cardinalis, alios habemus Theologos, qui Nobis id fas esse concedunt, ac docent.* Quapropter *multorum malorum*, quæ conspiciunrur in Ecclesia, *Seminarium* non existit, vt sic, hic humanus Pontificum, aliorumque Prælatorum, ac Beneficiariorum affectus in suos, sed hic, prout a nonnullis probatus Theologis; qui vtinam non sint ex ijs, quorum opiniones sapientissimè pronunciauit ALEXANDER VII. *Disciplinam Euangelicam resoluere, & conscientijs cum graui animarum periculo illudere, morboque occulto Ecclesiam* inficere; quæ eò sanè perniciosiores, quò ex illis Principes Ecclesiastici; ac Sæculares Euangelicam disciplinam ante cæteros resoluerent, illorumque conscientijs cum graui tot præcipuarum onimarum, e quibus inferiorum salus maxima ex parte pendet, periculo illuderetur, ac ij, qui spirituales morbos e subditorum animis repellere tenentur, & obstare ne iterum ijsdem, aut alijs laborent, ijsdem planè obnoxij forent; quem sensum præsertim tunc Sanctiss. Pontificis verba, quæ relata sunt *Not.* 43 & 44. intendisse verisimillimum est; Quem & cogitasse de indicendo Concilio ad efficacius remedium huic morbo afferendū ferunt: Et ad *cohibendam* quidem *hāc Morum, & Opinionum licētiam in dies*, vt ipse ait, *grassantem* potuit illud prudenter iudicare necessarium; At prouidis consilijs obstant sæpe non præcogniti euentus futuri &c. Mirantur enimuero nonnulli, quod quædam seueritas, laudabilis per se, sit apud Catholicos circa opiniones, quæ ad speculatiuū intellectum spectant, siue *ad contemplationem, & rerum cognitionem*; sit verò indulgentia circa plerasque opiniones ad practicum attinentes, siue *positas in morum præceptis*, vt loquitur *Canus* lib. 5. de Loc. Theol. cap. 5. §. *Omnis de rebus Theologicis*; & ex quibus æterna salus non minùs pendere potest, quam ex illis, & hæ permittantur, ac etiam plurimæ approbentur, quamuis inuicem sibi oppositæ, at illę seuerissimis quandoq. edictis, ac censuris vetentur: Multoque mirantur magis, dum animaduertunt, complures petijsse in T. C vt ab ipso damnaretur opinio negans *Immaculatam Conceptionem B.V.* ac illustres quidam Ecclesiastici, ac Regulares viri impulerint Principes maximos, ac inter cætros Catholicum Regem, ad suppliciter sæpe Romanos Pontifices orādos, vt hanc definiret controuersiam; nō tamen postulatum fuerit a T.C. Patribus, vel a Summis Pontificibus, vt complures dirimerent quæstiones circa obseruantiam Mandatorum, nedum ipsius Ecclesiæ vniuersalium, verùm & Diuinorum, ac Naturalium, circa Vsuram, Simoniam, Mendacium &c. Vtinam non obstiterint quidam saluberrimis R. P. de hac re initis iam consilijs, vt faciliùs sic plurimos sua regere doctrina possent, & ne multorum e

suis

suis Scriptorum sententiæ reprobarentur. Cœcus sui amor nihil non ad suæ excogitat commoda, nihil non aggreditur. Equidem inter Scriptores hosce vetaretur procul dubio, & inter primos, liber quidam, vt fertur, editus a *Ginemio* quodam, cui propositum fuit (consilium hoc nonnisi ab hoste capitali Christianæ disciplinæ, hoc est, prauo dęmone, suggeri potuit) patrocinari opinionibus multis iam communiter reprobatis, & quibusdam etiam Romę, tanquam valde Charitati, & Castitati, ac Iustitiæ non rarò repugnantibus, facilemque præbentibus aditum innumeris contra hasce virtutes criminibus. Iam fere nihil est, quod libeat, quod non etiam liceat. Vix est factum, vel dictum, quod coram Deo Scriptores in hoc sæculo non excusent, ac in foro interiori saltem non admittant, præcipuè si illorum principia perpendantur: Et hæc est *Licentia Morum* orta ex *Licentia Opinionum*, de qua, vt dictum non semel, conqueritur & sanè optimo iure, Romanus Pontifex, e Vaticano Monte prospiciens, in Vallem hanc profectò lachrymabilem inferis proximam Christianum Gregem, quem ipse regit illius Pastor Vniuersalis, a quibusdam Recentioribus detrusum esse, ac in dies magis detrudi. Nulla vnquam sit in Catholica Ecclesia hominum Communitas, quorum præcipua sit cura, vel vna e præcipuis, libros cõsultò recognoscere aliorum, & si qui fuerint impressi ab his, quos in se non beneuolos existimant, vel non approbant opiniones suas, vel mores quosdam suos &c. statim omnes lineas, immo & voces obseruent, vt possint eos accusare, eorumque prohibitionem curare; quis enim liber est adeo accuratè scriptus, in quo nonnulla non possint animaduerti non adeo exacta, vt non possint per malignam interpretationem in prauum detorqueri sensum; & sic nullus Scriptor, nisi amicissimus, possit esse ab illorum maleuolentia tutus? At verò opinionum, quæ à suis Doctoribus proponuntur, quæcumque illæ sint, acerrimos propugnatores semet exhibeant, ne Communitatis honor diminuatur, si reprobentur, vel dum alij eas oppugnãt, ipsi silentes eas iam reprobare videantur, quas quidam e sua Communitate priùs probauissent, elaborantes, vt omnium fermè suorum doctrina Doctorum, tanquam cælitus delata habeatur, ac nihil possit in ea reprehendi vel audaculum; adeoq. efficere, vt Catholici quasi omnes iuxta illam regantur saltem in conscientiæ foro: Quos quis nõ videt facilè consecuturos, si laxas proponant sententias, cupiditates a natura insitas vehementer fouentes? Communitas ista an non persimilis foret societati rebellium, vel latronum? Christianæ perniciosissima enimuero Reipublicæ, & commoda, quæ illi afferre posset, minora forent incommodis, quæ in eam importarentur ab illorum opinionibus, ac typis præsertim euulgatis; nam in illis traditæ legentium animis validissimè inseruntur. Consueuit Dœmon omnium sagacissimus mortalium, aliqua admiscere, nec leuia bona ingentibus malis, quæ patrare statuit, vt plerique illis decepti in hæc faciliùs labantur. Quàm sapienter Pall. lib.1.cap.13. num.3. *Sicome il più salubre antidoto si caua dalla vipera vccisa; cosi il peggior veleno risulta da la corruzione dell'ottimo. Ne altronde può venir all'vmana Republica maggior peste, che da due cose Diuine, quando sono peruertite, cioè dal Sacerdotio, e dalla dottrina.* Quæ verba sedulò, ac sæpiùs ad mentem reuocanda a Romanæ Curiæ primoribus, potissimè dum plurimi, & Sacerdotes forent ex aliqua Communitate Scriptores.

63 A veritate alienum videtur prorsus, quod Constantinop. Concilium Primum, sed Secundum Generale, & Oecumenicum anno 381. non fuerit a *Damaso Papa* conuocatum, vel *Theodosius* tantùm, non consentiente *Da-*

R *maso.*

maso, illud conuocauerit: Nam 1. in vetusto Codice Bibliothecæ Vaticanæ, & alio S. Matiæ Maioris simpliciter dicitur, Secundam Synodum præcepto, & auctoritate *Damasi Papæ* fuisse celabratam, vt ad annum 381. Cardin. *Baron.* habet. 2. *Nilus* Metropolita Rhodius in Enarrat. Synopt. de Sanct. & Oecum. Concil. impressa Parisijs an. 1616. expresse ait, præfuisse huic Synodo *Damasum* Romæ, Nectarium Constantinopolis Episcopos &c. idem significat *Auctor Incertus* de sex Synod. Oecum. Nili libello aditus. 3. Cum isti Synodo adfuerint viri sanctitate, ac doctrina insignes, inter quos *Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nissenus*, non est probabile, quod voluerint illam celebrare Synodum, non præeunte R. P. auctoritate contra antiquissimam Regulam, vt iam *Not. 61.* dictum, quam approbauerant Nicæni quoq. Concilij Patres, vt liquet ex Epist. 2. *Iulij* I. R. P. siue ex eius Rescripto contra Orientales pro Athanasio; inter enim 24. Canones, qui ibi dicuntur conditi a Nic. Conc. Patribus est hic primo loco, *Non debent præter sententiã Romani Pontificis Concilia celebrari*; quem Ægyptij quoque Præsules Epistola ad *Fælicem* II. (hic immediatè præcessit Damasum) aiunt, in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum; sed & ad eumdem Damasum idem vltro fatentur *Stephanus* Archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs Africanæ Prouinciæ: Quæ ambæ litteræ leguntur in tom. 1. Conciliorum ante Constant. 1. sicuti & in eodem tomo ante Concil. Nic. legitur in Epist. 1. Decret. *Marcelli* I. ad Episcopos Antioch. Prouinc. *Episcopos inspirante Domino constituisse, vt nulla Synodus fieret præter Romanæ Sedis auctoritatem, nec vllus Episcopus, nisi in legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate confirmata super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel iudicetur &c.* Cuius Decreti fit etiam mentio in Lect. 3. S. *Marcelli* ad diem 20. Ianuar. Quare si nec Prouincialia inconsulto R. P. habenda ex hisce colligitur, quantò minùs Vniuersalia? Certè in Chalced. Act. 1. damnatur Dioscorus, quia Synodum ausus esset facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ; *quod ritè nunquam factum est, nec fieri licuit*, dixit Lucentius Sedis Apostolicæ Vicarius, atque *de ijs esse Regulas Ecclesiasticas, & Patrum instituta*, addidit Paschasinus Pontificius Legatus; quæ ab eadem Synodo probata: Nec non Ariminensis Synodus e 600. Episcopis ann. 363. iussu Constantij Imperatoris Arriani (de qua *Not. 62.*) congregata Conciliabulum habita fuit, quòd ei R. P. non consensisset, vt *Theodor.* lib. 2 cap. 22. tradit. 4. Act. 18. Synod. 6. dicuntur Imperator *Theodosius, & Damasus Fidei Adamas protinus obstitisse Macedonio deneganti Spiritus Sancti Diuinitatem*. Si autem ex auctoritate huius Synodi P. asserit cap. præced. num. 4. haberi Nicænam Synodum conuocatam etiam a *Silu.* eadem ratione attendendum illi erat, ibi sermonem esse de Damaso, & Theodosio, quemadmodum de *Silu.* & *Constant.* Contra illum sentiunt præterea 1. Cardinalis *Osius*, in litteris ad Stanislaum Orechouium de auctorit. Pontif. Tridenti, dum ibi esset Legatus, datis an. 1563. die vlt. Aug. quæ habentur in Operibus vltimò impressis integerrimi huius, ac sapientissimi Cardinalis. 2. Cardinalis *Bellarm.* lib. 1. de Concil. cap. 13. respondens Magdeburgensibus, & Caluino ex hoc Concilio argumentum desumentibus, quod Conciliorum Conuocatio ad Imperatores, non ad Pontifices pertineat. 3. *Coqu.* oppugnans hac in re Mornæum arguentem ex hoc Concilio Catholicos in Antid. cont. Opposit. 7 pag. 294. 295. & 296. tom. 1. 4. Cardinal. *Baron.* ad eumdem ann. 381. addens, *Quisnam de his dubitare poterit?* Et nihilominus.

nus non solùm Pall. dubitat, verùm, & id asserit; e quo sensu illa definitionis suæ Oecumenici Concilij particula, quod ab Episcopis *Nomine omnium Synodus celebrata sit, ac deinde omnes illam approbauerint*. Nescitur quidem, an e Catholicis vllus adhuc docuerit, Generale Concilium celebrari posse sine R.P. consensu expresso, dummodo certi, ac indubitati, nisi quando hic, vel hæreticus, vel suspectus de hæresi foret ad declarandum Pontificia dignitate illum esse priuatum, ac puniendum quoque Canonicis pœnis, prout Patres Concilij existimarent; aut ad summum quando notabiliter Ecclesiam scandalizaret, redditus incorrigibilis non iuuante correctione Cardinalium, vel præcipuorum Catholicæ Ecclesiæ Episcoporum, vel Principum Catholicorum, maximè supremorum; aut quando valde perturbaret Ecclesiam, abutens sua potestate in destructionem, non ædificationem Ecclesiæ. Nonne hanc Conuocationem ad Romanum Pontificem pertinere definitum est in Lateranensi Concilio a *Leone X*. sess. 11. ex ipsius Pal. testimonio, vt *Not*. 50. dictum? Sed & ante illud idem apertè tradidit *Iul. II.* in Bulla Conuocationis Conc. Lateran. an. 1511. Iul. 18. ac post illud *Iul. III.* in Bulla Resumpt. Conc. Trident. an. 550. die 14. Nouemb. Et ante hos omnes an non id apertè asseruit *Pius II.* in fine Bullæ Retract. an. 1563. April. 26. hisce verbis; *Veneramur Constant. Concilium, & omnia quæ præcesserunt a Romanis Pontificibus nostris prædecessoribus approbata Concilia, inter quæ nullum inuenimus vnquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate conuenerit; quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite, & omnis ex capite defluit in membra potestat?* Non legit illa *Iul. I.* vbi supra contra Orientales pro Athanasio, *Nec vllum ratum est, aut erit vnquam Concilium, quod non fultum fuerit* Romanæ Ecclesiæ, seu Romani Pontificis, *auctoritate?* Nihilominus tamen hæc cuique occurrunt dist. 17. cap. *Regula*, vbi Glos. verb. *Ratum* ait, *Arg. quod id, quod nullum est, non potest ratum haberi*, vt notatur 9. cap. *Nullus alterius* qu. 2. & cap. *Auditis* de Electione. Nec est verum generatim, quod habet P. Quod ad legitimorum omnium actuum valorem non satis sit rathibitio illorum, quorum nomine illi actus facti nõ fuerint; complures enim huic Dicto in vtroque iure obstant auctoritates; quæ legi queunt apud *Glos*. verb. *Rata* in allatum cap. *Nullus alterius*; vbi distinguit inter ea, quæ plus habent Iuris, quàm Facti, & è contra: Et cum illud principium apud I. C. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, ab ijsdem etiam limitetur, *In præiudicium ratum habentis*, vt habet *Barb*. Axiom. 197. num. 18. in fin. Non erat sapientis Pal. illud Axioma absolutè ita proferre, maximè cum si tale Concilium se non conscio, ac probante habitum probaret, seu admitteret Romanus Pontifex, esset in ipsius Apostolicæ Sedis præiudicium. At minùs sapientis, prouidi, ac Pontificiæ dignitati studiosi fuit, non legisse saltem cap. 6. lib. 3. Sum. Eccl. Cardinalis *Turrec*. in cuius init. inquit; *Si quis attente Diuinam Scripturam, & Sanctorum Patrum Canones, ac Instituta perlegerit, manifestè intelliget, ad solius Romani Pontificis auctoritatem spectare regulariter Vniuersalem Synodum congregare*; quod eo capite multis testimonijs, additis etiam rationibus, probat; & cap. 8. soluit 10. obiectiones propositas cap. 7. E quo Auctore desumpsit illa, quæ in hanc eamdem rem, habet *Azor*. p. 2. lib. 5. cap. 10. *Primò, & Secundò Quæritur*. Fatendum tamen ingenuè, non fauere Pal. Lutheranis, Caluinistis, alijsque Sectarijs excludentibus R.P. a Conciliorũ Conuocatione, illamq. soli cõcedentibus Imperatori; & hinc plurimi illorum reprobarunt T. C. vt illegitimè coactum a R. P. ma-

ximè cum hi professi fuerint dilucidè sibi deberi solis Generalium Conciliorum Conuocationem;licet postea complures ex illis vehementius abnuerint, ac detestati fuerint Romanorum Pontificum Pręsidentiam per Legatos suos in T.C. ac potissimùm sub *Pio IV.* vt supra significatum est.

64 Cum præter Tridentinum alia Septemdecim recenseat Pal. Generalia Concilia, & inter hæc nouem in Occidente Generalia, illius, vt hominis ingenui,ac eruditi partes erant distinguere. PRIMO,vniuersim Generalia Concilia ex parte Conuocatorum, & ex parte Præsidentis, vel Confirmantis; vt enim non semel animaduertit Cardinalis *Iacob.* lib.1. quandoque Generalia vocantur, cui præsedit Papa, aut Legatus eius nomine, licet ad illa vocati fuerit duntaxat quidam Episcopi, vel certæ Nationis illis tantummodo adsint; qui & addit, Concilia ipsamet Prouincialia,vel Nationalia (idem asseri potest de Diœcesanis in eodem sensu) appellari posse Generalia, si authenticam habuerint approbationem a R.P. quamuis ipse,vel eius Legatus illis non præfuerit; atque subiungit, ista eamdem inducere vniuersalem obligationem, quam inducunt Coucilia ex vniuersis Christianis conuocata Prouincijs: Cui sententiæ adhærent Theologi, qui omnem Conciliorum infallibilitatem in condendis Fidei, ac Morum decretis, & omnem in promulgandis Canonibus ad Ecclesiæ disciplinam spectātibus auctoritatem vnico ascribunt R.P. At cum in hac secunda acceptione non loquatur Pallau. de Generalibus Concilijs (sic enim longe plura fuissent enumeranda) sed in prima, e Bullario ipsomet Romæ impresso cognoscere poterat, an ad omnia Septemdecim extent Pontificiæ Bullæ omnes Episcopos conuocantes e Christianis Prouincijs, an verò quosdam solùm, licet postea accesserint alij Episcopi non conuocati; vnde peculiaris mentio facienda sincerè fuisset eorum,pro quibus Bullarium obtulisset ipsius oculis, vel illorum saltem,qui ad scribendam hanc Historiam opem tulere, Bullas conuocantes omnes Christiani Orbis Episcopos. SECVNDO. Quando illi, qui de Canonicis agunt libris prudenter eos distingunnt, vt facit inter cæteros vir illustrissimus in sacra eruditione ex Prædicatorum Ordine *Sixtus Senensis* lib.1.Biblioth. in PROTOCANONICOS, hoc est illos, de quorum auctoritate nulla vnqnam in Ecclesia Catholica fuit dubitatio, ant controuersia, sed statim ab initio nascentis Ecclesiæ omnium Orthodoxorum Patrum consensu fuerunt recepti, & ad coufirmandam Fidei nostræ auctoritatem assumpti; & in DEVTEROCANONICOS, hoc est, qui olim Ecclesiastici communiter vocati non statim sub ipsis Apostolorum temporibus,sed longè post ad totius Ecclesię notitiam pernenerunt, & de quibus inter Catholicos fuit aliqnando controuersia: Ita sapienter Cōcilia Generalia, & Oecumenica distinguenda erant in ea, quæ ab omnibus planè admissa Catholicis, vt talia, & quæ minimè ab omnibus. Certum est profectò in primis a Coustantiensibus Patribns sess. 39. quin etiam Basileensibus sess.23.37.& 40.præter Octo Generalia Concilia in Occidente habita, de quibus Professionem emittebat in Romanum Pontificem promotus d.16. cap.*Sancta octo* enumerari tria deinde in Occidente celebrata, *Lateranense*, *Lugdunense*, *Viennense*; nec videtur dubitandum, quin intellexerint Later. sub *Innoc.III.* an.1215. cuius indictio Generalis fuit anno 1213. pro die 1.Nouembris 1215. e Bulla 11.in Bullar.Lugdun. sub *Greg.X.* ann.1274. indictum ann.1272. Iulij 28,ad diem 1.Maij 1274. e Bulla 1. in Bullario; Viennense sub *Clem.V.* indictum an.1307. Aug.12. sed celebrandnm 1.Oct.1309. e Bulla pariter 1. in Bullario, sed inchoatum 1.Octob.1310. ac perfectum die 6. Apri-

lis 1311. ex *Ioanne Andrea* in Clem. *cum sit* de Cens. verb. in posterum, vel vt alij inchoatum 1. Nou. 1311. ac durans per biennium: Quare ad illam diem, in qua Professio a futuris Pontificibus facienda proposita fuit a Const. Conc. Patribus, ac de facto a *Mart. V.* facta 11. Nouemb. an. 1417. nonnisi hæc tria videntur habita fuisse Generalia, & Oecumenica Concilia; nisi dicatur in solis hisce tribus definita fuisse quædam de Fide dogmata, quæ leguntur *init. lib. 1. Decret. sub Greg. IX. init. lib. 6. Decret. sub Bonif. VIII. in Clem. 1. tit. de Sum. Trinit. ac tit. de Hæret.* Fidem verò & octo Generalium Conciliorum Orientalium, & horum trium Occidentalium profiteretur electus Pontifex tenere, ac immutilatam promitteret seruaturum &c. in alijs autem Generalibus Concilijs ante Constantiense dogma nullum ad fidem spectans fuerit conditum, ac toti Ecclesiæ propositum, sed alijs e causis conuocata, & celebrata: Neque hanc Responsionem satis eluit; quod R.P. in sua Professione consueuerit mentionem facere *Octaui* Orientalis, cum tamen in Phocij causa dumtaxat fuerit habitum; etenim, præterquam Phocius iam cæperat non benè sentire de Catholica, & Romana Fide Symboli Apostolici causa, cui a plurimis Occidentalibus Prouincijs additæ fuerant voces illæ de Spiritu sancto, *A Patre, Filioque procedit*, in eadem etiam octaua extant Can. 3. *de Veneratione Imaginum*, & Can. 11. *quod vnica sit hominis anima*. Verùm quidquid sit de hoc: Obseruandum 1. Concilium LATERANENSE sub *Alex. III.* minimè censeri Generale, & Oecumenicum a *Couarr.* Præsule doctissimo, ac eruditissimo lib. 1. var. Resol. c. 17. §. *Et procul dubio*; qui addit, & in *Greg. IX.* Decretalibus afferri sub nomine solo *Lateranensis*, non verò *Generalis*, sicuti *Lateranense* sub *Innoc. III* & Scriptores Ecclesiasticos se legisse tantummodo meminisse Trium Generalium Lateranensium Conciliorum; primi sub *Mart. I.* ann. 652. contra Monothelitas, cui adfuerunt 150. Episcopi; secundi sub *Innoc.* III. ann. 1215. tertij sub *Iul.* III. inchoati ann. 1512 & sub *Leone* X. confecti an. 1517. Cuius opinio a nonnullis confirmatur; quod huius Concilij Indictionis Bulla (hæc est in Bullario postrema) directa est tantùm ad Archiepiscopum Pisanum, & Episcopos, & Abbates per Tusciam constitutos; vbi ait quoque, de *diuersis Prouincijs*, non *de omnibus*, aliquos vocasse; ac pręterea cum illa fuerit missa 1178. Septembris 21. præscribens, vt Prælati ad Dominicam primā Quadragesimæ Romam conuenirent, sex circiter solos menses pro accessu concessit, cum tamen annus solitus fuerit concedi Prę̨latis, qui iubebantur Generalibus interesse Concilijs, vt praxis, & ipsorum Pontificum testimonium *Not.* 62. allatum indicant. 2. Circa CONSTANTIENSE aliqui; Primò illud approbant tantummodo circa condemnationem articulorum Viglef, & Hus, damnatorum quoque a *Mart. V.* Sic Cardinalis *Turrec.* lib. 2. Sum. Eccl. cap. 99. & Card. *Caiet.* init. cap. 8. de Auct. Pap. & Concil. Sic Patres T.C. sub *Iul* III. in Responsione data an. 1552. Ian. 14. in Congregatione Generali Oratoribus Mauritij Saxoniæ Ducis, vt refert Pal. lib. 12. cap. 15. num. 13. His consentiunt illi, qui in libris quoque, nonnullis ab hinc annis non vt authenticam de Fide, admiserunt definitionem Const. Conc. in sess. 15. Iul. 15. an. 1415. damnantis, tanquam hæreticam &c. propositionem, *Quilibet Tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi &c.* Quæ tamen a Catholicis communiter, vt definitio Fidei, admittitur. Secundò alij solùm illud reprobant, quoad primas sessiones, & peculiariter quoad quartam, & quintam, in quibus definitur, Quod Concilium sit supra Papam; quam definitionem aiunt reijci in Florentino, & Lateranensi Concilio. Sic inter cæteros *Seuer.*

Bin.

Bin. in Notis ad Const. Concil. tom. 7. Concil. p.2. Sic *Simon Trasuolf.* in Epit. Concil. dum init. collocat Indicem Conciliorum Oecumenicorum, partim approbatorum, partim reprobatorum; quem desumpsisse videtur e *Belar.* lib. 1. de Concil. cap. 7. & 8. enumerante Concilia initio legitima, at deinde illegitima, & e contra. Modò tamen absolutè in omnibus Constantiense Concilium recipi consueuit, vt Oecumenicum; sic enim ad hæresis Lutheranæ confutationem in primis illud maximè idoneum fuit habitum, teste ipsomet Pal. non semel lib. 1. vt iam dictum *Not.* 50 qui & lib. 19. cap. 4. num. 4. profert Responsionem Cardinalis *Seripandi* ad obiectionem ex 4. & 5. sessione huius Concilij de Prælatione auctoritatis Conciliaris Pontificiæ: Quæ tamen a quibusdam non plenè probatur; qui & verba Pontificiorum Legatorum ad Christianissimi Regis Oratorem valde exaggerantia laudant tantūmodo, tanquam vt idonea tunc ad retundenda, quæ existimabant fore, eiusdem Oratoris postulata; quæ eo tempore non fuissent quidem opportuna.

3. Circa FLORENTINVM, & BASILEENSE; vel fatendum est hæc duo, licet eodem celebrata tempore, legitima fuisse, vt quandoque fuisse duos simul legitimos Pontifices iam *Not.* 50. significatum est; vel non inter Catholicos omnino constare, an Basileense sit reprobandum: Etenim præter Gallicos Præsules in T.C. ex ipsomet Pal. de quibus *Not.* 50. ac Parisienses Theologos reliquosque Gallos communiter 1. illud admittunt tanquam Generale, ac legitimum post Lateranense etiam Concilium, tum Cardinalis *Stanisl. Osius* in Confess. Christ. Cath. Fid. cap. 40. de Materia Eucharistiæ, & in Dialog. de vtriusq. spec. commun. tum *Ioannes Roffensis* Episc. Card. & Martyr artic. 16. cont. Luther. tum *Matth. Vgon.* tum *Laur. a Villauicent.* de quibus supra *Not.* 50. 2. Illud non reprobant *Franciscus Victoria* Relec. 4. prop. 4. §. *Sed dato Dominicus Sotus* in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. vbi ait quoque, Basileense Italos non suscipere, licet Germani, & Galli illud suscipiant; addit tamen *Adrianum* q. 3. de Clauibus asserere, de illius auctoritate plures dubitare, & communiter ei pondus auctoritatis non deferri. 3. Illius auctoritatem sæpe affert, & *Nauarr.* in Comment. de Orat. & *Homob. de Bonis* in lib. de Humanæ Vitæ Statibus &c. Bononiæ an. 1619. euulgato cap. 4. de Summi Pontificis statu, & cap. 5. de statu Cardinalium. Eamdem quoque afferunt *Suar.* & alij non pauci, etiam e sessionibus habitis, postquam illud *Eugen.* dissoluerat. 4. *Cord* licet Hispanus Theologus q. 4. de potest. Papæ §. *Concilium autem Basileense* ait, de eo, an fuerit legitimum, adhuc esse opiniones inter Catholicos; & supra in fin. q. 2. Catholicorum super hoc esse opiniones, & neutrum certum esse; sed & latius q. 44. lib. 1. Quæst. Theol. vbi Vtrum B. Virgo Maria habuerit peccatum originale &c. mentionem faciens Iuramenti, quod præstatur ab illis, qui inter Sorbonicos Doctores cooptantur, de tuenda Immac. Concept B.V. iuxta decretum Concil. Basil. sess. 36. an. 1439. Septembris 17. 5. *Ambros. Cathar.* pag. 358. & 359. sex librorum an. 1542. impressorum Lugduni Annotationum in Commentaria *Caiet.* quæ a se, & ab alijs, ac nominatim a Parisiensis Academiæ Theologis post primam impressionem an. 1536. recognitæ fuerant, reprehendit illum, quod Basileense Concilium appellauerit Schismaticum, & Synagogam Satanæ, illudque Pisano Concilio an. 1511. comparauerit, addens, hoc esse *iniuriosum illis Prouincijs, quæ illud tolerante etiam Ecclesia Romana admittunt, ac Pisanum fuisse per omnia semper a R.E. reprobatum; cum tamen Eugen. IV. honorificè de Basileensi locutus sit, tum in inceptione, tum in prosecutione illius, cuius etiam gesta se venerabiliter suscipere dixit, & pluribus*

suis

suis Bullis commendat. Nicolaus etiam V. longissima Epistola, (seu Bulla) *eiusdem Concilij acta confirmat*. Hæc quidem legitur in fin. Concil.Basil.cuius initium, *Vt pacis*, edita anno 1449. die 14. vel vt alij, die 18. Iun. in qua Pontifex minimè Concil.Basil. appellat Schismaticum, vel Conciliabulum, vel Conuenticula, sed dicit eos *Patres Basileæ, postmodum Lausannæ sub nomine Generalis Concilij congregatos*, & Amedeum semper *nominatum Fælicem V. in sua obedientia* nuncupat. 6. Ad idem maximi sunt ponderis aliæ duæ ab eodem Pontifice promulgatæ Bullæ, quæ non sunt in Bullario, nec in Conciliorum tomis extra Romam quoque impressis, sed modò omnibus expositæ sunt in Libro, cui Titulus *Amedeus Pacificus*, impresso Taurini cum approbatione, tum Archiepiscopi, & Inquisitoris, tum trium Theologorum, inter quos fuit Rector Collegij Taurinensis S. I. *P. Iosephus Alemanius*; in quarum Prima *Nicolaus* statuit, vt redirent in possessionem omnium Beneficiorum &c. omnes his exuti, quòd adhæsissent *Fælici V.* in sua Obedientia &c. In altera, cui initium, *Tantò Nos*, edita iam ab anno 1448. Ian. 18. cum consilio, & assensu S.R.E. Cardinalium, sed promulgata an. 1449. Mense Iun. præcipit, vt deleantur ex *Eugen.* & suo etiam Registro, & alijs locis quibuscumque omnia, & singula, ac prorsus quæcumque contra Concilium Basileense, & eos, qui sub nomine Concilij Generalis, tam in Basileensi, quā in Lausanensi Ciuitatibus fuerunt, & perseuerauerunt, *etiam facta cum approbatione Ferrariensis, aut Florentini, aut alterius Concilij Generalis, & contra Amedeum, eique personas quaslibet adhærentes*, ac *haberi pro infectis*; & hoc, *VT reiectis, quæ ex discordia orta fuerant, status vniuscuiusque Honor, Fama, & Reputatio, illesi, & integri remaneant*. Vnde quidam mirantur, quod in sess.11. Concil. Later. appelletur Basileense Concilium *Conuenticula* &c. stantibus hisce Bullis, quæ ad Concordata spectant. Ista tamen non obstare censentur, quò minùs potior habenda sit ratio Florentini, quam Basileensis, & maximè post scripta ab *Andrea Duallio* Doctore Sorbonico de Pontif. p. 3. pag. 444. Quæ tamen nescitur, qua ratione consentiant ijs, quæ scribit Pal. de Gallicis Præsulibus, qui T. C. interfuerunt, ac de Parisiensi Academia, atque de Galliarum Regni sensu, indicata iam *Not.* 50. Quæ profectò si vera essent, haud Pal. omisisset illa indicare, vt non meritò ostenderetur, Præsules illos cum Cardinali *Lotharingio* adeo acriter repugnasse, ne quid T.C. Decretis, seu Doctrinæ, seu Canonibus insereretur, quod præferret approbationem sententiæ, quod Papa esset supra Concilium, vtpote aduersantis Concilio Basileensi nominatim: Si autem prorsus vera sunt, quæ scribit *Duallius*, minùs fauit Pal. Pontificiæ auctoritati, id silentio præteriēs, aut saltem non subindicans. 4. Circa LATERANENSE POSTREMVM, asserendum videtur, vel illud non fuisse Oecumenicum, vel ibi nō definitum, quod Pontificia auctoritas præferenda sit Conciliari: Cum autem in sess. 11. apertè declararetur id, & multi celebres inter Catholicos Scriptores, vt iam latè ostensum est *Not.* 51. etiam post Later. Concil. quibus addi potest ipsemet etiam *Duallius* pag. 542. præter Recentiores etiam Parisienses Theologos, de quibus *Not.* 28. fateantur, vel indicent, dum eius probabilitatem admittunt, Neutram opinionem esse de fide; consultius videri potest, Concilium hoc nō reponere in Conciliorum pressè Generalium, & Oecumenicorum numero. NEQVE obstare posset, si diceretur decem, & octo ab Ecclesia Romana haberi Generalia Concilia, siue Oecumenica: Nam Responderi posset 1. vocem (Generale, ac Oecumenicū Concilium) ambiguæ significationis esse, vt iam

e Car-

e Cardinali ipsomet *Iacob.* ostensum. 2. Nomen *Ecclesia Romana* æquiuo-
cum est, vt patet non solùm e *Glos.* cap. *Quamuis* d.21. verb. *Nec aliquid*, quam
affert *Panor.* cap. *Maiores* de Baptis. num. 3. ac Bald. in Authent. *Quas actiones*
C. de sacrosanct. Eccles. relatus a *Io. Franc. Mirand.* Theor. 13. verùm etiam e
Conc. Const. ad art. 41. Viglef damnatum (quod & probauit *Mart. V.*) vbi Pa-
tres ostendunt vocem illam sumi aliquando *pro Ecclesia Vniuersali*, aliquan-
do *pro Concilio Generali*, aliquando *pro Ecclesia Romana, prout est Princeps*
cat rarum Ecclesiarum; & Card. *Cusan.* cap. postr. lib. 1. de Concord Euangel.
quatuor acceptiones eius vocis refert; inter quas est illa, quod sumitur *pro*
omnium fidelium Ecclesia, quæ ad ipsam Romanam, vt ad caput, vnitur; & sub
hac ratione Ecclesia Vniuersalis potest Romana appellari, ac ipsamet Roma-
na quoque dici Vniuersalis, quatenus ipsa, veluti Caput, cæteris præcellit
omnibus, & sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata, vt scribit
Innoc. III. ad Ioan. Patriarc. Constantinop. vbi præmonuit, si dicatur Ecclesia
Vniuersalis esse, quæ de Vniuersis constat Ecclesijs, quæ Græco Vocabulo
Catholica nominatur, secundum hanc acceptionem vocabuli non esse Vniuersa-
lem Ecclesiam, sed partem Vniuersalis Ecclesiæ, primam scilicet, & præcipuam,
velut caput in corpore: Cuius doctissimi Pontificis verba referuntur a *Coqu.*
ad Rom. Eccles. Sectat. cont. Præfat. Mornæi tom. 1. pag 26. Interdum sumitur
quoque pro Ecclesia Lateranensi, quę est omnium caput Ecclesiarum, & Epi-
scopatus Papæ, vt notat *Cherub.* ad *Honor. III.* Bull. 4. Schol. 2. e Castr. Arch.
Bald. Rodrig. Barb. Interdum pro ipsomet tantùm P. R. iuxta cap. *Scire debes*
7. q. 1. videturque colligi iuxta multorum interpretationem e Christi verbis
Matth. 18. vers. 17. *Dic Ecclesiæ*: Et sub hisce rationibus, vt ex Arch. obseruat
Ioan. Andr. in cap. 1. de Constit. in 6. in sacris Canonibus Papa appellatur, mo-
dò *Romanus, vel Romanæ Ecclesiæ Episcopus, siue etiam absolutè Episcopus,*
vel etiam Papa Vrbis Romanæ, modò *Vrbis Romæ Archiepiscopus, seu etiam*
Metropolitanus. modò *Patriarcha*: Et aliqua fidem conueniunt illi, vt Epi-
scopo Romano, aliqua vt Archiepiscopo, ac Metropolitæ Romano, aliqua
vt Patriarchæ Occidentalis Ecclesiæ, aliqua verò, vt Patriarchæ primo, simul-
que totius Ecclesiæ Præsidi, ac Pastori: Qui certè vt talis potest statuere
multa omnes obligantia fideles, quæ non posset, vt Patriarcha tantùm Occi-
dent. Eccl. multoque minùs, vt Archiep. vel Episc. &c. Interdum quoque
sumitur pro omnibus Ecclesijs Romano Pontifici subiectis, vt Patriarc. tan-
tùm Occidētali; Interdum pro Clero Romanæ Vrbis cuius potior pars sunt
Cardinales in Vrbe titulum habentes; Interdum pro tota Diœcesi Romanæ
Vrbis; Interdum pro R. P. prout e consilio potissimè Cardinalium aliqua
vniuersaliter decernit, ac proponit &c. E quibus patet, sapientissimè complu-
res cum *Innoc. III.* distinguere *inter Ecclesiam Catholicam, & Romanam*, &
simul pariter sæpe, ac præsertim dum certum aliquid de Fide proponere vo-
lunt, componere *Ecclesia Catholica Romana*, vel *Romana, & Catholica*, vt
sæpe T. C. Patres. 3. Non constat planè inter Catholicos, an definitio Papæ
extra Concilium sit omnino infallibilis; nam præter Paris. Theol. aduersan-
tur Castr. Roff. Abulens. Adrian. omnes quatuor pietate, ac doctrina valde
insignes, & præter Cord. *Not.* 51. idem sentit Ioan. Viguer. Ord. Præd. Instit.
Theol. c. 10. §. 3. vers. 13. At de *Catholica* R. Eccl. nulla est dubitatio. 4. Nul-
latenus constat de definitione Pontificia ex Cathedra, seu Ecclesiæ Romanæ
in hoc sensu acceptione, Quod sint octodecim Oecumenica Concilia; cuius
DEFINITIONI HACTENVS DICTA VLTRO SVBIICIMVS.

FINIS.

DISCVSSIO

QVATVOR IVDICIORVM

Iam impressorum

DE P. SFORTIÆ PALLAVICINI HISTORIA;

Vnà cum incommodis Romanæ Ecclesiæ illatis,
Atque inferendis,

Ac illius pariter commodis:

Quam subsequitur

Exceptio contra Accusationem Historiæ

PETRI SOAVE POLANI,

Eiusdemque Accusationis confutatio.

INDICVLVS.

Sub tribus Pontificibus, qui Concilium ſtatuerunt cum ſemper tentatum fuerit non leue præiudicium Apoſtolicæ Sedi; annuente tamen Deo, *Primum* ſub Paulo III. fuit ſublatum per eius translationem Bononiam; *Secundum* ſub Iulio III. diuinitus extinctum per Gallorum, & Germanorum inuaſionem; *Tertium* verò ſub Pio IV. Pontificis, & Legatorum prouidentia effectum, vt quod impij tentabant, non obtineret effectum; quod fieri non difficile fuit, Imperialibus non concordantibus cum Hiſpanis. Atque hæc optimè videre liquet ex Petro Soaue, quem circa hoc vera ſcripſiſſe non eſt dubitandum. Hæç planè ſunt *Cæſaris Aquilinij* verba pag.34. ac 35. e quibus declaratur pius enimuero Petri Soaue animus in Apoſtolicam Sedem; nam alioquin iſta non obſeruaſſet, vel ſuæ inſeruiſſet Hiſtoriæ; ideoque optimo ſanè iure reprehendit ille Pallauicinum, quòd ſemper inducat Soaue oppugnatorem Romani Pontificatus; qui tamen ab eodem maledicè dicitur maledicus pag.81. propter edita de *Marcello II.* Experientia ſiquidem demonſtrat, Dignitates ſæpiſſime mutare mores, homineſque ad eas euectos frequenter non reſpondere opinioni præconceptæ de Virtutibus exhibendis amplioribus, cum in ampliori gradu fuiſſent conſtituti, ac interdum præbere ſuſpicandi locum, quod hypocritas ſemet exhibuerint quidam, vt aliquas conſequerentur Dignitates. EQVIDEM ſi nos Catholici poſſumus habere Petrum Soaue fauentem Romanæ Sedi, ac Tridentino Concilio, cur illis infenſum volumus, maximè cum fuerit vir ijs moralibus, ne dum intellectualibus, præditus virtutibus, vt nullum ei vitium illius aduerſarij obijcere auſi fuerint, nec ipſemet Pallauicinus vllum ei aſcripſerit? Et cum ex ipſomet Henrico, & Quorlio, etſi Soaue aduerſarijs, clarè colligatur ambiguum ex illius Hiſtoria colligi ſenſum, quid cenſuerit Soaue de libertate, & ſinceritate Tridentini Concilij; cur in deteriorem illum accipimus nos Catholici? Charitaſne Chriſtiana id ſuadet? Conſultius enimuero videtur Eccleſiæ commodis, cum ſpiritualibus, tum temporalibus, PETRVM SOAVE inter Catholicos, & non improbos connumerare.

Illu-

Illuſtriſſimis, ac Excellentiſsimis D. D.

Equitibus, atque Sancti Marci Procuratoribus,

ALOYSIO CONTARENO,

ANDREÆ CONTARENO,

ANGELO CORRARIO,

NICOLAO SAGREDO,

BAPTISTÆ NANIO,

PETRO BASADONIO,

NICOLAO CORNELIO,

Qui ad Summos Pontifices, Imperatores, Regeſque Chriſtianos,

Sereniſsimæ Venetæ Reipublicæ

ORATORES,

Illius ſummæ in Deum Pietatis, ac eximiæ Ciuilis Prudentiæ

Chriſtiano Orbi Vniuerſo Clariſsima exhibuere argumenta,

Stanislaus Felic Colonienſis

Singularis in eamdem Obſeruantiæ

Argumentum

Libellum hunc

D. D. D.

In Responso dato a Sancta Tridentina Synodo in admissione Nicolai de Ponte Doctoris, & Equitis, & Matthei Danduli Equitis, Oratorum Reipublicæ Venetæ die 25. Aprilis 1562. & in sess. 3. die 14. Maij, quod legitur impressum Coloniæ 1565. unà cum alijs Responsionibus eiusdem Sanctæ Synodi Oratoribus, qui a cæteris Principibus missi Tridentum fuere sub Pio IV. post nonnulla initio, hæc habentur.

PRæter alias innumeras virtutes, quas in Reip. administratione vestri prudentissimi Ciues meliùs expresserunt, quàm vlli sapientes homines ratione, & præceptis tradiderunt, nihil vnquam diligentiùs, quàm veram Pietatem, & Religionem coluistis, atque ad pacem, & concordiam conseruandam, & cum dignitate retinendam, omnes curas, & cogitationes contulistis. Neque verò alia vobis studia sanctiora, & antiquiora vlla esse debent, vt qui a præclaris ijs maioribus orti, & procreati estis, qui cum in misera illa totius Italiæ vastitate, mirandæ Vrbis vestræ fundamenta iacerent, non tam illi quidem sibi ipsis videntur ocij, & securitatis profugium quæsiuisse, quàm pacis, & tranquillitatis publicæ sedem stabilem, & domicilium certum collocasse. Nam quod ad Religionem attinet, hæc vestræ beatissimæ Reip. hæc, inquam, vera, summa, & propria laus est, quòd Fidem Christi non accepit, sed in ea nata, & piè educata, eam deinceps per tot sæculorum ætates puram, atque integram sanctè, & religiosè conseruarit: ita vt quàm latè Venetorum Imperium, & Ditio pateat, nusquam vllum peregrinę doctrinæ vestigium, nusquam interruptus Orthodoxæ Fidei cultus appareat, vbique Sanctitas, vbique Religio, & Catholicæ Ecclesiæ disciplina, atque instituta plurimum vigeant; quin potiùs quod in extremis Orientis partibus adhuc lumen aliquod veteris, & synceræ Religionis eluceat, id totum Christi Ecclesia in primis Dei clementiæ, deinde Venetorum pietati, & virtuti acceptum refert.

Iudi-

Iudicium Primum.

Anno 1661.

1 QVidam Siculus Frater e Tertio S. Francisci Ordine Summæ Moralis Theologiæ Scriptor libro 3. Contr. 11. num. 14. loquens de Tridentino Concilio, quod inter Generalia Decimum octauum numerat, vltimumque ad hanc diem, & reipsa forsan semper futurũ, si ipsius sententiæ standum foret n. 24. sic scripsit. *Huius Concilij sinceritatem a M. Antonio de Dominis, siue a Petro Soaue calumniosè traductam vindicauit nuperrimè Phœnix Ingeniorum nostri temporis Sfortia Pallauicinus Historia Apologetica; in qua admirabili nexu relucent doctrinæ soliditas, & explicationis fœlicitas, sententiarum pondus cum similitudinum claritate. Occurrunt frequentes maximèque opportunæ obseruationes peregrinæ, cùm naturales, tum ciuiles. Nitor verò ditionis supra quam rerum arduarum indolem, in nostro præsertim idiomate, fieri posse hactenus creditum est: Adeo vt pretiosè victæ videri possint Stymphalides istæ aues, Martis, seu mauis Plutonis filiæ, sacratissima quæque polluere audentes, dum non ærearum, sed aurearum, vel potius adamantiuarum tabularum collisu ab hoc Hercule fugatæ sunt.* Ista Siculus Frater; quæ nemo miretur Venetijs impressa; nam plurima fuerunt ab illo addita post obtentam anno 1657. Septemb. 20. & 27. ab vtroque foro ad impressionem libri approbationem: Quod præsertim patet 1. in lib. 4. Contr. 9. cap. 1. pag. 557. colum. 2. vbi ait, *Casinenses postrema hac primum Congregatione* (hæc habita fuit ann. 1659. ineunte Maio) *D. Aloysium Squadronum Venetum ad biennium Præsidem renunciarunt*. 2. In libro 5. Controu. 11. in Proem. pag. 691. sic inquit, *Et quoniam dum hæc scribimus, numinis beneficio pax inter Christianos Principes conclusa est*; Hæc autem tandem conclusa eodem anno 1659. Nouembris septima: Quod etiam obseruatum fuit a *Clemente Stellifero Cremensi* in Annot. ad Proemium, ac Initium Contr. 5. lib. 4. contra F. A. C. anno 1661. impressis. 3. In eodem lib 5. cap. 2. pag. 658. ac 659. narrat quoddam a se gestum occasione cuiusdam Doctoratum in Theologia petentis; quod an. 1660. euenit. Adeo fidelem, sincerum, ac suis Superioribus obsequentem semet exhibuit iste Frater; Qui, quæso, *recognoscens*, summam in se hactenus Amplissimorum Procerum humanitatem, *non ea abutatur*, vt ipse in famoso reuera libello an. 1656. Mense Februario sine Auctoris, & loci impressionis, & alicuius approbatoris nomine clam impresso, alium maledicè prorsus monuit.

DISCVSSIO.

OMissa singulari imprudentia, ingratitudine, & audacia, quæ vitia latiùs explicare, haud est opus, vtpote manifesta; animaduertitur in hoc iudicio, seu Elogio.

1 *Adulatio*; dum Pallauicinum *Phœnicem Ingeniorum nostri temporis* ap-

 pellat.

pellat; ſed & prius Contr.6.cap.6.lib.1.init.num.74. *Phœnicem Ingeniorum* ab-
ſolutè vocauerat eumdem. Notane ſunt Fratri huic Omnium Catholicorum
ingenia modò viuentium? Notine omnes libri, qui in Catholicis et à Prouin-
cijs a doctis imprimuntur viris? Audiuitne Frater iſte omnes nominatim
Regularium Ordinum, ac ipſius quoque Nobiliſſimæ Societatis Ieſu Profeſ-
ſores Philoſophiæ, ac Theologiæ, & qui in Academijs Pariſienſi, Louanienſi,
Salmaticenſi, Complutenſi, Duacenſi, Cracouienſi, hiſque ſimilibus eaſdem
tradunt facultates? Quamobrem temerarium eſto planè dictum. Fuit quidem
hæc laus tributa IOANNI PICO Mirandulæ Comiti, tum viuenti, tum
mortuo; Etenim ante annum trigeſimum ſecundum, quem agens an. 1494.
Florentiæ inter mortales eſſe deſijt, vir fuit in omni prorſus Diſciplinarum
genere conſummatiſſimus; Quod patet inter cætera e nongentis Concluſio-
nibus, quas iuuenis adhuc 24. annorum Romæ ad diſputandum propoſuit, &
alijs quoque in Publicis affixit locis, pollicitus ſe ſoluturum eis impenſas,
qui ex remotis oris diſceptandi gratia Romam ſe contuliſſent. Hæ peculiari
libello editæ ſunt; Quarum 12 ſecundum Albertum Magnum 45. ſecundum
S. Thomam 13. ſecundum Henricum Gandauenſem 22. ſecundum Ioannem
Scotum 8. ſecundum Franciſcum Mayronium 11. ſecundum Ægidium Ro-
manum 41. ſecundum Auerroem 12. ſecundum Auicennam 11. ſecundum
Alpharabium 4. ſecundum Iſaac Narbonenſem 4. ſecundum Abumaron Ba-
bylonium 3. ſecundum Moyſem Ægyptium 5. ſecundum Mahumet Tolleti-
num 2. ſecundum Auempacem Arabem (& hi ex Arabibus) e Græcis autem
pariter doctrinam profitentibus Peripateticam 4. ſecundum Theophraſtum 3.
ſecundum Ammonium 9. ſecundum Simplicium 8. ſecundum Alexandrum
Aphrodiſeum 5. ſecundum Themiſtium: E Platonicæ verò doctrinæ Secta-
toribus 15. ſecundum Plotinum 8. ſecundum Adelandum Arabem 12. ſecun-
dum Porphyrium 9. ſecundum Iamblicum 55. ſecundum Proclum 14. ſecun-
dum Mathematicam Pythagorę 6. ſecundum opinionem Chadęorum Theo-
logorum 10. ſecundum priſcam doctrinam Mercurij Triſmegiſti Ægyptij 47.
Chabaliſticæ ſecundum ſecretam doctrinam ſapientum Hæbreorum Chaba-
liſtarum. His adnectit quingentas in decem claſſes diuiſas, ſecundum opi-
nionem propriam, hoc eſt, *Phyſicas* 80. *Theologicas* 20. *Platonicas* 62. *Mathe-
maticas* 85. *Paradoxas dogmatiZantes* 71. *Paradoxas conciliantes* 17. *Chal-
daicas* 15. *Orphicas* 31. *Magicas* 26. *atque Chabaliſticas* 71. Et ex harum
fundamentis ait maximè confirmari Chriſtianam Religionem; proponit pre-
terea 74. quæſtiones, ad quas pollicetur, ſe per numeros reſponſurum. Ta-
liſne Pallauicinus? Ipſe quidem, non dum primum ſupra vigeſimum ætatis
annum prætergreſſus, quinque dierum ſpatio pomeridianis horis Theologi-
cas Concluſiones, quas nongentas vndecim in Nouem libros diſtributas im-
preſſerat, in Romano Collegio Theologicam ſuſcepturus Lauream tuendas
ſuſcepit; & plures ex illis cum laude non exigua ſanè an. 1628. in totins Vrbis
conſpectu defendit: Sed præterquam aliqui ſaltem illarum oppugnatores
erant amiciſſimi, vt ipſemet teſtatur in Epiſtola ad Reuerendiſſ. P. M. *Vincen-
tium Pretum* Ord. Præd. Sac. Rom. ad Gen. Inquiſit. Commiſſ. præfixa lib. 7.
Aſſert. Theolog. ac veriſimiliter ſcire poterat, quænam ſeligendæ ab Oppu-
gnatoribus &c. Illæ ſolum erant Theologicæ Theſes, in quas erat quoque
digeſta *P. Ioannis de Lugo* Theologica omnis doctrina; Cui quidem ingenuè
profitetur debere omnia in libris Quinque Aſſertionum ſuarum anno 1649.
Romæ impreſſis expoſita *Meditamenta*; ſic enim ipſemet Pallauic. loquitur,
illa.

illa præmittens in Epist. ad eumdem Cardinalem initio lib. 1. *Nihil in eam* (Cathedram Theologiæ) *afferre potui, quippe nihil habens, quod inde non accepisse a te, qui nulli in me in erudiendo iuxta, atq. in amando posthabueras: Neque tamen illud tibi vulgare, ac segne obsequium rependi, vt tua vel transcriberem, vel recoquerem &c.* Quæ igitur comparatio Pall. cum *Joanne Pico?* Nõ defuerunt hoc nostro etiam æuo, ne dum sæculo, aliquot, qui in nori ætate similia quoque Pall. immo etiam illustriora doctrinæ, ac ingenij experimenta dederunt; qui tamen minimè *Ingeniorum Phœnices* dicti fuere, vt illi nominatim, qui exposuerunt se defensores vniuersæ *Scoti* doctrinæ, in quatuor libros Sententiarum potissimè; quod certè difficilius est, ac ingeniosius, quã vnius defendere opiniones viuentis Doctoris, & qui ex ordine vniuersas tractauit Theologiæ Quæstiones, easque sedulò examinauit, & ætate grauis, & viginti, ampliusque annis in illustribus Academijs S. T. Professor. Poteſtne Pall. comparari P.M.F. *Francisco Macedo* a S. Augustino Ord. Min. Obseru. Lusit. Conimb. qui Romæ commorans cum omnium profectò digna admiratione, non solùm in S. Augustini, cuius doctrinæ est addictissimus, Templo trium spatio dierum ann 1658. de *Omni* planè *Scibili* theses exposuit, ac respondit; verùm & ex improuiso de quacumque re sibi proposita copiosum, concinnumque sermonem habet, oppositasque, ne dum diuersas, Doctorum opiniones Catholicorum ingeniosissimè defendit: Vel *Honuphrio Surrentino* Neapolitano, qui duobus abhinc annis Neapoli coram Capellano Maiori Maiestatis Regiæ in Regno Neapolitano quadraginta Lectiones de diuersis Facultatibus continenter dictauit, quæ statim recognitæ nullam meruere lituram; quapropter ab Excellentiss. ProRege *Comite a Pignoria* stipendio satis lauto Lector in Neapolitato Studio constitutus, meritissimò decoratus fuit. Isti oppidò in Italia degentes, non assentatoriè, *Ingeniorum Phœnices* dicendi. Si autem dixeris, hunc illi iam titulum deberi propter libros Romæ impressos, *Arte dello Stile, Libri quattro del Bene, Ermenegildo Martire Tragedia, Assert. Theol. lib. 7. tom. in 1. 2. & Historia del Concilio di Trento*; Præterquam longè grandior natu Pall. quam suos *Picus*, illos conscripsit, Historiamque vulgauit quinquagesimo circiter suæ ætatis anno; Quot alij, & superiori, & nostro hoc sæculo, longè plures, doctioresque libros conscripsere, etiam ex eadem Soc. Iesu, qui recensentur in Cathalogo Scriptorum Soc. a *P. Alegambe* impresso Antuerpiæ an. 1642. & nihilominus *Ingeniorum Phœnices* haud sunt appellati! Cardinalisne *Toletus*, qui fuit verè insignis, & Cõcionator, & Philosophus, & Theologus, cùm Scholasticus, tum Moralis, & Sacræ Scripturæ Interpres, vt eius libri luculenter testantur, ab vllone, eiusdem quoq. Soc. vt *Ingeniorum Phœnix* fuit commendatus? Si hæc laus tam facilè tribuitur; quidni ipsimet Fratri Siculo etiam breui tribuenda, in quo nõ est leuis (sicut edita declarant) Humaniorum Litterarum, ac prophanæ eruditionis, atque Theologiæ Moralis peritia, ne dum Philosophiæ, dum Methaphysicam in celeberrima Vniuersitate profitetur. Vilescit hæc laus, dum sic facilè tribuitur; sicut ipse tradit lib 5. Contr. 7. num. 44. nimiam facilitatem promouendi peritos, & imperitos aspernabilem fere Doctoratus gradum fecisse, vt inquit *Gasp. Ens* Morosoph. lib. 2. cap. 19. Commune namq. est honoribus omnibus vilescere, cum promiscuè in dignos, & indignos dispensantur, vt *Limnæ.* de Iur. Publ. lib. 8. cap. 8. num. 5. Equidem si demas in Pall. notitiam non vulgarem politioris litteraturæ, ac præsertim Itali, seu Etrusci sermonis, accuratam cognitionem complurium Philosophicarum quæstionum,

ac potiſſimè Methaphyſicarum, quarum non paucæ in Theologiæ Cathedris modò ſolent agitari, ac in libris exponi, qui *Theologici* a nobiliori, non ab ampliori, materia inſcribuntur, & aliquam Sacræ, ac Eccleſiaſticæ eruditionis ſuppellectilem ſibi comparatam in primis ex occaſione ſcriptionis Hiſt. T. C. nec non promptitudinem de ibatam ex Ariſtotelicis Topicorum, ac Elenchorum libris ad excogitanda argumenta ad ſuas qualeſcumque opiniones proponendas, & ad aliorum placita, licet firmiſſimis nixa fundamentis, non rarò oppugnanda (vt omittatur audacia quædam) quid in eo eſt adeo mirandum, vt *Ingeniorum Phœnix* ſit iure nuncupandus? Narratæ autem iam animi dotes in multis, etiam in ipſamet Italia, conſpiciuntur; immo hi quandoque politiorum loco Litterarum præſtant in Mathematicis, vel in phyſicis experiẽtijs; aut (quod longè pluris æſtimandum eſt) in Iure Canonico, in Sacrarum intelligentia litterarum, in Conciliorum, Sanctorumque Patrum notione: Sicut enim ineptè, ac imperitè dicuntur *Philoſophari*, vt prudenter ſcribit Pall. cap. 27. lib. Vind. pag. 217. & alibi, *qui memoriam exercent, non ingenium* ad rationes naturales inueſtigandas, quibus Philoſophicas probent concluſiones; Sic imperitè, ac ineptè dicuntur *Theologari*, qui Theologicas concluſiones non ſtabiliunt ex vna ſaltem præmiſſa, quæ habeatur ex Verbo Diuino, ſeu ſcripto, ſeu tradito, vel e Concilijs Generalibus approbatis, vel e communi prorſus Eccleſiæ conſenſu id tanquam certum de fide habentis, vel e concordi Sanctorum Patrum ſententia, vel e Pontificijs Decretis ex Cathedra: Quo aliquis in iſtis ſex Theologicis propriè locis (in quibus *Ingenium exercere* vehementer periculoſum in primis eſſe poteſt ſuperbis) magis verſatus fuerit, eò ſapientior Theologus erit; illorum rudis, Theologus immeritò prorſus dicetur; leuiter illorum ſciens, vix Theologus erit. ESSE quidem Pal. Italum, ac Romæ ortum, educatumque; Eſſe ex nobiliſſima inter Italos Familia; Fuiſſe familiariſſimum quorumdam inſignium litteratorum, quorum familiaritates ſe adhuc Religioſum retinuiſſe, quà priuatas, quà principales, teſtatur ipſemet cap. 51. lib. Vind. in fin. pag. 392. Fuiſſe dilectum a primarijs quibuſdam in Societate ipſa quoque viris, ac Præſulibus, quorum beneuolentiam ſibi conciliare ſtuduit, nonnullis libros pariter dedicans; indeque Præpoſitum Fuiſſe (huius Prælationis cauſa additur alia, quæ, quoniam communiter occulta, ſubticetur) in conſtituendo Scholaſticæ Theologiæ in Romano S.I. Collegio Profeſſore alijs duobus, qui diuturniori tempore, & ſub Soc. diſciplina fuerant, & pro Soc. laborauerant, & bis Philoſophicum curſum cum laude ibidem confecerant; ex quo factum deinde, vt primas quoque tulerit inter eos, qui poſt *P. Terenty Aiciati* obitum ad Reſponſionem Petro Soaue, quam ille magna ex parte parauerat, perficiendam deſignabantur, patrocinanre ſemper Cardinali *De Lugo*, cuius beneficijs, tunc etiam poſt purpuram, mirum in modum *ſe deuinctum teneri* in fine Epiſtolæ, de qua ſupra, aſſeuerat &c. Hæc, inquam, Pallauicini doctrinæ famam propagarunt, exaggerarūtque præſertim illi Patres S.I. qui optabant, vt in Apoſtolico Senatu Pallauicinus locum Cardinalis *De Lugo* exciperet, cenſentes ad ingens Soc. commodum ſpectare, vt ſemper aliquis e Soc. inter Purpuratos adſit Patres; latiùſque aucta eſt, dum ALEXANDER VII. Pontifex enimuero gratiſſimus, memor potiſſimè beneficiorum, quæ in ſe contulerat Pallauic. cum Romam petijt, & annuente VRB. VIII ſapientiſſimo Pontifice ibidem morari conſtituit, PALLAVICINVM inter Purpuratos Patres aſcripſit. Non minùs quidem Virorum dignitate, vel auctoritate inſignium fama Adulationi,

quàm

quàm Calumnijs expoſita eſt, & illi quidem faciliùs; nam Adulatores non vltionem inde ſibi timent, ſicuti calumniatores, ſed potiùs mercedem expectare poſſint; etenim Magnates adulationum ſolent eſſe complures amantiſſimi. Iſta ſint dicta, non vt aliquid Pallauic. famæ detrahatur; nemo enim niſi planè mentis inops, non illum inter doctos, ac ingenioſos noſtri æui homines collocabit; Sed ſolùm, vt oſtendatur Elogium illud *Phœnix ingeniorū* ſiue ſimpliciter, ſiue cum addito, *noſtri temporis*, aſſentatoriè appoſitum fuiſſe; Quod nec generatim ingenuis Patribus Soc. ipſis arridere poteſt. At hęc Siculi Fratris aſſentatio multò adhuc magis patet, dum de eodem Pall. loquēs in hoc Controuerſiarum Tomo modò *Magni*, modò *Eruditiſſimi*, modò *Clariſſimi*, modò *Doctiſſimi*, ac ſæpiùs *Sapiētiſſimi* titulos addit, & ita frequenter, vt fermè quinquagies illum ſic laudatū a Fratre fuiſſe aliqui obſeruauerint; quos tamen titulos omittit, dum affert ex ipſa S.I. viros, quorum *auctoritate duci*, quorum *ſcientia gloriari Societatem*, & a quibus *Societati gloriatio*, & quibus *a Societate obſequium*, inquit ipſemet Pall. cap. 27. lib. Vind. pag. 218. ac 221. in fin. ac 222. init. hoc eſt, *Vaſq. Suar. Val. Mol. Arub. Alem. Aug. Sanch. Leſſ. Tolet. Bellarm. Lug.* & his conſimiles. Siculæ Nationis Adulationem peculiare vitium fuiſſe olim, obſeruauit Q. *Curtius* lib. 8. Modò hoc peculiare huius Fratris eſſe de Pall. loquentis præcipuè, ſolummodo cœcus non videt, dum & illam laudem, & hoſce titulos tam frequenter ſuo magno Volumini inſerit (imitator in hoc Pall. cui ſe amiciſſimum non ſemel profitetur) cum tamen ſatis fuiſſet Fratri quindecim, aut viginti circiter folia imprimere, in quibus reponerentur e ſuo deprompta ingenio. Si ita ſcripſiſſet poſt habitam Tridentini Concilij mentionem, *Huius Concilij ſinceritatem a M. Antonio de Dominis, ſeu a Petro Soaue calumnioſè traductam*, ſapientiſſimè, vel eruditiſſimè, *vindicauit nuperrimè Sfortia Pallauicinus Hiſtoria Apologetica*; Quidni laudem potiùs reportaſſet ab illis, quibus odioſum eſt tam prolixum eiuſmodi Elogium!

2 *Ignorantia*; leges enim Hiſtoriæ ſibi haud notas eſſe F. oſtendit, inſcius etiam qualis illius debeat eſſe ſtylus; Perraræ profectò debent ſententiæ eidem ineſſe, rariores verò ſimilitudines; neque frequentes Politicæ obſeruationes; ſecus enim libri hiſce redundantes potiùs Morales, vel Politici, vel Oratorij diſcurſus dicendi ſunt: Quamobrem incongruè prorſus libri a *Petro Matthæio* conſcripti Hiſtoria nuncupantur. Notatur a Cardinali *Bentiuolo* de huiuſmodi redundantia P. *Famiani Stradæ* Hiſtoria Belgica, celebris etiam apud ipſummet Pall. cùm in lib. Vindic. cap. 19. pag. 130. tum in cap. 6. Introd. ad Hiſt. T.C. & tamen longè minùs exuberat, quam Pall. Hiſtoria.

3 *Mentis caligo*; dum non obſeruauit, plurima Pall. aſſerta fauere fini, quem dicitur ſibi propoſuiſſe in ſua conſcribenda Hiſtoria Petrus Soaue, eiuſque dicta corroborare, adeo vt Soaue ingentes gratias meritò agere poſſit Pallauicino, quòd non rarò a ſe editorum fuerit amplificator, ac interpres. Eadem animi caligine occęcatus, haud perſpexit apertum in nonnullos, etiam e primarijs viris, Pallauicini liuorem, ac odium; ac præterea, quam inanes, futileſque ſint complures aduerſus Hiſtorica Soaue dicta argumentationes.

4 *Detractionis ſtudium*, dum maximum dat plauſum Pallauicino; *Tum* quibuslibet fermè dictis Soaue malum, vel peiorem ſenſum tribuenti, ac benè, & pro Catholica Religione contra hæreticos dicta reticenti: *Tum* Summorum Pontificum, & ante cæteros Sanctiſſimorum reipſa Pontificum *Adriani VI.* & *Pauli IV.* moribus vehementiſſimè detrahenti; vt de *Carolo*

Quinto, alijsque taceatur. Quamobrem *Stymphalides*, quas appellat Siculus Frater, *aues* non victæ, sed potiùs victrices a recenti suo *Hercule* modò redditæ sunt *aurearum* illius Historiæ *collisu tabularum*. Adamantina quidem sunt Catholicæ Ecclesiæ castra, aduersus quæ nunquam *portæ inferi praeualebunt* Matth 16. seu hæ sint hæreses, vt interpretatur *Epiphan. in Anchor.* seu hæreticorum blasphemiæ, vt *Euthim.* seu quælibet diaboli machinationes, vt fuisse veterum sententiam ad ea Christi verba vers. 18. *Mald.* e Soc. I. refert. Amor summus, quo Pallau. prosequitur, cœcum hunc Fratrem reddidit; qui tamen aliqua dignus est excusatione, cum eius præsertim opera honorificum alicubi consecutus fuerit gradum, ac stipendium, e Sede quadam ann. 1654. remotis nonnullis, qui multa cum laude in ea sederant ab anno 1489. vt refert *Philip. Thomas.* lib. 3. cap. 7. de Gymnas. Patau. sperauitque forsan ad ampliores dignitates, fortunasque, præsertim in quemdam inuehens, eodem deprecante, alibi euehendum: Cuius voti vt compos fiat, Christiana Charitas suadet, vt supplices Deum oremus; si tamen mutato munere aliqui etiam mores mutentur; de quo non est desperandum.

Nõ videtur tamen hic Frater simpliciter reprehendendus, dum Pallauicinũ laudauit *ex nitore dictionis in rerum arduarum explicatione*; Fidei siquidem Catholicæ Dogmata Italici Idiomatis explicat proprijs, accommodatisque vocibus; quod peritiam non vulgarem præsefert, cùm Italici idiomatis, tum Dogmatũ in T. C. definitorum; quidquid sit, an alio nomine vituperandus sit, quòd res hasce arduas Italicis verbis vulgo proposuerit, præcipuè cum satis fuisset, quas Soaue Historia Italicè proposuerat aduersus illa Obiectiones, Italicè etiam refellere.

Iudicium Secundum.

Anno 1661. eodem.

QVO anno Siculus Frater commendatissimam vndequaque voluit esse Pallauicini Historiam, Panormi prodijt Liber, cui Titulus; *Historia Concilij Tridentini Petri Suauis Polani ex Auctorismet Assertionibus confutata a Philippo Quorlio Sac. Theol. Legumque Doctore Romani Cleri Decano edita per I.V.D. Iosephum Crimibella &c.* cum dicatoria ad ALEXANDRVM VII. Sum. Pontif. Princip. Opt. Max. Hic diuisus est in quatuor partes; & probatur in earum 1. in Re Tridentina Sinceritas. 2. Actionis Tridentinæ Libertas. 3. Historiæ Falsitas, ac Malignitas in ijs, quæ pertinent ad Actionem. 4. Eadem Falsitas, ac Malignitas in ijs, quæ non sunt de Actione. *In Consilio* autem *ad Lectorem* Operi præfixo ab Auctore ait; CVM VIS TOTA IN PROBATIONIBVS CONSISTAT; *Eas vt sint contra Aduersarios omni exceptione maiores, non e nostris hauriam scripturis (quod facilè factu fuisset) sed ex eademmet Historia in totum propemodum eruam, cum ad aliorum scriptorum fidem rarò confugiam: Nam ex eorumdemmet Assertionibus, ac principijs; tum quæ proposui, planè, ac facilè demon-*

demonstrabo; tum vnà simul totam Historiam (vbi confutatione indigeat) fundamentis euertam. Ex qua probatione, præter id, quod certissima eius Commenti leuitas apparebit (cum non certior esse possit quam quod semet ex contradictionibus destruat) aduersariorum etiam machinationibus occurram. Cum enim dicant, Pontificem alteram aduersus eos illius partem in Concilio sustinuisse; non modò nostra omnia (vtpote partis aduersæ) indubitanter reijcerent, in suspicionemque vocarent (& præsertim priuata, quæ nullam probationem, nisi adminiculata faciunt) sed alia insuper in replicatione addentes, contentiones ex contentionibus excitarent, quò, veritate semper incerta, eorum fraus deprehendi non posset, nullusque vnquam finis altercationibus fiat. CVM, *& præter hæc* NON ALITER OS MVNDI CLAVDI POSSE *crediderim, qui iam præoccupatus ab Aduersarijs, procaciter in Romanam Curiam adlatrat. Cum adeo nãq. positus sit in maligno, vt nõ desint, qui inimicis potiùs nostris (licet gratis etiã asserentibus, solaq. in nos rabie scribere apertissimè profitentibus) quã nobis, fidem haberi velint; nonnisi etiam probationibus, quæ adminiculis non indigeãt, aut exceptionibus non subiaceant, de malignantium circumuentionibus admoneri possent. Exemplar Historiæ, cuius paginas allego, est quod M. Antonius de Dominis Italico primùm idiomate edidit Londini an. 1619. Typis Ioannis Billij, cum sit cæterorum omnium Archetypus. Quod in latinum fidelissimè transtuli, ne ea vulgarium auribus committerem, quæ non sine certo pietatis periculo, simplicibus, rudibusque euulgarentur: Cum namque falsa, & fucata a veris, nec etiam auxilio confutationis, per se ipsos discernere queant, facilè etiam imprimuntur, in erroresque trahuntur. Quibus præstitis, de Dogmatibus ex professo controuertere opus nõ erit, cum libertate ostensa, certum sit Definitiones Tridentini (vtpote Concilij liberi, ac legitimi) suo pondere stare, alienisque idcirco fulcris minimè indigere. A quibus etiam abstinendum censui, quòd e dignitate esse non videatur, quæ maturè semel Ecclesia definierit, in contentionem, quasi incerta, aut pendentia reuocare; præsertim quia plurima, & doctissima non desunt eius argumenti Volumina.* In his tacitè quædam notantur in Pallauicini Historia. 1. Quòd ex professo ibi agatur de dogmatibus; a quo abstinẽdum esse censuit *Quorlius* eo etiam nomine, quod id sibi visum fuerit ad Ecclesiæ dignitatem spectare, & iam plurimi, ac doctissimi viri de illis scripserint, a quibus magis accuratę, ac solidę responsiones Aduersarijs peti fortasse queũt. 2. Quòd probationes in ea desumantur e nostris scripturis, ac potissimùm e priuatis, quibus facilè fides non habebitur ad Aduersarijs; sicuti nos nec fidem habemus scripturis, quæ ab illis proponuntur; adeoque sint admodum infirmæ huius Historiæ probationes. 3. Quòd nouæ contentiones excitandæ ex huiusmodi Historia; multa enim leuiter, multa nihil probare, multa etiam pro se potiùs stare existimabunt Aduersarij, euulgabunt, imprimentq. & hinc magis plurimorum sensus confirmandi, T. C. non fuisse liberum, & legitimum. 4. Quod cum certo pietatis periculo Italico Idiomate Historia a Pallauicino fuerit euulgata; vnde simplices, ac rudes trahi in errores queãt. Eiusmodi notis plausum fecisse videri posset ipsemet ALEX. VII. dum huius libri Auctorem post illius editionem copiosioribus Ecclesiasticis est muneratus; ac licet quidam vehementer obsisterent, ne in lucem prodiret, omnium tamen oculis exponi post ipsam Pallauicini Historiam, constantissimè videtur voluisse: Quamobrem in extremo Epistolæ ad eumdem Pontificem inquit: *Opus, Beatissime Pater, cui per multos annos (ne in alterius manus incideret) latitandum fuit; Nunc, TE auspice, prodit in lucem; quò sub tuo benefico*

sydere:

ſydere optatum portum aſpiciat, & tandem aliquando, TE benigne afflante; de Aquilonibus, Euriſque aduerſis (fruſtra fremente, ac tabeſcente liuore) triumphet. Sibi tantùm hanc confutationis Hiſtoriæ Petri Soaue laudem quidam vindicare cupiebant, vt Romanorum Pontificum, & Romanæ Curiæ, quorum dignitati, & auctoritati illa vehemẽter detrahere videbatur, ſibi beneuolentiam mirum in modum conciliarent, adeo vt velut ingrati poſſent exiſtimari, tum Pontifices, tum Romanæ Curiæ Proceres, ſi ipſorum deinde non annueretur poſtulatis, votis &c. Ideoque *Scipio Henricus* ſuam Cenſuram euulgari voluit an. 1654. dicatam Cardinali Spadæ, & huius *Philippi Quorlij* Operis duo priores libri an. 1655. fuere Venetijs impreſſi.

DISCVSSIO.

NOn congruè reprehenditur tacitè Pallauicinus, vt ſic 1. Quod contra Fidei Catholicæ dignitatem egerit, agens de Dogmatibus iam in T.C. definitis; nam & Controuerſiſtæ omnes, & alij quoque Theologi contra hæreticos, nouiſſimoſque Sectarios oppugnatores definitorum in T.C. agentes, potiùs e dignitate Fidei Catholicæ arbitrantur de hiſce Dogmatibus agere. Sic fecerunt Sancti Patres quoque poſt Nicænum, Conſtantin. 1. Epheſinum &c. ſoluentes, quæ contra in illis definita Concilijs nonnulli ſcripſerant &c. 2. Quod cum Doctiſſimorum extent Volumina virorum has tractantia Controuerſias, ad illa potiùs Lectores fuiſſent remittendi; Etenim multis non eſt otium ad id, multis deeſt pecunia ad Volumina hæc emenda &c. Expediret autem Reſponſionem aliquam præberi ijs, quæ in S. Hiſtoria ſunt allata contra Tridentini Concilij Decreta, præſertim de Fide, & adhuc multò magis, cum plurima ibi ſint repoſita, quæ peculiarem exigunt reſponſionem in Sectariorum libris communiter non expoſita. 3. Quòd Italico Idiomate Apologeticam conſcripſerit Hiſtoriam; nam cum S. Hiſtoria ſit eodem conſcripta, ad remouendum ab illis ſcandalum, qui Italici tantùm ſermonis periti ſunt (& hi numerantur plurimi ex ipſis quoque Magnatibus) erat opportunum, immo forſan neceſſarium, in Reſponſione Italicum adhibere ſermonem. 4. Quòd e manuſcriptis, & alijs, quæ tergiuerſari queunt, Reſponſionem confecerit: Etenim hic reſpondendi modus, abſolutè vt ſic, non eſt omnino reprobandus; cùm non ſolum S. ex iiſdem ſuam in primis confecerit Hiſtoriam, vel maxima ſaltem e parte; verùm etiam quia e Florẽtino nominatim, Epheſino, Sexto, ac Septimo Generalibus Concilijs conſtat, illorum Patres vſos fuiſſe manuſcriptis (neque enim tunc libri erãt impreſſi, vt modò a duobus circiter ſæculis) ad Catholicæ Fidei Dogmata exponenda, hæreticaque damnanda; & nihilominus illi, qui damnabantur, clamare poterant, libros eſſe corruptos &c. Alia quæſtio eſt, an prudenter illis omnibus, quæ affert, vſus fuerit, an fideliter &c.

Obſeruandum quidem eſt 1. reſpondendi rationem a *Quorlio* adhibitam, ſi textui conſona planè ſit, eſſe magis efficacem, ac idoneam, quam aliam, quæ ſemper expoſita erit replicationibus, exceptionibus &c. Sic nullum validius contra Thomiſtas, Scotiſtas, alioſque argumentum eſt, quam quod ex ipſorum principijs ſolidè contra ipſos vrgetur; ac præſtantiſſimi Philoſophiæ, Theologiæ, aliarumque Scientiarum Profeſſores experiuntur, nec non ingenuè fatentur, nullorum argumentationes maiorem ſibi afferre moleſtiam,

quàm

quam allatas ab ingeniosis auditoribus suis suæ Doctrinę principia callentib.
2. Hoc opus licet per se magis efficax, ac idoneum, compluribus tamen minùs arrisurum, nedum arridere, quam Pallauicini Historiam, ac *Henrici* Censuram: tum quia non leuis est laboris, ac seduli quoque, locos perscrutari, qui afferuntur, an consentiant penitus; tum quia nulla fere iucunditas percipi videtur ex illius lectione, quæ tamen percipitur e Pallau. Historia, licet plurima illi inferantur ad T.C. nō attinentia, & ex ipsamet etiam *Henrici* Censura; in cuius Parte *Prima* continetur Historia Tridentini ex ipsomet Soaue collecta; in *Secunda* continentur Sectiones Quinque, in quibus redarguit a Soaue dicta contra Catholicam Fidem, aliosque, illiusque mendacia exponit &c. in plures articulos distributæ: Quapropter hoc opus censeri posset minùs vtile, cò quòd complures haud illud sint lecturi, cum tamen curiosi quidam magis lecturi sint Pallauicini Historiam, etsi plurima ibi sint a T.C. aliena; quod forsan contigit, & continget Censuræ *Henrici*, cum tamen illa sit in compluribus valde laudabilis. 3. Laudandum enimuero *Quorlium*, quod Romanæ Ecclesiæ vtilitatem, ac honorem sibi proposuerit in suo Opere aggrediendo, ac prosequendo, cum a multorum in Romana Curia Sapientum sensu ductus, ac præsertim impulsus prudentissimi Pontificis *Vrbani* auctoritate, qui cæptum opus probauit, perficique mandauit, existimauerit nullam magis propriam Historiæ illius confutandæ rationem esse, quam ex ipsamet Historia: Quod habetur non e testimonio tantùm ipsius *Quorlij*, verùm & aliorum, qui id se audijsse ab ipsomet VRBANO inquiunt. Cui opinioni magis adhęrere potuit ille, cum cognouit Reuerendiss. P.F. *Nicolaum Riccardium* S.Pal. Apost. Mag. doctissimum enimuero, ac iure optimo *Monstrum* ob singularem multarum peritiam scientiarum vulgo appellatum, prouinciam detrectasse Historiam texendi Soaue penitus Historiæ confutatricem; ac præterea *P. Terentium Alciatum*, qui complurium spatio annorum Scholasticam Theologiam in Romano S. I. Collegio cum plausu prælegerat, licet Responsionem viginti, & amplius annis fuisset meditatus, huic muneri peculiariter addictus, ac notitias vndique opportunas exquirens, illam minimè palam exhibuisse. Opus *Quorlij*, quamuis non ingenium exhibeat, quod in Historia Pallauicinus, iudicium tamen exhibet maturius; nec opportunius præ illa Ecclesiæ commodis censeri non potest a sapientibus (non dicitur, a sciuolis quibusdam) prudentibusque viris, si fidele omnino sit; omnimoda enim de infidelitate suspicio amoueri a pluribus non poterit, nisi conferantur edita a *Quorlio* cum exemplari; ideoque consultissimum videatur futurum fuisse, vt Latinæ iam linguæ donatum, vnà cum suo Opere imprimendum curauisset *Quorlius*; cui tamen adhuc amplior habenda fides, quam Pallauic. quòd exarata a Soaue fermè semper distinctis caracteribus, integrasque periodos ante legentium oculos proponat, simul cum paginis e quibus illa desumit; hoc autem cum non præstet Pallauicinus, sinceritas eius minùs explorari potest, quam illius. 4. In suo Opere *Quorlium* materiam præbere laudādi in posterum magis Petrum Soaue; nam si ille videatur vulnera inflixisse, & grauia, animaduertit quoque etiam medicamenta apposuisse. Cur ergo dumtaxat attenduntur vulnera, & non medicamenta? In multis ac illustribus Philosophis, ac Theologis, ac potissimè in *Scoto* contradictiones tot fuerunt obseruatæ, vt integri quoque libri ad earum solutionem fuerint conscribendi, vt eruditis viris, ac nominatim Scotistis, notum est, ex alijs locis eiusdem Auctoris, ac *Scoti* inter cæteros, sensum oppositorum, qui illis tribueban-

tur, ſenſuum delibantes. Cum valde ingenioſus fuerit Soaue, teſte ipſomet Pallauicino cap. 3. huius *Introduc.* ſi non accuſatur *Scoti* doctrina, quod videantur plurimæ illi ineſſe contradictiones, cum illæ ex eadem ſoluantur à Scotiſtis; Cur Soaue Hiſtoria accuſabitur, quod plurima inſerantur illi T. C. ſinceritatem, adeoque legitimitatem tollentia, cum alia quoque plurima ſint eamdem clariſſimè oſtendentia, quæ cum ſingulari commendatione compluriuni in ipſamet Romana Curia collegit *Quorlius* Cleri Rom. Decanus?

Iudicium Tertium.

Anno 1662.

IN lucem prodijt Antuerpiæ impreſſus liber ſic inſcriptus, *De Tribus Hiſtoricis Concilij Trident. Auctore Cæſare Aquilinio.* In hoc Auctor initio comparat Cenſuram Theologicam, & Hiſtoricam *Scipionis Henrici* Doctoris Meſſanenſis Hiſtoriæ Petri Soaue Polani anno 1654. Dilingæ impreſſã cum Hiſtoria Pallauicini; & ait, illam huic præferendam, eò quòd *Henricus* ſuperflua omnia reijcere ſtuduit, rebus certis, ac euidentibus, & ijs, quæ Soaue negare non poterat, eſt vſus, & ſe ab omni paſſione abſolutum declarauit, dum ea, quæ a S. rectè, & pro Eccleſia Catholica vtilia ſcripta fuerunt, deſcripſit: At Pallauicinus innumera, ac longè petita adiunxit, etiam pernicioſa, & peſſima, abſcondita, & incerta euulgauit, & ex manuſcriptis Soaue Hiſtoria confutauit, ac ex illis, quæ confutari, ac tergiuerſari faciliè queunt, omniaque ſummo liuore imbutus, in Hiſt. illa, vt peſſima, reprehendit. Deinde comparat Hiſtoriam Pallauic. cum Soaue Hiſtoria. Et Primò quidem vtramque comparat Hiſtoriam, vt Hiſtoriæ ſunt, ac prefert Soaue Pallauicino: *Tum quia* illa fuit prior: *Tum quia* ſtylus eſt purior, & ſimplicior, nullis illitus fucis &c. At P. fucis ſcatens, & affluens, quæ confectati ingenij indicia oſtendunt; S. ſtylus apprimè Hiſtoricus; At P. fere nunquam, cum eius ſermo maxima e parte ſit figuratus, ac tropologicus, & ita contrapoſitis, & metaphoris, & allegorijs abundet, vt nihil ſupra, ac denique talis, qui neque Oratori, & perſæpe nec Poetæ communiter aptatur; e quibus potiùs riſus excitatur legentibus peritis; Addit P. nullum certè ex antiquis, vel e recentibus laudatis in Hiſtorica arte imitatum eſſe; & cum Hiſtoria S. ſit ſimplex, ac pura, etiam in ſcribendi formulis ſe illi voluiſſe contrarium exhibere; & præterea conſpici in illa ſtyli inæqualitatem, & interdum humiles dicendi formulas, obſcuros ſenſus, & non ſemel ænigmata, quæ omnino ab Hiſtoria abhorrent: *Tum quia* S. in eo, quod proponit, perſiſtit, & nihil vltra narrat, niſi ea, quæ vel anteceſſerunt, vel ſecuta, vel concomitata ſunt T. C. celebrationem, vel aliquo modo ad Religionis cauſam pertinentia; At P. adiungit innumera, quæ longè diſtant ab eo, & longiſſimè ab ipſius ſtatus profeſſione, vt Cenſuras Pontificum vitæ, Conclauium actiones, narrationes de Placentino, & Parmenſi Ducatu, Pauli IV. geſta, Caraſſorum clades, malos euentus Innocentij Cardinalis a Monte, & plurima alia. Vbi autem oſtendit, immeritò

meritò S. dici a P. Atheum, eò quòd Hæreticus vixerit inter Catholicos, existimans sibi id fas esse, & hoc vanis, & frigidis argumentis; quin etiam ait, se nescire, quo iure appellet S. hæreticum, cum ipse nec Pontifex, nec Episcopus, nec Inquisitor existat; Subiungitq. P. esse instar hominis, qui cum non valeat suis viribus inimicum vincere, clamoribus vtitur, & maledicis vocibus, cum debuisset solùm respondere ad opposita, quæ in illius Historia inueniuntur, & non lacessere hostem iniurijs, & sanctos Scriptores imitari aduersus hæreticos, qui relictis iniurijs tantùm eorum doctrinam confutant, ac damnant. Secundò comparans Pal. Historiam, vt est Responsiua ad S. ait 1. esse P. similem Pueris in Scholis, qui quodcumq. malè exaratum, vel ob atramentum, vel ob calami, vel paginæ defectum, quascumque præterea, vel minimas non benè expressas interpunctiones, sub solæcismi nomine appellare, ac suo æmulo tribuere per calumniam consueuere. 2. Numerare P. inter errores, tum ea quæ ab alijs referuntur Historicis, sed non probantur ab ipso; tum quæ fortasse Typographiæ, & manuscribentium fuerunt errata; tum quæ ad numeros, vel dierum, vel noctium, & similium spectant, quæ omnia sub recto Iudice honestam interpretationem habere possunt; tum quæcumq. suis manuscriptis, seu notitijs non coarctantur: & tandem, ait, istos errores fere omnes nihil tandem ad Concilij causam omnino pertinere. 3. Animaduertit, Plutarchum, Thucydidem, Liuium, Appianum, ac similes inter se contraria scripsisse; Euangelistas quoque actionem interdum diuersam ab alio referre, vel tacere. 4. Inquit, nullitatem, ac falsitatem plurium deprehendi, multosque nec eius manuscriptis firmari. 5. Epistolas tradit relatas ab eo esse instar verborum, quæ sæpe diuersa sunt ab eorum cordibus, vt passim inter omnes, & publicos, & priuatos, euenire solet. 6. Dicit, esse alios, qui S. fauent, Historicos; & omnia, quæ ille scribit in principio hæresis Lutheranæ, ac vt errores damnantur a P. inueniri scripta a Fontano centum, & amplius annis elapsis. Obseruat peculiariter, quod erroris S. reprehenditur, quasi narrauerit, hæresim Zuuinglianam ortam fuisse ex occasione Indulgẽtiarum euulgatarum a F. Sampsone Ord. Min. cum ipse tantùm dixerit, Zuuinglium se opposuisse Sampsoni. Postea ostendit peculiariter 1. Non errare S. dum asserit Concilij translationem Bononiam factam esse iussu Pauli III. & non ex metu contagij, vel pestis; sic enim legitur in Addit. Vitæ Pauli III. ad Vitas Pontificum Platinæ impressas Coloniæ an. 1551. & idem tradit Honuphr. Panu. in Vita Pauli III. cui consentiunt Manfrinus Rosseus, & Dionysius a Fano, & ex Italis Generales Historias scribentes, alijque Scriptores ante S. qui translationem Pontificijs tribuunt mandatis; Legatos verò, vt obedirent Pontifici, vsos esse occasione pestis; facilè enim fuit plurimorum mortem contagiosis tribuere morbis, & medicorum esse proprium cautos esse, & semper mala, & ægrotationes portendere, & hoc maximè præstitisse tunc Legatorum voluntate cognita. 2. Ex Epistola Episcopi Vintimiliensis ad Carolum Boromeum Pij IV. Nepotem haberi, non esse prorsus, ac plenè veridicam narrationem quamdam de Alphonso Salmerone, & Frãcisco Turriano suadentibus, vt adderetur Canonibus, Communionem sub vtraq. specie iussam fieri tantùm a Christo Apostolis, & Sacerdotibus conficientibus. Subiungit; a P. dici non semel multa ad Grammaticos potiùs, ac Ludimagistros, quam Theologos attinentia, & quæ prætereunda fuerant, vel paucis absoluenda, præterquam aliqua obiecta sunt Grãmaticales calumniæ; nec nõ potuisse absolui paucis paginis concludentes Responsiones ad Historiam S.

 & re-

& reliqua, quæ scribit pro Responsione, esse superflua, inutilia, & nõnunquam perniciosa. Tertiò comparans vtramque Historiam in ordine ad Cõcilium, & Catholicam Fidem, declarat in primis, qua ratione P. sit S. amplificator, & interpres, ac Protestantibus faueat: Nam 1. In his, quæ ad Religionem spectant, docet eum satis amplê loqui de Hæreticorum dictis, & quasi eorum si non defensorem, saltem excusatorem esse factum; nam in 97. conclusionibus a Luthero propositis ait multas veritates contineri, sed varijs erroribus permixtas, ab antiquis Scholasticis deductas, sed iam communi Theologorum sententiæ aduersantes; vnde in his conclusionibus singillatim referendis per sæpe alicuius Scholastici auctoritatem affert. 2. Referentem congressum Caietani cum Luthero referre adamussim omnes propositiones, omnia argumenta, ac disputationes, quę occurrerunt inter ambos; & hæc, quę in Officio Sanctæ Inquisitionis cęlabantur prudentissimè, hodie cum summa imprudentia patere omnibus. 3. Opiniones Zuinglij proponentem addere illas ipsas fuisse antiquorum quorumdam Scholasticorum. 4. Honorificentiùs locutum fuisse de Luthero, quam S. cum iuit ad Vormatiæ Conuentum, & P. pro effigiando Luthero secutum esse pictores, qui pro formanda imagine non detrahunt, sed potiùs addunt varios, & bene cohærentes colores, & hos tot, & tantos addidisse, vt si Lutherus adesset, immortales tam digno, & grato pictori egisset gratias. De Romanis Pontificibus verò (vt omittantur modò ea, quæ tradit hic Auctor de Contentionibus inter Dominicum Sotum, & Ambrosium Catharinum, e qua occasione vehementer P. sugillat) significat, cum satis breuiter S. loquatur, & solum quoad ea, quæ ad Concilium spectant, & non semel aliquem laudat, ac de illis aliquas laudabiles actiones refert, longo P. sermone vti, & (quod peius est) contra illorum actiones, & mores censuram satis seueram componere, cum vel illos laudare deberet, vel saltem in his rebus indifferens esse, cum Pontificum vita, ac mores nihil faciant ad Concilij causam, adeoque præbere ansam hæreticis Pontifices in calumniam vocandi, præsertim hoc tempore, quo nihil magis habent illi in votis, quam R. P. deprimere auctoritatem, & ideo veram de Sacramentis doctrinam renuunt ea de causa tantùm, quod in R. E. vsu esse dignoscitur: Peculiariter verò, Iulium II. ita laudare, vt laudatus reprehensione dignus appareat; Leonem X. exhibere hominem poeticarum inuentionum, ac fabularum amantem, ac de Religione satis minimam curam habentem, eiusq. actiones proponere Vniuersalis Eccclesiæ Summo Rectore indignas; & cum scribat Saxoniæ Ducem non probasse Leonis X. Bullam contra Lutherum propter simultates inter ambos ex cuiusdam pecuniæ solutionis in Romana Curia occasione (quod non est in S. Historia) Lutheri culpam facere minorem, & illam ad Pontificem conuertere: Adriani VI. quem S. ita commendat, vt dixerit eum esse mortuum, quia tam bono Pontifice Orbis terrarum dignus non erat, benignitatem, ac morum suauitatem P. non placere, atque vt non politicum reprehendi, cum tamen S. vt politicum vituperet: Iulij III. longè maius, ac visibile dedecus reddi per concinnam oppositorum seriem, & solui ænigmata, quibus S. est vsus: Marcellum II. maledica lingua P. protulisse, degenerem in Pontificatu futurum a se ipso in minoribus: De Paulo IV. satis iam Vellium scripsisse, quam infensus illi fuerit P. Denique inter alia, vbi tradidit P. de Indulgentijs vulgari Italica lingua disputasse, ac summæ Theologię arcana in vulgus aperuisse cum Catholicę Fidei detrimento; & P. inseruisse scandalosas valde contentiones (a S. omissas) inter Cauensem, & Chironensem

sem Episcopos, ac inter primum Legatum, & Cardinales Madrutium, ac Pacæcum, de quibus *Not.*29. & 30. nec non retulisse de actis in Conclauibus pro R. P. electione, Electorum animos semper ad sæcularia studia propensos valde fuisse, quod non potest non scandalum afferre, & blasphemiarum occasionem præsertim Apostolicæ Sedis insectatoribus, sicuti & narratio gestorum, & criminum, & pœnarum, de quibus latissimè agit, Cardinalis Caraffæ, atque aliorum: Subiungit Auctor, quæ a P. e S. Historia non referuntur; & non referri 1. Causas veras, quas probat S. duas, propter quas Clem. VII. nollet Concilium, & quarum vnam S. inducit Pontificem, veluti prophetico ore prænunciantem. 2. Quæ habet S. de Responsione Carolo V. ab Ecclesiasticis data in Conuentu Principum Ecclesiasticorum, & Sæcularium, cum ibi Cardinalis Contarenus esset Legatus, & a Sæcularium quoque Principum Responsione, quæ admodum fauorabilia sunt, & Catholicæ Fidei, & R. P. dignitati. 3. Cardinalis a Monte constantiam aduersus protestationem Bononiæ nomine Imperatoris; vbi addit, videri P. potiùs Imperiales, quàm Ecclesiasticas partes prosequi. 4. Pij IV. Epistolam ad Ferdinandum Imperatorē, in qua summa C. T. libertatis causa consistit; quæ tamen a S. refertur. Concludit. *Hæc & sexcenta alia referri possunt ex Petri Soaue Historia, quæ pro Catholica Ecclesia faciunt, & a P. sunt prætermissa. Verùm hæc satis. Ex dictis optimè liquet, quantò perniciosior sit Pal. quam Petri Soaue Historia, cum in illa & offenditur Romanorum Pontificum fama, Hæreticorum dicta enumerantur, & amplificantur, atque antiquorum auctoritate persæpe firmantur, rixæ, contentiones, & scandala inter Catholicos, quæ in Concilio acciderunt, sigillatim referuntur, & quæ bona, & recta a Petro Soaue enarrata, vel minuuntur, vel prætermittuntur, vel in contradictionem vocantur; quæ omnia apertè indigitant, quantum Catholicæ Fidei, & C. T. causæ non leuiter noceant. Certè Diuino Numine factum videtur, Historiam hanc duobus admodum magnis Voluminibus fuisse distinctam; ex eo enim fit, vt paucissimi, & admodum flegmatici inueniantur, qui Historiam hanc in integrum legant &c.*

DISCVSSIO.

1 SVmmum liuorem, odiumq. *Aquilinius* prefert in Pallauicinum, de quo accusatur ab ipso Pallauicinus ipse in Petrum Soaue, dum nihil planè in P. Historia commendabile reperiri significare videtur; nullamque vtilitatem prorsus ex ea afferri posse innuit, sed solùm incommodam esse Catholicæ Ecclesiæ. Præterea nimis acerbus est verbis; atque dum risui illum exponit in fine libelli, non potest non haberi petulans. Si multa ex illo abraderentur libello, commendabilior profectò foret. Didicit illius Auctor ex ipsomet Pall. forsan hanc in P. inuehendi rationem ex ipsomet P. inuehente in S.

2 Nimis etiam mordax est, *Ambrosij Catherini* mentionem faciens, dum inter cætera ait, illum non solùm positionem de possibili certitudine gratiæ, quam errorem appellat, sed alios etiam ab Ecclesia improbatos errores defendere ausum fuisse; & priùs afferens defensionem quamdam a P. allatam pro opinionis Catherini defensione inquit; *Verùm hoc Pallauicini Commentum quot & quantas ineptias contineat, incredibile est dictu*. Incongruè quidem appellatur hæc Catherini opinio erronea; licet enim talis videatur haberi ex *Bellarm.* lib. 3. de Iustif. cap. 3. non tamen sensus illius est sensus Pontificis e

Cathe-

Cathedra: Certè si legisset eiusdem Catherini Confirmationem defensionis Catholicorum pro possibili certitudine gratiæ editam Lugduni ann. 1551. ac dicatam Hippolyto Cardinali Estensi, perspexisset certò, tum celebres Doctores, & defunctos, & tunc viuentes eidem adhæsisse; tum eam nullatenus damnatam, vel notatam a Sacra Tridentina Synodo, illiusque Patres nunquam intendisse illam quoquo modo arguere, tanquam minùs Catholicam: Et cum Legati Pontificij ann. 1546. Octob. 16. scripserint ad Pontificem, vt prohiberet, ne Sacri Palatij Magister vexaret Catherinum, cuius vita, & doctrina erat ab omnibus probata, indicatur profectò neque hanc opinionem, neque alias eiusdem Catherini, vt minùs sapienter dicit Aquil. habitas fuisse erroneas, sed potiùs valde probabiles; nec operam dedissent ijdem Legati, vt Minoriensis Episcopatus eidem deferretur; multoque minùs Iulius III. qui fuit primus inter Legatos T.C. ad Archiepiscopatum Compsensem illum euexisset, si erroneis opinionibus, e quibus vna iam notata fuisset in T.C. Cather. fuisset imbutus: Nec desunt quidam hac nostra ætate illustres viri eisdem adhęrentes, licet a plerisque non probentur. Illę non senserunt quidem adhuc vllam Ecclesiæ censuram, vt de *Lessij* effato de Diuinis auxilijs scribit Pall. cap. 27. lib. Vind. init. pag. 222. saltem si excipiatur Catherini opinio de Verbis, quibus Christus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum confecit; quæ fuit aliorũ quoque Doctorum apud *Suarez* disput. 58. de Euch. sect. 1. qui eam appellat modò temerariam; & hinc Catherini Opusculum de hac quæstione in librorum prohibitorum Indice legitur. Haud sibi quidem beneuolos expertus est Catherinus plurimos sui præstantissimi Ordinis Theologos; tum quia librum edidit Senis an. 1532. in defensionem Immaculatæ Conceptionis B.V. a quo sensu omnes fermè Dominicanæ Familiæ Theologi erant alieni, secuti, vt inquiunt, in primis S. Thomam, a cuius Sanctissimi Præceptoris degener discipulus ille habebatur; tum quia infensum semet exhibuit *Caietano*, quem Thomisticæ Scholæ Principem, vt & *Capreolum*, habere solet Prædicatorum Cœtus, in sex libris Annotationum impressis an. 1536. & 1542. in quibus quidem multos censet errores esse, qui haud tales reapse sunt. At Pal. Cather. fautorem semet exhibet, nactusque occasionem valde illum commendat, ac tuetur, & non immeritò, vt lib. 6. cap. 5. num. 5 lib. 8. init. cap. 9. lib. 9. cap. 6. n. 2. lib. 11. cap. 1. lib. 12. cap. 1. num. 6. lib. 13. cap. 1. num. 10. & cap 8. num. 8 Omisit autem duas eius præclaras laudes, hoc est; Quod & a Iulio III. destinatus fuisset ad Cardinalatum, vt ait *Sixtus Senensis* eius Conciuis lib. 4. Biblioth. ac refert quoq. *Guidus Pancirolus* Regiensis lib. 2. de Claris Legum Interpretibus c. 163. addens, Didacum Mendocium verbis Cæsaris, cuius Romæ Legatum agebat, obstitisse, ne Iulius eum Cardinalitia dignitate decoraret; Et Quod Catherinus fuerit primus, qui post Bullam contra Lutherum a *Leone X.* promulgatam ann. 1520. Iunij 15. scripsit accuratissimè, inscripsitque librum, *Apologia pro veritate Catholicæ, & Apostolicæ Fidei aduersus impia, ac valde pestifera Martini Lutheri dogmata*; quam *Carolo V.* Imperatori, & Regi Catholico dicatam in quinque distribuit libros; in quorum 1. continentur vndecim doli Martini, quibus potissimùm multitudo imperita decipi potest; in 2. recitatur ad verbum liber eius plenus blasphemijs, & stultitijs circa Papæ potestatem, & pene ad verbum confutatur; in 3. continentur omnia, quæ opponuntur cõtra decreta probantia Primatum Romanæ Ecclesiæ, seu Summi Pontificis, & pariter ad verbum referuntur eius blasphemiæ, & agitur de Claue scientiæ Papæ, & potestate circa Indulgentias; in 4. confutantur, quæ peruer-

peruersissimè, & perniciosissimè tradidit circa sacramentum Pœnitentiæ, & statum Purgatorij,& verba sua propria apponuntur; in 5. qui inscribitur *Speculum Vniuersæ eius doctrinæ*,colliguntur hæreses,& errores absoni, quos tam contra veritatem, quam contra seipsum alioquin effudit. Hæc Apologia fuit Florentiæ impressa an. eod.1520. Decemb.20. per Hæredes Phillippi Iuntæ, sicuti & ibidem an. insequenti 1521. die vlt. Aprilis euulgauit libellum, quem ad Vniuersas direxit Ecclesias, cum hoc titulo *Excusatio disputationis contra Lutherum*; vbi iste veterum Summorum, Sanctorumque Pontificum, salutiferas sanctiones, totquæ adeo præclaras Patrum sententias igni rapido manibus impijs, scelerosisque suis tradidit deuorandas. Hæc a Catherino gesta erant Historiæ suæ a Pal. inserenda, vtpote spectantia, tum ad Catherini laudes, in quas se ostendit propensissimum, tum ad T.C. Historiam propter Lutheri opiniones a Summo Pontifice indicti; vel saltem hæc indicanda erant; sicuti & quod anno 1547. ipse iam Episcopus Minoriensis dicauerit Opus *De Consideratione, & Iudicio præsentium temporum a superseminatis zizanijs*, vniuersis Christiani Gregis Episcopis, & Catholicis eorum Ecclesijs, impressum Venetijs ann. 1547. in cuius 1. libro Lutheri vitam, & mores pandit: In 2. eius doctrinam sincerè refert, ipsius verbis fideliter recitatis cum locis, vnde illa sunt desumpta, vt cognoscere posset Catholicus lector magnas occurrere admirationis causas cogitanti, qui fieri potuerit, vt homo tam prauus vita, tamque insanus doctrina, valuerit tantum morbum immittere, tantum negotium facere, tantumque dissidium coucitare in Ecclesia Dei viuentis: In 3. per apertionem verarum causarum tantæ calamitatis, ac huius pestis, manifestantur remedia, quæ si non apprehendantur ab Episcopis, significatur in 4. quod meritò iustificabitur sapientia Dei a filijs suis propter admirabilem eius in Ecclesia prouidentiam &c. Et in hoc quidem 4. libro sanctissimus Catherini zelus apparet, notos Prælatorum, Regularium, aliorumque mores vituperans. Non potest igitur non vituperari *Aquil.* qui in fine §. *De contentionibus inter Dominicum a Soto, & Ambrosium Catherinum*, typis exposuit, *Debet admodum gloriari Catherinus, qui vt Senensis Pallauicinum patronum habuerit; fortasse & Lutherus, si Senensis fuisset, eamdem nunc fortunam assequeretur*; præsertim cum P. vt iam dictum aliquas quoque eiusdem *Catherini* laudes, ac illi debitas, omiserit.

3 Haud aptè reprehenditur Pal. quod e manuscriptis pleraque suæ apposuerit Historiæ; nam etiam S. ex ijdem suam in primis texuisse liquet: Alia quæstio esse potuit, quibus fides, & quibusnam maior adhibenda, quænam seligenda, quænam reijcienda, an conficta &c. & potissimè an ex illis idoneè & clarè infirmentur a S. scripta &c. Multò minùs arguendi Apostolicæ Sedis Ministri, qui P. tribuerunt multa, quæ in occulto tegebantur; tum quia nonnisi Summi Pontificis iussu id efficere potuerunt; tum quia P. erat sedulò perpendere, an expediret illa publici iuris facere.

4 Errat, dum ait de *Clemente VII. ac Paulo III. Pontificibus fere nihil videre est*, quod dicat; nam licet nó tam multis notet *Clem. VII.* sicuti *Leon. X.* & *Adrianum VI.* prædecessores, breui tamen illius vitia ob oculos ponit lib.3. cap.6. scribens, illius mortem omnes animos exhilarasse, cum illi defuerint beneficientia, morumque suauitas, & adfuerit praua timoris affectio, quæ plus æquo alios æstimans seipsum exhibuit contemnendum: Nec non prius lib.2.cap.16. num.8. ait, non laudabili exemplo suæ Familiæ Principatum in Patriæ suæ excidio erexisse, fructumque ex hoc reportasse, inter Nepotes discordias,

scordias, Alexandri occisionem, suique sanguinis omnimodam extinctionem. Eumdem etiam notat imprudentiæ circa Concilij celebrationem cap. 17.n.17.lib.3 Mirum quidem est, quod *Aquilinio* ignota sit causa, propterquam P. nihil fermè dicat de *Paul.III.* immo illum excuset de ingenti in suos propensione ex Arist. 3. Polit. cap. 11. illum dumtaxat in hoc se hominem ostendisse affirmans; cum *Paul.III.* vt omnibus fermè notissimum est, fuerit, qui primus approbauit Societatem Iesu, vt Religiosum Ordinem anno 1540. Semptemb.27. eique amplissima elargitus sit priuilegia; & amplissimas similiter eidem struxerint ædes duas Romæ, Sacram *Alexander*, non sacram *Odoardus* Cardinales Farnesij; & amplissimis quoque reditibus Soc. fruatur in Farnesiorum Ducum ditione, quos elargitus est magna ex parte Parmensi Collegio Serenissimus Dux *Ranuccius* fel. mem.

5 Si reprehendenda est Pal. Hist. quod singulæ inscriptiones sua longitudine, ac loquacitate, vt ait, per se ipsas capita etiam repræsentare videantur, etiam reprehendendi, qui Rubricas ad Ciuiles leges, & Canonicas confecerunt; nam plures ex his longissimæ sunt, & quandoque quasi non minores textu; præterea non tales sunt pleræque. Neque arguendus, quod per capita distribuerit Historiam; tum quia est simul Apologia; tum quia non sine aliorum exemplo Historicorum id præstitit, vt ipse Pal. scribit in fine Introd.

6 Nec aptè reprehenditur Pal. quod asserat, quandoque æquiuocis Trid. Synod. vsam esse verbis (quibus vsum etiam esse Christum non semel inquit *Mald.*) cum secus minimè forent tot diuersi, immo & oppositi Theologorum sensus de sensu verborum T. C. vnde & complures easdem voces pro discrepantibus inter se opinionibus afferunt. Satis est nobis internum generatim assensum præbere sensui, quem per ea decretorum verba S. Spiritus intendit.

Iudicium Quartum.

Anno 1663.

Illustrissimus D. D. *Ioannes Caramuel* Sacriamensium, & Campaniensium Episcopus in *Apologia pro Antiquissima, & Vniuersalissima doctrina de probabilitate contra Nouam, Singularem, Improbabilem D. Prosperi Fagnani Opinionem*, impressa Lugduni, vbi Ep. 1. init. appellauit Cardinalem Sfortiam Pallauicinum, *Virum, quo doctiorem non agnoscit Europa, Consistorij Apostolici gloriam, Ornamentum Italiæ, in quo eruditio, & pietas de primatu contendunt, quem dedit Orbi Christiano Deus, vt ad eius exemplū Ecclesiastici Principes mores suos accuratiùs eliminent*; paulò post de Historiæ libro ita scribit; *Hic Concilij Tridentini Historiam calamo doctissimo edisserit, & multa solidissimè tractat*: Nec non init. Epist. 2. *Patere Vir Magne, pietate, doctrina, & dignitate Eminentissime, vt coram Te, sicut coram suo Magistro discipulus exponam, quid in hac materia ex Tuis, & aliorum illustrium Doctorum operibus didicerim &c.* Atque post multa; *Perge igitur Ecclesiam protegere, & sicut hucusque prouidè, & ingeniosè hæresim detectam retudisti, mo-*

dò laruatæ obsiste, & ex tumulo in lucem redire, & decipere incautos ne toleres: Subiungit, *Præter Ecclesiam, scholam etiam debes protegere; nam si heri Doctor, & litterarum Diuinarum Professor, fuisti omnium artium, & scientiarum promotor, omnium, qui in Ecclesia eminerent, Mœcenas, non erat in Te secundum dici heroica hæc virtus, nec mutatis dignitate, & auctoritate potest mutari.* Ista Præsul eainuero ingeniosissimus, & qui multò æquiùs, quã Pallauic. inter *Ingeniorum Phœnices* nostri temporis enumerari potest, vt e plurimis eiusdem libris patet multiplicis scientifici generis.

DISCVSSIO.

1 OBseruari potest in hisce verbis adulatio, quam dolendum est in hunc amplissimum, doctissimumque Præsulem irrepsisse; cuius probra ostendit post *Phil. lib. de Plant. Noe, S. Chris. Hom. 5. in epist. ad Philip.* & alios apud *Rayn. lib. 4. de Virt. a n. 166.* præ ceteris *Guglielmus Paris. cap. 10. lib. de morib.* qui & scitè *cap. 17. lib. de Virtut.* Adulatores tradit, esse Sacerdotes diaboli, seu infernales, officiũ mortuorum, quod a *Placebo* incipit, semper agentes; sed & priùs inter Ethnicos ipsemet *Cic. de Amicit.* significat esse *seruile, leuium hominum, Gnathonum, ac Parasitorum*; vbi etiam addit, *assentationem esse molestam*, adeoque etiam perniciosam, cum Assentatores *fuerint loco, fortuna, fama superiores*. Neque hoc vitium circa Pal. in *Caram.* modò patuit, cum se adulatorem exhibuerit etiam *Antonini Dianæ*; etenim in Theologia Regul. num. 53. inter *Litterarum Principes* post recensitos *Vasq. Suar. Lorc. Ponc. Manriq. vtrumque Sanch. Less.* eum numerat, ac n. 117. ait, Dianam *diligentia, & studium magnis Viris adscripsit, & fortè ipsi plus debet Ecclesia, plus Ethica Christiana, quam alijs*; supra autem meminerat *Vasq. & Pont.* postea *num.* 113. *Dianæ ingenium veneror*, & paulò post illum *Auctorem Magnum* nominat. Alibi etiam, vt in Theologia Fundamentali, sæpissime summis eum effert laudibus. Quis verò nisi planè cœcus non videt, hasce laudes immeritò tribui Dianæ, dum illum comparat *Vasq. Suar. Pont. Lorc.* & alijs de quibus supra, quorum vix inter primores esset discipulos; & dum ingenium extollit, dum eius volumina potiùs debeantur labori corporis in euoluendis plurimis scriptoribus, e quibus hausit omnia fermè, ac sine discussione, vt plurimum saltem, quæ in suis duodecim voluminibus reposuit, comparandus sanè potiùs *Ambros. Calepino, Mario Nizolio*, alijsque huiusmodi Collectoribus, quales sunt non pauci in vtroque iure; & dum tradit, Ecclesiam, Ethicamque Christianam plurimum ei debere, & fortasse plusquam alijs, cum constet, a Dianæ voluminibus ingentia in mores Christianos incommoda emanasse, & e probata opinionum licentia, licentiam quoque morum inductam, disciplinamque Euangelicam ex eorum lectione librorum non leui e parte resolutam. Quamobrem prudens Pallau. non multi has laudes æstimabit, cognoscens *Caram.* illarum esse prodigum etiam in immeritos. Nemo etiam ignorare potest harum laudum originem; nam cum prouidus Præsul, acriter oppugnaturus *D. D. Fagnanum*, quem singulari in æstimatione haberi ab ALEXANDRO VII. nouisset, defensorem suum seligere consultò voluit Cardinalem Pallauicinum, quem pariter nouerat multa apud Pontificem frui auctoritate, faciliùsque sperabat ab eo operam pro se impendendam, quòd Patres Soc. Iesu Iansenistarum essent oppugnatores inter alios vehemẽ-

V tissimi.

tiſſimi. Fatendum tamen eſt *D. Fagnano* iniuriâ tribui a *Caram.* Ianſeniſtarum opinionem; & quod opinio probabilis non amplectenda ſit, dum tutior, vel probabilior adeſt, aſſeruiſſe celeberrimos Doctores, & Scholarum etiam Duces antiquos, & cum illis ſentire plures etiam Recentiores, quam quatuor aut quinque, quorum nomina legere poterat *Caram.* apud *Iul. Mercor.* de quot *Not.* 43. quem ipſe tamen affert contra ſe. 2. Nimis infelix eſſet nedum Europa, verùm & Italia, immo & Societas ipſamet Ieſu, ſi doctiores multi Pallau. non forent in Italia, ac in ſua Soc. Ab illo editi quidem libri ante annum 1649. nullam fermè locorum Theologiæ propriorum cognitionem præferunt, ſed dumtaxat Philoſophicarum quarumdam quæſtionum, ac eruditionis prophanæ, ſimulque Poeticæ: Liber Vindic. an. 1649. indicat cap. 28. nec prima Theologiæ elementa Pall. habuiſſe perſpecta; & tamen, qui eiuſmodi locorum notitiam, nec leuem, fuerit aſſecutus, eum ſapienter affirmat eſſe tantùm apud vulgus Theologum, non reipſa, *Melch. Canus* lib. 8. c. 2. §. *Habet rurſum*. Editi ſeptem Aſſert. Theol. ac tom. in 1. 2. indicant Pall. eorum aliquam acquiſiuiſſe notionem, & maiorem adhuc Hiſtoriæ Volumina, non verò exactam; etenim non toties allucinatns fuiſſet, etiam cum graui præiudicio Pontificiæ poteſtatis in Conciliorum Conuocatione, & Præſidentia, vt in *Notis* ad cap 10. 11. 12. 13. oſtenſum eſt. 3. Si in Card. Pall. emineant illæ virtutes, quæ ſanè in Cardinali *Bellarm.* eminuerunt, ac nominatim emineat Modeſtia (hæc quatuor ſpecies comprehendit 2. 2. q. 160. *Humilitatem*, *Studioſitatem*, *Modeſtiam motuum externorum*, & *Modeſtiam externi apparatus*, de quibus latè *Leſ.* lib. 4. de Iuſt. cap. 4. a dub. 6. ad fin. lib.) quæ eminuit in Cardinali *De Lugo*, ipſomet Pallau. teſte in litt. dicat. ad eumd. 5. lib. Aſſert. Theol. *Tibi*, inquit, *in Senatum allecto nil Religioſæ modeſtiæ ſuperinductum eſt, præter togam*; tunc non prorſus immeritò dici poterit, *dediſſe illum Orbi Chriſtiano Deum, vt ad eius exemplum Eccleſiaſtici Principes mores ſuos accuratiùs eliminarent*. Certè eam non exhibuit modeſtiam in ſcribendo, quam laudat ipſemet cap. 48. lib. Vind. pag. 378 in *Bellarm.* ac *Suar.* dicens, *Haud ſcio an ſapientiùs, an ciuiliùs diſputauerint*, in libris Vindicat. & Hiſtor. quos qui modeſtos appellaret, immodeſtiſſimum ſe declararet. 4. Quod doctiſſimo ediſſerat calamo C. T. Hiſtoriam, præter quam hæc non eſt laus Hiſtorici calami propria, illius materiam magna ex parte inuenit paratam a *P. Terentio Alciato*, vt ipſe etiam fatetur cap. 5. num. 6. Elocutio eſt præſertim forma, quam ipſe in eam induxit. Vtinam verò hæreſim detectam retudiſſent huius Hiſt. Volum. & non potiùs improuidè illi arma ſuppeditaſſent contra T. C. legitimitatem, tum ad tegendum ſe a nobis, tum ad nocendum nobis Catholicis. 5. Vndenam habuit *Caram.* vt poſſet tutò typis mandare, quod P. dum Theologiam doceret, *Omnium artium, ac ſcientiarum promotor fuerit, omniũ, qui in Eccleſia eminerent, Mœcenas?* Eò quòd aliquem ſibi, vel ſuæ Societati amiciſſimum beneuolis proſecutus ſit in Romana Curia officijs, minimè congruum erat ſic vniuerſim loqui. 6. Non meminit *Caram.* *inordinatam ſui abiectionem* eſſe peccatum ipſimet Humilitati, ac Magnanimitati *oppoſitũ*, quod interdũ poteſt eſſe mortale, vt ait *Leſ.* lib. 3. c. 2. dub. 3. in fin. & lib. 4. c. 4. in fin. dub. 8. ac præterea teneri Præſulem ſuæ ante cæteros famæ conſulere, quæ non leuiter profectò læditur, cum minùs verax in ſuis deprehenditur dictis; Quomodo igitur ſe diſcipulum Pall. profitetur, cum præter alios libros, antequam ſuos Pall. imprimeret, ediDiſſet ipſe *Theologiam Regularem*, in qua ſummæ eruditionis, ſummique ingenij ſpecimen exhibet? Meritò quidem.

dem *Consistorij Apostolici Gloria* Cardinalis PALLAVICINVS appellatur, quatenus ex Apostolico Senatu nullus est in Theologia peritus, sicut ille; cæterique fermè omnes in Theologicis materijs, siue Scholasticis, siue Moralibus, aliorum sensum, vel consilium amplecti tenentur; qui vtinam semper sint illis conspicui dotibus, quas in librorum Censoribus prudentissimè requirit *Rayn.* Partit.3. Erot.3. de Mal. ac Bon. lib. & ante cætera abstineant a calumnijs, quas alicubi nonnullis ab hinc annis structas fuisse Christiano Orbi notissimum est contra libellum quemdam impressum. Hinc laudatur breue illud Cardinalis Pallauicini Elogium, quod legitur in Lucubrationibus Varijs *Comitis Iacobi Caimi Vtinensis* Patauij hoc anno vulgatis, in quibus delibantur florida quæq. ac prætiosa e priscis, ac neotoricis I. V. C. ad *§. Diui &c.* de Leg. 1.q.4.num.286. *Reipublicæ Litterariæ, Romanæque Purpuræ splendor*; nam oppidò eminet ille inter plurimos, qui in Litteraria Republica recensentur, ac Theologica scientia inter Purpuratos eminet Patres.

Incommoda in Catholicam Romanam Ecclesiam allata, & afferenda e P. Pallauicini Historia.

1 CVM inuisa fuerit, ac sit quamplurimis S.Historia, factum est, vt ex editione Pallau. Historiæ celebriorem, & S. famam, & Historia auctoritatem sortita fuerit, & quæ veluti spreta iam fere exolescebat, in scenam prodierit, cum ampliori Scriptoris laude. Nimiæ laudes, & adulatoriæ nonnullis, & e primarijs Scriptoribus tributæ effecerunt sanè, vt nonnullæ labes in eorum doctrina fuerint obseruatæ, ac euulgatæ, priùs non animaduersæ. Nimiæ Pallauicini vituperationes effecerunt, vt a labe fermè omni, ne dum ab innumeris, quæ illi obijciebantur, Historiam S. quidam expurgare contenderint; adeoque maiorem S. existimationem conciliauerint. Qui amoris, & odij argumentis certos non præscribunt fines, experientia teste, illi argumenta odij, hi amoris potiùs exhibent; cum nequeant non prouocare plures ad inuestigandos defectus aliquos, vel errores obiecti nimis amati, & ad virtutes aliquas, vel prærogatiuas obiecti nimis detestati. Nullus censetur Scriptor inter Catholicos illustris (si excipiatur ad summum *S.Thom.* in cuius tamen fulgenti, instar Solis, doctrina nonnulli & e S.I. maculas aliquot perspexerunt; de qua re Thom'stæ viderint) qui in quibusdam reprehendi non possit; sicuti & nullus, in quo pariter aliquid laudabile non reperiatur, etsi communiter reprobatus.

2 Quæ damna importauerit, ac importatura sit P. Historia Cath. Rom. Eccl. apud Catholicos, ac Hæreticos circa venerationem Romanorum Pontificum, eorumque auctoritatem in Conuocatione Conciliorum quoque, ac Præsidentia, atque circa æstimationem T.C. Decretorum, superuacaneum est peculiariter recensere, cum illa habeantur e *Notis*, & ex *Iud c.2.* ac 3. præsertim, quod probatur demptis quibusdam, præter maledicas voces, vt in *Discussione*. Certum videri potest 1. Minorem habendam fidem ijs, quæ scribit S. a compluribus e Catholicis, eò quòd existimetur Romanæ Ecclesiæ infensus,

 quam

quam Pall. qui e proprio, & e Soc. suæ instituto censetur in eamdem propensissimus, vt ipsemet etiam fatetur init.cap.6. ideoque hoc nomine censendam quoque magis perniciosam Pall. quam S.Historiam. 2. Romanos Pontifices non esse finem assecutos ad quem decreuerunt, vt Responsio præberetur S. cũ potiùs contrarios effectus apud Catholicos, & Hæreticos iam illa procreauerit, & præcipuè quod & post 37. annorũ spatio meditationem, & in Vrbe impressa prodierit &c.

Commoda e P. Pallauicini Historia.

Lector deprehendet 1. Errores aliquot in S. Historia: E quibus tamen, vt sic, non existimabit prudenter, illam esse vniuersim reprobandam, quando alij persimiles in celeberrimis Historijs, & in ipsamet quoque Pall. Historia deprehenduntur. 2. Multarum Controuersiarum modò inter Theologos iuxta Tridentinorum Patrum mentem decisionem, quæ ex verbis ipsius Tridentini haberi non poterat. 3. An actum sit de aliqua quæstione in Tridentino, quamuis aliqui pro se Tridentinum afferãt. Controuersia modò inter P. Dominicanos, & P.Iesuitas de Gratia efficaci ibi non est proposita, multoque minùs examinata. 4. Quod multæ opiniones ibi non fuerint damnatæ, licet inclinauerint magis Patres in vnam interdum, quam in aliam. 5. Quanta moderatione post sedulum examen vsi fuerint in damnandis opinionibus controuersis inter Catholicos, vel alicuius celebris Catholici Doctoris. 6. Quanti facienda sit S. Thomæ doctrina. 7. Quæstiones aliquas, & celebres verbis quibusdam ambiguis consultò proposuisse Patres, nolentes tunc eas dirimere, vtpote cum Hæreticis non controuersas; & sic datur facultas Theologis alterutram tuendi. 8. Quinam sint loci, e quibus argumenta contra Hæreticos, ac hæreses a Theologis desumenda. 9. Quæ in verbis ipsis modestia, e Pontificum præscripto quoque, contra Hæreticos ipsosmet adhibenda. 10. Quam opportuna fuerit Canonica scientia ad Decreta potissimùm de Reformatione. 11. Societatis Iesu Theologorum vehemens ad tuendam R.P. auctoritatem studium, & erga illam, tum Pontificis Pij IV. cum Carolo Cardinali Nepote, tum communem Patrum beneuolentiam. 12. Quam opportunum fuerit R.E. vt plurimi ex Episcopis fuerint ex Ordinibus Regularibus assumpti. 13. Discet etiam Politicas artes, & Sũmorum Pontificum, & Caroli V. in primis, ac Ministrorum eiusmodi Principum. 14. Euadet Politicus, qui obseruationes Politicas, quibus exuberat hæc Historia, sedulò perpenderit. 15. Non reprehendet, si quos legerit deinde Pontificum, & Principum Maximorum vitia enarrantes, vel Satyrico stylo alios oppugnantes. 16. Itali Sermonis elegantiam, ac sublimitatem ediscere poterit, laudabitque appositas interdum similitudines, ac alia ingenij vim præferentia; quamuis stylus non censeatur Historicus. 17. Plurium notitiam acquiret, quæ ad T.C. Hist. vel non spectant, vel non nisi remotissimè, possuntque videri scitu dignissima. 18. Percipiet, quam difficilis sit Cõciliorum Conuocatio, & in quibus sincerè, canonicè, & sanctè procedatur, ob politicos, humanosque fines, qui possunt intendi; spem tamen non deponendam in posterum de Conciliorum legitimitate ipsius T.C. exemplo, quod fuit

rite

ritè celebratum tandem, quamuis Dæmon varijs vsus fuerit artibus, ne illud inciperet, ac perficeretur. 19. Quantum noceat Scriptoribus odium, quod præseferunt in alios Scriptores, & cæteros quoscunque. 20. Quam noxius sit, cùm Ecclesiæ Romanæ nimis amplus, & honorificus de nonnullorum sapientia sensus; tum ipsis quoque, qui altè nimis de sua sentiunt sapientia. Hæc tamen commoda longè posthabenda incommodis Hist. P.

Exceptio contra Accusationem Hist. Petri Soaue.

NEgat *Cæsar Aquilinius Auctor Libelli de tribus Historicis C.T.* pag. 44.45.& 46. Historiam S. omni ex parte illi tribuendam esse, vel saltem dubitat; sic enim scribit; *Sunt in Petri Soaue Historia quam plurima, quæ fortasse sua scripta non sunt, sed ab aliquo alio superposita, & iuxta aliquorum coniecturas a Marco Antonio de Dominis olim Spalatrensi Archiepiscopo adiuncta; iste enim habuit Historiam hanc manuscriptam, cum Italiam desereret, & in Angliam pergeret, atque ipsam Londini imprimendam curauit anno Domini* 1619. *Vnde credibile sane est, digressiones istas, & pro Protestantium opinionibus argumenta ab ipso fuisse composita. Hoc autem duabus præcipuè rationibus suaderi potest. Prima Ratio est, quia in praxi cognoscitur eos, qui a Catholica Fide dissentiunt, solere quamplurimos libros pro libidine varijs in locis deprauare vel addendo, vel auferendo, vel immutando, atque hoc etiam accidere in ipso Sacræ Scripturæ volumine: vnde mirum non esset, si Marcus Antonius de Dominis, qui cum Protestantibus sentiebat, hoc simile fecerit in Historia de Religione tractante, & nunquam adhuc in lucem edita.* 2. *Ratio est, quia positis istis Protestantium argumentis, atque digressionibus non bene respondent reliqua, quæ Petrus Soaue in Historia scripsit, imo sublatis istis potest Historia illa integra, ac perfecta cognosci. Confirmatur hoc idem, quia in Londiniana impressione Historia hæc satis diuersam retinet inscriptionem, & admodum Romanis Pontificibus odiosam, quæ inscriptio simul cum dedicatoria epistola ad Iacobum Britanniæ Regem in alijs impressionibus expuncta fuit, & hac de re Auctor adhuc viuens fertur satis doluisse, & questus esse aduersus Marcum Antonium de Dominis: Verisimile est igitur, quod sicut inscriptio, & dedicatoria Epistola, & secundum aliquos Præfatio in principio Historiæ facta fuerunt a prædicto Marco Antonio, ita & multa alia, quæ in ipsa Historia quæ in ipsa Historia leguntur, adiuncta fuisse, satis diuersa ab instituto scribentis.* Quæ dubitatio confirmari potest magis 1. e *Coqueo* tom. 2. contra Mornæum in Antid. cont. progr. 50. p. 119. qui quamdam de *Innoc. III.* Historiam e *Mattheo Paris* cõtra Mor. fidem conciliare illi studentem, eò quòd Monachus esset, refellit, eo etiam nomine, quod non planè fideliter edita videatur, affertque *Possevinum* e S.I. in Apparatu sacro tom. 2. verb. Matthæus Paris vbi ait, *Videndum, ne is, qui Londini editus est anno* 1579. *fuerit ab Hæreticis corruptus cum aliquos inde terniones Flaccus Illyricus damnatæ memoriæ inseruit cuidam suo Catalogo testium non veritatis, sed mendacij, idipsum, vt suspicere, faciat.* Cur igitur non probabilis suspicio fuerit, quod in eadem Londini Vrbe idem acciderit, quod Matthæi Paris libro, Historiæ Soaue, opera infensissimorum ibi Romanæ Ecclesię hostium, ac in primis M. Antonij de Dominis,

& alio-

& ipsorum etiam Librariorum, ne dum Correctorum (neque enim ibi solent esse adeo imperiti, sicut in Italia) ac similium, quibus negotium Historiæ istius impressionis forsan fuit demandatum a M. Ant. de Dom. & maximè, cum scirent Auctorem haud esse in Romanæ Curię mores valde propensum, adeoque lectoribus facillimè suadendum, quæ ipsimet addidissent, a Soaue ipsomet scripta fuisse, audaciùs plurima huic Historiæ inserere potuerunt. 2. Cũ cap. 3. inter ingeniosos homines huius nostræ ætatis a Pallauic. enumeretur S. non potuit non animaduertere tot contradictiones, quas obseruauit *Quorlius*, ita vt ex illis euicerit libertatem, & sinceritatem T.C. quam S. Historia penitus tollere videbatur. Alij verò parum laborare potuerunt de hoc argumento minoris ingenij, & sapientiæ, cuius S. argueretur, dummodo liberum non fuisse T.C. demonstrarent, arbitrantes præsertim, hac in re rem gratissimam se facturos Iacobo Britanniæ Regi, qui fertur, dum *Clemens VIII.* ab eo petijt, vt Romanæ semet aggregaret Ecclesiæ, ab eodem Pontifice petijsse, vt liberum celebraretur Concilium, & non tale, quale T.C. fuit. Hic Exceptionis modus, tanquam valde probabilis, probatus fuit non semel in *Notis*; tum quia compluribus, & maximè non adeò sapientibus, arridere potest, tanquam omnino purgans S. ab omni nota; tum quia hunc morem demendi, & addendi Catholicorum libris, aliosque supponendi aliorum nomine, vsurpatum fuisse ab antiquioribus Hæreticis, quorum doctrinas, & mores prosequuntur Recentiores, sæpiùs habetur. Sic supposita Apostolis, & Apostolicis viris, varijsque Patribus, ne dum Patriarchis, & Prophetis, scripta; & in hoc genere nauos artifices fuisse Sethianos memorat *S. Epiphan.* hæres. 39. cui supposita fuit *Ibæ* Epistola act. 6. Synod. 7. quibus similes Nestoriani tom. 3. Concil. Ephes. cap. 7. & 8. nec non tom. 6. cap. 17. Apollinaristæ, seu Eutychiani ex *Leontio* lib. de supp. pro Apollin. Script. Patr. Monothelitæ act. 14. Synod. 6. Priscillianistæ e *Paulo Orosio* Epist. ad Aug. Gnostici e *S. Irenæo* lib. 1. c. 17. Manichæi act. 6. Synod. 7. De qua re *Rayn.* eruditè de Mal. ac Bon. lib. Partit. 1. Erot. 10. §. 3. a num. 257 ad 270. Neque obstare potest huic probabilitati, quòd idem planè stylus appareat in vniuersa S. Historia; multi enim possunt eumdem æmulari stylum, ita vt non secernatur Auctoris stylus a supposito, vt dictum est in *Not.* 18. de characteribus. Multò minus obstat; quod S. non ostenderit, suæ addita Historiæ contra T.C. libertatem, ac sinceritatem non fuisse a se scripta: Quia 1. Nouerat Historiam illam versari manibus plurimorum Catholicorum, ac primariorum quoque in Romana Curia virorum. 2. Nouerat quoque, doctissimos homines detrectasse Responsionem ad illam, licet vehementer eam Romani Pontifices optauissent. 3. Ipse grauissimis detentus erat negocijs, & curis. 4. Cum fere septuagenarius foret, cum hæc Historia prodijt in lucem (mortuus est enim ann. 1623. Ianuar. 14. die Dominico octaua noctis hora, annum septuagesimum primum agens, natus anno 1552. Augusti 14.) haud illi suscipiendus erat responsionis labor, qui certè futurus erat ingens. Si triginta septem circiter annorum intercessit spatium ad dandam huic Historiæ responsionem, condendamque Apologiam, quamuis plures ad id operam contulerint suam, & in id opus quasi solummodo incumbentes, & plures e Romana Curia ad idem multa suppeditauerint, ac e remotis Prouincijs notitias aliquot subministrauerint quidam; Vetulusne S. & solus, & cui vix cibum sumere negocia permittebant, intra tres circiter annos refellere suæ addita Historiæ, & cum laude, poterat? Immeritò igitur vitio tribueretur S. quod addita typis non reiecisset.

Con-

Confutatio Accusationis Historiæ Petri Soaue.

PRæter iam dicta *Not.*18.19. 20. ac 21. ex occasione dictorum in sua Introductione a Pallauicino, & assertorum a compluribus, ad detergendum Soaue animum ab hæresis macula potissimè, qua illum aspergunt in foro interiori, ac exteriori; affirmari, nec temerè, potest S. haud se Romanæ Ecclesiæ hostem exhibuisse, immo & a Catholici probi moribus non discessisse. Attendendum est autem; S. 1. Integerrimam planè vitam duxisse, ac insignis argumenta Charitatis, Humilitatis, nec non Paupertatis præsertim dedisse. 2. Religiosum fuisse Ordinis optimè de Apostolica Sede meriti, a qua quoque ampla consecutus fuerat beneficia, vt liquet ex illius Historia, Constitutionibus, ac Priuilegijs. 3. Sæpe iuribus Ecclesiæ Romanæ patrocinatum fuisse, vt iam *Not.*18. ac 35. dictum. 4. Nullum vnquam fuisse hortatum, vt a Catholica Romana Fide recederet, licet nonnulli Romanæ Curiæ mores ei minimè arriderent, & quandoque, vt mali, & scandalosi apud Catholicos, & Hæreticos quoque, reprehenderentur. 5. Eumdem fuisse quasi septuagenarium, vt paulò ante fuit significatum, cum Londini fuit impressa anno 1619. Historia a se scripta. 6. Fuisse præcipuum inter Ministros Principis admodum Catholici, & cuius 1. summam Religionem prædicant amplissimis sanè verbis ipsius T. C. Concilij Patres in Responsione data anno 1562. Maij 14. in sess. 3. sub *Pio* IV. *Nicolao de Ponte* Doctori, & Equiti, atque *Matthæo Dandulo* Equiti, quos misit Oratores, Nuncios, & Procuratores ad Sacrosanctam Tridẽtinam Synodum, vbi sui Principis mandatum exposuerunt 11. Aprilis. Qui 2. e cap. 5. num. 5. Introduc. dicitur peculiariter operam impendisse, vt T. C. celebraretur. Qui 3. e lib. 4. cap. 5. (quod & habetur e Bulla postrema *Pauli III.* indictionis T. C.) dicitur concessisse ann. 1537. Vincentiam ad celebrationem Concilij, in quam Ciuitatem Legati tres Pontificij concesserunt, vt iam *Not.* 62. indicatum est. Qui 4. lib. 16. cap 10. num. 8. dicitur præcipuum in Italia Religionis propugnaculum, vnicumque illius in Græcia fulcimentum, atque per suos Præsules desudasse cum summa laude in ea vbique conseruanda, ac pro eadem stabilienda in T. C. laborasse. Qui 5. e lib 24. cap. 11. num. 1. fuit primus inter Principes, qui inter Missatum solemnia in Ducali S. Marci Basilica voluit T. C. promulgari post Confirmationem Pontificiam 26. Ianuarij 1564. ac iusserit Rectores eius curare obseruantiam; quapropter *Pium* IV. in grati specimen animi ob zelum, quem præsetulit semper in promouendo hoc sancto opere, eidem donasse Palatium, quod pro Pontificibus ipsis construxerat *Paulus II.* patria Venetus Ecclesiæ S. Marci proximum, addito Breui motu proprio, quo inclytis laudibus celebrat illius pietatem, egregiamque in Apostolicam Sedem obseruantiam. Qui 6. decreto 22. Iulij aliud addidit 16. Octobris an. 1564. eodem magis efficax, quo iussit suos omnes Ministros operam impendere sedulam, vt vbique executioni mandarentur Decreta T. C. quod ait peculiari S. Spiritus afflatu esse confectum, & reliqua inter Oecumenica Concilia numerandum &c. Pariterque ignorare non potuisse semper suum Principem elaborasse, vt eadem in sua omni ditione decreta seruarentur, & nunquam aliena a decretis de Fide doctrina traderetur, vel a suis subditis disceretur. Qua

ratione

ratione igitur S. qui ſingulari auctoritate apud hunc Principem fruebatur, auſus fuiſſet T. C decreta, ac potiſſimùm Catholicos Canones, mordaciter, ac etiam irriſoriè frequenter, e ſuo ſenſu oppugnare, nec non ex eodem vehementer Proteſtantium ſenſus propugnare, ac fouere ? Iudicio penitus fuiſſet deſtitutus, homo tamen prudentiſſimus communiter habitus, & ab ipſomet P. ſummè Politicus, ſuorum quoque habita ratione commodorum. An non animaduertiſſet, ſe vt non Catholicum a Catholico Principe, quique nulli in vera Catholica Fide amplectenda, ac tuẽda primas defert, ex honorifico apud ſe gradu, adiunctiſque illi emolumentis planè deijciendum; ſemet planè, vt non Catholicum, tum viuentem, tum mortuum meritò eſſe, ac fore habendum, ac in Ciuitate Catholica a Ciuibus ſuis Catholicæ Religioni addictiſſimis a condita Vrbe notandum fuiſſe, vt e Proteſtantibus vnum, vel eximium eorumdem patronum, ac fautorem; ac voluiſſe præterea, cum foret iam fere ſeptuagenarius, poſtremis vitæ ſuæ annis infamem perpetuò hunc imponere finem, & adhuc magis infamem, quod eſſet Sacerdos, ac Regularis ? Retulit ille quidem in Hiſtoria, quæ nouerat, aut legerat, eo tempore, quo actum eſt de C. T. indicendo, & illud celebratum fuit, a Lutheranis, ſeu Proteſtantibus euulgata fuiſſe; etenim Hiſtorici tantùm eſt referre geſta, vel dicta aliorum non autem Hiſtorici vt ſic, ac generatim, ea refellere, vel reprobare; ſicut Hiſtoricus, qui narrat bella inter Chriſtianos, atque Turcas, licet hi euadant victores, tenetur modum, ac rationem deſcribere, qua victores euaſerint, victique Chriſtiani; nec quia inde iſti vituprarentur; fit vt non rectè munere ſuo functus fuerit Hiſtoricus. Cum autem præterea S. addiderit medicamenta vulneribus, quæ Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ dogmatibus illius narrationes videntur inflixiſſe, teſtibus ipſis etiam S. aduerſarijs *Henrico*, & *Querlio*, vt *Iud.* 2. ac 3. cũ *Diſc.* & legẽs Hiſtoriã *ATTENTE* (hoc autẽ preſuppoſuit futurum fuiſſe, cum materia Hiſtoriæ id exigeret, & hac de cauſa quoque Lectores illius non futuros vulgares homines, ſed valde doctos, ac prudentes) cognoſcere poteſt dilucidè, ſicuti & clarè haberi ex eodem, quod T. C. exiſtimauerit legitimum: Cur adeò acerbè, ac mordaciter inuehitur in S. qui ad poſterorum inſtructionem potuit illa conſignare a Lutheranis dicta, vnà tamen ſe a Lutheranorum ſenſibus abhorrentẽ oſtendens. Quæ autem pernicies inde animabus illata dicitur, non eſt tribuenda illi Hiſtoriæ, vt ſic, ſed vt lectæ ab hominibus indoctis, imprudentibus, & non ſedulis omnium in ea contentorum inueſtigatoribus. Reprehenditurne (vt omittantur Dianæ Volumina, e quibus plurimi arripuerunt, arripiuntque occaſionem peccandi grauiter contra Iuſtitiam quoque, ſicuti & contra caſtitatem ex occaſione librorum *Thomæ Sanchez*) Cardinalis *Bellarm.* e cuius Controuerſiarum Tomis multi euadere poſſint e Catholicis, & vtinam non euaſerint, Lutherani, Caluiniſtæ &c. ? Adhucne Pall. Hiſtoriæ lectio interdicta in Vrbe, licet notiſſimum ſit, grauiſſimas offenſiones ſubſecutas fuiſſe in plurimorum animabus Catholicorum, Hæreticoſque pertinaciores redditos in prauiſſimis ſenſibus ſuis de Romanis Pontificibus, ac de T. C. decretis ? VTRAQVE igitur videri poteſt vel probanda, vel reprobanda. In quo tamen Catholicæ ROMANÆ Eccleſiæ iudicio ſtandum.

FINIS.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN